

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XV.

ANTONIUS BONFINIS
SYMPOSION DE VIRGINITATE
ET PUDICITIA CONIUGALI

EDIDIT
STEPHANUS APRÓ

MCMXLIII. — K. M. EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

1943

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XV.

ANTONIUS BONFINIS

SYMPOSION DE VIRGINITATE
ET PUDICITIA CONIUGALI

EDIDIT
STEPHANUS APRÓ

MCMXLIII. — K. M. EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

Iq kot
114 924



INTRODUCTIO.¹

I. — De vita operibusque Antonii Bonfinis.²

A) Vita.

Antonius Bonfinis³ in pago Patregnono (Patrignone) prope Asculum (Ascoli Piceno) sito (in agro Piceno) verisimiliter a. 1427. natus est, etquidem mense Decembri (annus natalis parum creditur fuisse 1434.). Pater Franciscus, avus Achilles, fratres natu minores Emidius et Matthaeus erant. Studiis Asculi apud famosum magistrum Henochum finitis Patregnoni, Florentiae, Patavii et Ferrariae filios familiarum divitum educabat. Spinam Roccensem a. 1456. in matrimonium duxit; quattuor filios (Iulium, Mucium, Franciscum, Achillem) et filiam (Franciscam Ventidiam) vel fortasse filias habuit. Mox civis Asculanus et magister factus est. A. 1473. magister scholae (academiae) Recinetensis⁴ electus honorem solum a. 1478. accipit,⁵ a quo anno octo annos Recineti rector linguas Latinam et Graecam, artes poeticam et rhetoricam docebat. Civis Recinensis quoque factus est.⁶ Fama Matthiae regis succensus Italiam relinquere atque in Hungariam ire voluit. Multi erant, qui eum adhortabantur.⁷ Qua de causa nonnullos libros in honore regis et reginae (Beatricis, filiae Ferdinandi regis Neapolitani) composuit, inter quos Symposion (Beatrici dedicatum) quo-

¹ Bibliographiam ad Symposion (et hoc modo ad Bonfinem quoque) attinentem in fine Introductionis collocavimus. Libros, qui non ad Bonfinem et Symposion attinent, in commentariis citamus. — Errores minores scriptorum in Bibliographia memoratorum evidentes (ad Symposion attinentes), ne commentarios nimis augeremus gravaremusque, unum post alterum in commentariis refutari supervacaneum esse duximus, maiorem igitur eorum partem aliquanti momenti in Bibliographia in fine singulorum librorum in parenthesibus [] correxi.

² De vita operibusque Antonii Bonfinis novissime profusius scripserunt Iosephus Fögel et Bela Iványi et Ladislaus Juhász in Introductione in tomo I editionis *Decadum Rerum Ungaricarum Antonii de Bonfinis* (in hac Bibliotheca) in pagg. V—X. — Nos tam copiose scribere vitam Bonfinis supervacaneum esse putavimus. (V. Bibliographiam nostram in fine Introductionis.)

³ Recta forma: Antonius Bonfinis; parum rec ae, sed usitatae formae: Antonius de Bonfinis s. A. Bonfinius s. Bonfinus; Italice: Antonio Bonfini. — In Symposio tantum Antonius Bonfinis (in nominativo) invenitur: Praef. 65; Symp. 2, 600; Marg. Praef. 63, Symp. 2, 513, 600; in genitivo: Antonii Bonfinis: Praef. 63; Annot. Crit. Praef. tit.; in ablativo: Antonio Bonfine: Annot. Crit. Symp. 3, post 985. — V.: Bibliotheca Corvina (in Bibliographia nostra), ubi falso dicitur Bonfinis se Antonium de Bonfinis nominasse.

⁴ Recinetum prope Anconam (hodie Recanati). Adiectivum de personis: Recinensis (s. Rhecinensis), de rebus: Recinetensis. (V. comm. 6. et Praef. 62.: Berardus Rhecinensis.)

⁵ Credere non possumus Bonfinem a. 1476. Beatricem reginam uxorem Matthiae regis Neapoli in Hungariam proficiscentem Laureti (Loreto) salutasse, quia Beatrix Laureti tunc non constitit et Bonfinis se ipsum servulum Beatrici incognitum nominat (Praef. 63.). (Fögel—Iványi—Juhász, Antonius de Bonfinis, *Rerum Ungaricarum Decades*, t. 1., p. VI.) [Horvath erronee credit Bonfinem Beatrici verisimiliter iam Laureti esse congressum et eam cognovisse.]

⁶ Bonfinis in Symposio se ipsum civem Asculanum et Recinensem (Praef. 65.) nominat. (Cf. comm. 4.)

⁷ Quos in Praefatione (62.) enumerat.

que erat. Postquam codices Neapoli elegantissime ornati in lucem prodierant, Bonfinis Kalendis Septembribus a. 1486. a magistratu Recinetensi licentiam duorum mensium rogavit; tres menses accepit una cum viatico. Bonfinis etiam legatus a Ferdinando rege Neapolitano in Hungariam missus est.⁸ Bonfinis die 25. eiusdem mensis Recineto profectus est, in Carnorum finibus autem in febrim incidit, quare tantum mense Decembri (nonnullis diebus ante diem 20.) Rhetiam (Retz in Austria prope Moraviam) ad Mathiam regem pervenire potuit. Kalendis Ianuariis a. 1487. Viennae regem in nomine aulicorum tam eleganti oratione salutavit, ut lector reginae eligeretur et mandatum ad res Hungaricas stilo cultiore conscribendas acciperet. Matthia rege vivo ter in Italiam revertitur, in Hungaria enim grande opus, cum libri ad historiam componendam necessarii deessent, perficere non potuit. Cum rex a. 1490. Viennae mortuus est, Bonfinis Recineti morabatur. Wladislaus II. (1490—1516.) successor Matthiae Bonfinem in Hungariam revocat, ut inceptum opus finiat. Historicus circa a. 1491. ineuntem una cum filio Francisco medico in Hungariam rediit. Circa mensem Iulium anni 1492. Bonfinis quattuor decades Wladislao regi tradidit, qui eum una cum filiis die 10. mensis Octobris nobilitate donavit et poetica lauro coronavit. Deinde Bonfinis opus historicum usque ad ad annum 1496. exeuntem continuavit, e decade autem quinta tantum quinque libros conscripsit, nam circa annum 1496. medium apoplexia correptus est. Opus conficere iam desperans in Italiam reverti voluit, rex autem retinuit. Cum vere anni 1502. iterum in patriam rediturus erat, apoplexia iterum tactus Budae moritur et in templo S. Margaretae in civitate Buda Vetere sepelitur.

B) Opera ordine chronologico (a nobis coniecto).

a) Originalia: Epigrammaton libellus Iohanni Corvino dictus (periit). — Epistolae (latent vel partim perierunt). — Orationes (una⁹ excepta latent vel partim perierunt). — Historia Asculana Beatrici dedicata (periit). — Symposion de virginitate et pudicitia coniugali Beatrici dedicatum. — Libellus de Corvinae domus origine Matthiae dedicatus (periit, sed maximam partem, immo expletus Decadibus Rerum Ungaricarum insertus est). — Quoddam epigramma.¹⁰ — Rerum Ungaricarum Decades IV et dimidia V. Wladislao II. regi dedicatae.¹¹

b) Traducta in Latinum: α) e Graeco: Herodiani Historiarum libri VIII Matthiae dedicati. — Hermogenis libri De arte rhetorica

⁸ Petrus Ransanus a. 1488. eodem Ferdinandi regis mandato in Hungariam profectus est. Ferdinandus enim filiam Beatricem post mortem Matthiae quoque reginam ut uxorem futuri regis et non filium Matthiae illegitimum Iohannem Corvinum regem esse voluit. (De Iohanne Corvino v. Schönherr)

⁹ Ábel, Jenő, Bonfini életrajzáról (De vita Bonfinis). In periodico: Egyetemes Philologiai Közlöny (Archivum Philologicum Universale), Budapest, t. 4. (1880.), p. 290.

¹⁰ Dec. 4., lib. 7., sent. 100. (Rerum Ungaricarum Decades, edd. Fögel—Iványi—Juhász, in hac Bibliotheca, t. 4., pars 1.)

¹¹ In hac Bibliotheca ediderunt Fögel—Iványi—Juhász. tt. 1—3., 1936; t. 4., pars 1., 1941.; t. 4. pars 2. (Appendix Bonfiniana et Index Nominum) excuditur.

Matthiae dicati. — Aphonii sophistae Praeexercitamenta Matthiae dedicata. — Philostrati Heroica et Icones et Vitae sophistarum et Epistolae Matthiae dedicatae. — β) *ex Italico*: Antonii Verulini (s. Filarete; Italice: Averulino) De architectura libri XXV Matthiae dedicati.

Fortasse falso Bonfini attributa: Historia Genuensis (periit).
— De mirabilibus Italiae et Germaniae (periit).

II. — De Symposio.¹²

Titulus libri est (ante Praefationem): Symposion de virginitate et pudicitia coniugali,¹³ quod autem ante librum I. (Praef. 65.) hoc modo variatur: Symposion trimerion de virginitate et pudicitia coniugali, et post finem libri III.¹⁴ sic: Symposion trimeron de virginitate et pudicitia coniugali. — Quod ad trimerion et trimeron attinet, scriptio eius non solum apud librarium parum intellegibilis et Leuvenclaium anceps, sed etiam apud Bonfinem incerta esse videtur, in codice enim c tres formas invenimus: trimerion (Praef. 65., ubi trimerion e trion est correctum a librario), trimarion (3, 969., quod nos certo mendum librarii a Bonfine corrigi neglectum suspicantes in trimerion correximus: Annot. Crit. 3, 969.) et trimeron (Annot. Crit. 3, post 985.¹⁵); in codice c₁ semel habemus: trimarion (Annot. Crit. 3, 969.); apud editionem principem (1572., ed. b), quae in pagina tituli Symposion trimeron scribit, bis: triemerion (Praef. 65. et 3, 969.); apud Remum (1621., ed. f), qui Symposion ex editione a. 1572. codice non viso iterum edidit et item in pagina tituli Symposion trimeron scribit, item bis: trememon (quod nos certo mendum typographicum esse putamus, Praef. 65.) et triemerion (3, 969.). Ceterum scire debemus hoc vocabulum in thesauro linguae Graecae inveniri non posse; etymologia eius quoque problematica dici potest: *τρία* tria et *μέρος* pars vel fortasse, ut Leuvenclaius etymologizavit, *ἡμέρα* dies, id est: tres partes continens vel tres dies durans. Tres partes continens in lingua Graeca: *τριμερής*, *ἑς*, tres dies durans: *τριήμερος*, -ον. Symposio et tres partes continens et tres dies durans conveniunt. Bonfinis, ut videtur, Symposion tres dies durans scribere voluit,¹⁶ ideo triemerion (vel forma Latina triemerum)¹⁷ scribere debebat.

Ipsam Symposion e Praefatione (dedicatione) ad Beatricem reginam scripta, tribus libris et marginalibus ab ipso Bonfine in manuscripto autographo in marginibus scriptis et a librario item marginibus ascriptis constat.

¹² Ubi Bonfinis in titulo (titulus ante Praefationem; Praef. 65.; 3, 969. et 3, post 985. [Annot. Crit.]) vocabulo symposii utitur, symposion (forma Graeca) dicit, ceterum alibi (Praef. 59. et 61.) (forma Latina): symposium.

¹³ V. Annotationes Criticas ante Praefationem et facsimilia paginae tituli (vol. I r.): comm. 57.

¹⁴ V. Annotationes Criticas lib. 3., post 985.

¹⁵ In textu nostro haec sententia non edita est, nos tantum in Annotationibus Criticis assumpsimus; si sententiam in textu edidissemus, trimeron scripsissemus.

¹⁶ Praef. 53.: Convivium regale *trium dierum* cum universa satraparum turba celebratur.

¹⁷ Cf. Symposion et symposium. (v. comm. 12.).

Tres libri formam dialogi, sicut Platonis,¹⁸ unde titulum quoque accepit, habent, qui libri autem (sicut in dramatibus) perspicuitatis gratia in plures partes (quae in dramatibus scaenae nominantur) dividuntur, ubi nomina personarum¹⁹ (vel rectius interlocutorum,²⁰ sicut Bonfinis semel nominat) praescribuntur. Hi interlocutores sunt: Matthias rex, Beatrix regina, Ioannes Aragonius (frater Beatricis, cardinalis [1478—] et archiepiscopus Strigoniensis²¹ [1479—85.]), Franciscus Aragonius (frater Beatricis; in Hungaria moratus est annis 1476—85.), Galeottus Martius Narniensis (humanista; in Hungariam pluries venit et in aula Matthiae regis diu versabatur; Bonfini Galeottus Martius tunc verisimiliter solum fama notus erat), Ladislaus Geréb de Vingárt²² (episcopus Transilvanus), Iohannes Pruis vel Filipecz²³ (episcopus Varadiensis) et Nicolaus Pamphilus.

Marginalia certo ab ipso Bonfine marginibus manuscripti autographi, quod periit, ascripta sunt, de quo librarius in codicem Corvinianum transcripsit.

Symposion litteras nascentis aevi complectitur. Religionem, superstitiones, astrologiam, mythologiam, artes, historiam,²⁴ geographiam tractat, quae scilicet eo tempore cuique viro litterato scitu digna et necessaria videbantur. Hoc Symposion igitur enchiridion, sicut ipse Bonfinis opus suum nominat,²⁵ litterarum saeculi XV. et omnino aetatis humanisticae iure ac merito dici potest ac debet.

Bonfinis et ipse Symposion magni aestimavit. (Rer. Ung. Dec. 1., lib. 1. sent. 90.; dec. 4., lib. 4., sent. 38. [Liber de virginitate ac matronali pudicitia]; dec. 4., lib. 7., sent. 180.)

Ceterum Symposion in Indice Librorum Prohibitorum positum est.²⁶

¹⁸ Συμπόσιον (Latine Convivium), unde Bonfinis titulum operis sui quoque accepit. Convivium: Praef. 52., 54.; 1, 2. et 667.; 2, 683.; 3, 2. (Caena: 1, 660.)

¹⁹ 3, 9: ... pro personarum dignitate... (Convivae: 1, 5.)

²⁰ 1, 640.: ...interlocutores.

²¹ Strigonium, Hungarice: Esztergom; sedes archiepiscopalis.

²² Bonfinis tantum Ladislaum episcopum Transilvanum eum nominat.

²³ Bonfinis eum nomine non nominat, tantum episcopum Varadiensem.

²⁴ Permulta indicia non solum ad antiquum, sed ad suum quoque tempus Bonfinis confert.

²⁵ Praef. 59.: ...hoc symposium perpetuum tuum enchiridion futurum

²⁶ Kemeny, p. 252: in Hispania: Index librorum prohibitorum et expungendorum pro catholicis Hispaniarum regnis illustrissimi ac r. d. Sotomaior ... iussu ac studio recognitus. Madriti, 1667. — in Italia: Index librorum prohibitorum sanctissimi domini nostri Benedicti XIV. Ex typographia rev. pontificis max. iustus, recognitus atque editus. Romae, 1785. Camerae apostolicae. Cum summi pontificis privilegio. Cf. Bel, Matthias, Notitia Hungariae novae historico geographica, t. 2., Viennae Austriae, 1736., p. 92, et Weszpremi, Stephanus, Succincta medicorum Hungariae et Transilvaniae biographia, t. 4., Viennae, 1787., p. 383. Quamquam Kemeny scribit ipsum Symposion in Indice positum esse, tamen, ut videtur, opera Sambuci omnino in Indice posita sunt, cum in Indice Madritensi scribitur: Opera Sambuci non permittuntur, nisi corrigantur (Bel et post eum Weszpremi). Cf. praeterea Császár, p. 20., Orbán, p. 39. et Horváth, p. 149.

III. — *Historia codicum et editionum Symposii.*

De Symposio codicem solum et duo folia e fine Symposii inter describendum alterum codicem corrupta habemus; duo codices perierunt. Duae editiones in lucem prodierunt.

Codices: 1. Manuscriptum autographum Bonfinis chartaceum (periit), de quo, ut credimus, primum codex Neapolitanus, deinde codex Corvinianus Beatrici dicatus descripti sunt. 2. Codex Neapolitanus fortasse cuidam domus Neapolitanae dedicatus, etquidem membraneus, sicut e duobus foliis codicis c₁ inter describendum codicem Neapolitanum corruptis et fini codicis Corviniani adiunctis videmus; codex periit. 3. Duo folia inter describendum codicem Neapolitanum corrupta (c₁) et fini codicis Corviniani adiuncta. 4. Codex Corvinianus membraneus Beatrici reginae dedicatus (c).

Editiones: 1. Basileae a. 1572. e codice c edita (b). 2. Remus Maeno-Francofurti a. 1621. ex editione b codice c non viso edidit (f).

Bonfinis primum certe favorem Beatricis reginae sibi conciliare studebat, cui, ut suspicamur, primum Historiam Asculanam iam pridem, ut credimus, inceptam dedicare decrevit. Ab a. 1478. enim rector scholae (academiae) Recinetensis factus multorum virorum Itolorum,²⁷ qui in aula Matthiae regis versabantur et indicia ex Hungaria Bonfini copiose praebere potuerunt et consilium eius in Hungariam proficiscendi adiuabant, familiaritate coniunctus hortatu eorum libris Graecis in honore Matthiae regis quoque in Latinum conversis²⁸ etiam eius favorem conciliaturus erat, tum Symposion Beatrici dedicatum composuit et, quia Bonfinis historicus aulicus Matthiae regis fieri voluit, Libellum de Corvinae domus origine Matthiae dedicatum conscripsit, postremo epigrammata certo a iuventute per plures annos conscripta et collecta Iohanni Corvino Matthiae regis filio²⁹ dedicavit: tam igitur multos (sex) libros a. 1486. secum in Hungariam portavit, ut iam tunc (post annum 1478.) eos et finire et componere conscribereque deberet, quorum etiam descriptio ornatique et compactio Neapoli aliquantum temporis consumpsit. Hoc igitur ordine chronologico — ut arbitramur — singula opera³⁰ a Bonfine ad finem perducta compositaque

²⁷ V. comm. 7.: Praef. 62. Inter quos imprimis Franciscus Aragonius frater Beatricis memorandus est. (Cf. Marg. 1, 10. et comm. 47.)

²⁸ Bonfinis Herodianum et Hermogenem una cum Aphthonio, etquidem primum Herodianum, deinde Hermogenem una cum Aphthonio e Graeco in Latinum traduxit. Symp. 2, 513.: Herodianus... , quem Antonius Asculanus e Graeco in Latinum traduxit nostroque regi dedicavit; Symp. 2, 600.:... ex Hermogenis Graeci rhetoris iam verbis intelligi potest, quem *nuperrime* Antonius Bonfinis civis Asculanus atque regi et reginae deditissimus transtulit in Latinum regisque numinibus dicavit.

²⁹ V. comm. 8.

³⁰ Bonfinis in Decadibus Rerum Ungaricarum codices secum in Hungariam portatos hoc ordine enumerat: dec. 4., lib. 7., sent. 179—80.: Tria regi dicaverat, Hermogenem et Herodianum, quos e Greco in Latinum ipse traduxerat, atque brevem de Corvine domus origine libellum. Regine duo, alterum de virginitate et pudicitia coniugali, de historia Asculana alterum. Unum autem epigrammaton libellum Iohanni Corvino inscripserat cum haud iniucunda inutilique prefatione, ubi de instituendo novo principe agebatur. (Cf. Bibliotheca Corvina, ed. Hung., pp. 16., 90. [comm. 27.]; ed. Ital., pp. 17—18., 99. [comm. 27.])

sunt: Historia Asculana (Beatrici dedicata),³¹ Herodianus necnon Hermogenes una cum Aphthonio (duo codices Matthiae dedicati),³² Symposion (Beatrici dedicatum),³³ Libellus de Corvinae domus origine (Matthiae dedicatus),³⁴ Epigrammaton libellus (Iohanni Corvino dedicatus):³⁵ etquidem sumptibus Ferdinandi regis Neapolitani in membranam descripta et ornata et compacta; Bonfinis enim, ut certo credimus, legatus quoque mandatorum maximi momenti a Ferdinando ad Matthiam missus est. Quia Bonfinis non erat tam dives, ut tam magnos sumptus codicibus Bibliotheca Corviniana dignis edendis sufferre poluisset, tradidit igitur sua opera bibliothecae Neapolitanae quoque describenda, Ferdinandus autem codicibus magnifice exornandis Matthiae regi quoque morem gesturus erat. Bonfinis igitur ut scriptor codicum et non simul sumptus codicum ferens codices Matthiae regi et Beatrici tradidit.

Bonfinis, cum quoddam opus perfecit marginalibusque instruxit,³⁶ manuscriptum singulorum operum Neapolim³⁷ ad Ferdinandum regem misit, ut describerentur, ornarentur et compingerentur. Nos in codice Symposii in initio folium quoddam textum e traducto Hermogene³⁸ continens et inter describendum corruptum invenimus. Quia in fine quaedam duo folia textum e fine Symposii continentia et simili modo inter describendum corrupta,³⁹ quae duo folia et aliam membranam, ac in codice Beatrici dedicato invenimus, habent et alius quoque librarius descripsit, ac qui codicem Beatrici dedicatum descripsit, inveniuntur,⁴⁰ non solum Symposion

³¹ Periit. Beatrix, sicut codicem Symposii, cum a. 1501. Hungariam reliquit, certo secum Neapolim portavit; si codicem secum non tulisset, fortasse non periisset.

³² Codex Herodiani ad nostram aetatem remansit. Codex Hermogenis una cum Aphthonio periit, a. 1538. autem Lugduni editus est (Abel—Hege-
dus, p. 47., comm. 1.). — Quia Hermogenes et Aphthonius in uno codice erant, ideo Bonfinis de Aphthonio mentionem non facit, cum codices in Hungariam secum portatos enumerat (cf. comm. 30.).

³³ Cum Beatrix a. 1501. ex Hungaria Neapolim profecta est, codicem secum portavit (cf. comm. 31.).

³⁴ Periit, libellum autem exlens postea Decadibus Rerum Ungaricarum inseruit: dec. III., lib. 9., sentt. 192—289.

³⁵ Periit. Fieri potest, ut, cum Iohannes Corvinus post mortem patris sui die 30. mensis Iunii a. 1490. Budam relinquere cogeretur, una cum aliis suis pretiosis rebus hunc codicem quoque secum portavit (cf. Schönherr, p. 145.).

³⁶ Marginalia a Bonfine ipso marginibus manuscripti codicis autographi Bonfiniani esse ascripta haec Marginalia demons-
trant: 1, 10 99 106 306; 2, 424 etc. Ceterum scriptores opera sua iam in manuscripto marginalibus instruere solebant. Certo folium 1r. quoque Bonfinis marginalibus instruxit in suo manuscripto, quae autem propter latum marginem orationis codici dedicatorio desunt (v. facsimilia: comm. 57.).

³⁷ A bécsi gyűjteményekből ... p. 34. (no. 25.): Membrana et scriptio codicis Italica est; codex origine Neapolitanus est.

³⁸ Weinberger, pp. 74—75.

³⁹ Certam causam corruptionis ignoramus. In sent. 978. deest: vivat Beatrix (v. Annot. Crit.). Fieri potest, ut librarius finem Symposii non in duplici folio (duo folia), sed in duobus duplicibus foliis (quattuor folia), quorum duo vacua relicta essent, ut finis codicis eo melius conservari posset, describere debuisset.

⁴⁰ Textus in corrupto folio „ut non minus corpora“... (3, 964.) initium capit; folium in codice Corviniano hoc textu initium non capit.

Bonfinis, sed alios quinque codices quoque non solum Bibliothecae Corvinianae, sed etiam bibliothecae Neapolitanae esse descriptos — certo Ferdinando regi vel filiis filiabusve eius dedicatos — conicimus.⁴¹ — Quia codex Hermogenis Corvinianus periit, nescimus, utrum folium inter describendum codicem Neapolitanum, an codicem Corvinianum sit corruptum.

Cum igitur duo folia inter describendum corrupta e fine Symposii habeamus — quae igitur duo folia iam tunc, cum codex Symposii Corvinianus compactus esset, descripta erant — conicimus paene uno eodemque tempore bis — unum post alterum — esse descripta singula opera Bonfiniana, immo primum exemplaria Neapolitana, deinde Corviniana, etquidem certe ambo de manuscripto autographo Bonfiniano.⁴²

Quia Bonfinis textum Symposii descriptum ipse correxit, certo scimus non solum omnes codices Corvinianos, sed etiam Neapolitanos descriptos emendavit, qua de causa certo manuscriptum suum autographum Neapoli Recinetum remitti rogavit. Omnes igitur codices et Corviniani et Neapolitani a Bonfine correcti hoc modo a Bonfine ipso approbati sunt.

Quod quidem ad Symposion attinet, Bonfinis manuscriptum octo menses — sicut ipse scribit⁴³ — vivente Sixto IV. pontifice⁴⁴ († 12. Aug. 1484.) et obsessa Vienna⁴⁵ ad finem perduxit et sine Praefatione ad Beatricem scripta Neapolim misit. Postquam iam textus certo Neapoli descriptus est, tantum deinde — capta Vienna⁴⁶ (Kal. Iun. a. 1485.) — scripsit Praefationem, quam simili modo Neapolim misit, quod e manuscripto quoque clare elucet: 1. totus codex in quaterniones (octo folia), Praefatio autem tantum in ternionem (sex folia) sunt descripta ita, ut, quia ipsa Praefatio tantum quinque folia occupat, folium unum vacuum ante Praefationem esset praemissum; 2. quaterniones infra paginas litteris (custodibus) A—Z sunt signatae, etquidem A in fol. 6r., unde liber I. Symposii initium capit; 3. ternio Praefationem continens aliam membranam, ac quaterniones Symposion ipsum continentes, habet. — Bonfinis igitur Symposion c. a. 1484. ineuntem componere aggressus est et c. annum eundem exeuntem ad finem perduxit. Codicem autem ille adhuc Neapolim non misit, donec Franciscus Aragonius ex Hungaria in Italiam rediens⁴⁷ Recineti apud Bonfinem

⁴¹ Qualis fuerit codex Neapolitanus, ex his duobus foliis inter describendum corruptis conicere possumus (membraneus).

⁴² E codice Corviniano et e duobus foliis inter describendum corruptis, quia sufficientes non sunt, stabilire non possumus codicem Corvinianum de manuscripto autographo vel de codice Neapolitano et codicem Neapolitanum de codice autographo vel de codice Corviniano esse descriptos. Nos tantum credimus de codice autographo primum codicem Neapolitanum, deinde item de codice autographo codicem Corvinianum esse descriptos.

⁴³ Praef. 61: ... symposium octo mensium lucubratione perfecimus...

⁴⁴ V. Indicem Symposii.

⁴⁵ Symp. 1, 4.: ... obsessa Viana ... (Vienna a primis diebus mensis Ianuarii a. 1485. usque ad Kal. Iunias eiusdem anni a Matthia rege obsessa est.)

⁴⁶ Praef. 16.: Expugnavit rex ille invictissimus Vianam... (Cf. comm. 45.)

⁴⁷ Praef. 62.: Quod ne tam cito quidem edendum esse statuissem, nisi Franciscus frater tuus e Pannonia rediens *visum* et *prelibatum* opus festinare iussisset... Marg. 1, 10.: Franciscus hec legens conlachrymavit. (V. comm. 27.)

manuscriptum et perlegit et certo correxit quoque, immo supplevit nuntiis novissimis Hungaricis. Certo ipse Franciscus manuscriptum Neapolim secum portavit, ut describeretur in duobus exemplaribus bibliothecis Neapolitanae et Corvinianae. Cum iam Vienna a Matthia capta est (Kal. Iun. a. 1485.), scripsit Bonfinis Praefationem ad Beatricem, quam circa alteram anni 1485. partem Neapolim misit. Fieri potest, ut Bonfinis fortasse ideo non miserit Neapolim Praefationem quoque una cum Symposio, ut in ea novissimos nuntios ex Hungaria praesertim a Francisco Aragonio acceptos et ex Italia, quo recentior codex esset, memorare posset. Totum Symposion una cum Praefatione descriptum in duobus exemplaribus bibliothecis Neapolitanae et Corvinianae descriptis et ornatis et compactis circa a. 1486. ineuntem Neapoli Recinetum Bonfinis accepit, quae deinde ante mensem Septembrem, cum in Hungariam profecturus erat, correxit emendavitque et exemplar Neapolitanum Neapolim remisit.

Cum igitur Bonfinis circa a. 1486. medium omnes sex codices Neapoli sibi missos et a se correctos et in Hungariam secum portandos iam in manibus habuit et sex codices bibliothecae Neapolitanae descriptos et a se correctos Neapolim remisit, Kal. Septembribus a. 1486. licentiam duorum mensium a civitate Recinensi — famam eius quoque propagaturus — rogavit; magistratus tres menses et viaticum ei dedit. Codices Bonfinis paucis diebus ante 20. mensis Decembris regi et reginae tradidit, quae omnes — verisimiliter anno proximo — in Bibliotheca Corviniana quoque collocati sunt. Cum autem Beatrix a. 1501. Hungariam reliquit et Neapolim profecta est, Symposion — et certe Historiam Asculanam quoque — secum portavit. Cum Iohannes Sambucus a. 1562.⁴⁸ Neapoli moratus est, Symposion 15 aureis ducatis⁴⁹ emit et a. 1572. Basileam ad Leuvenclaium (et Oporinum) ad edendum misit (b). Post mortem Sambuci (1584.) vidua bibliothecam mariti Bibliothecae Caesariae Vindobonensi vendidit, cum codex Symposii quoque in hac bibliotheca inscriptus est.⁵⁰ A. 1621. Carolus Remus Symposion ex editione principali (a. 1572.) codice non viso Maeno-Francofurti sumptibus Caroli Unckelii iterum edidit (f) una cum operibus Bartholomaei Fontii Florentini. Secundum pacis Trianonensis (die 4. mensis Iunii a. 1920.) condiciones multi codices Viennenses Hungariae obtigerunt;⁵¹ ita a. 1933. codex Symposii quoque in Bibliotheca Széchenyiana (in Museo Nationali Hungarico) collocatus est. Quia Symposion Bonfinis litteras renascentis aevi amplectitur et hoc modo scrutatoribus maximi momenti esse videbatur, in Bibliotheca Scriptorum Medii Recentisque Aevorum (iam tertium) publici iuris facere supervacuum esse non putavimus, cum editiones b et f quoque admodum raras essent. Haec editio nostra, cum Annotationibus Criticis instructa sit, non solum codicem, sed etiam ambas editiones amplectitur.

⁴⁸ Orbán, p. 24.

⁴⁹ V. comm. 63.

⁵⁰ Signatura Symposii in hac bibliotheca fuit: Cod. Vind. Lat. 2365.

⁵¹ A bécsi gyűjteményekből ... no. 25. (p. 34.).

IV. — *De codicibus et editionibus Symposii.*A) *Codices.*

c₁ — Cum Bonfinis manuscriptum autographum Symposii sine Praefatione ad Beatricem scripta c. a. 1485. ineuntem duorum exemplarium describendorum gratia Neapolim misit, primum, ut credimus, codex Neapolitanus descriptus est, inter quem describendum autem duo folia corrupta sunt, quae codicis Corviniani (c) tuendi gratia fini eius adiuncta sunt. Quae duo folia membranea sunt, codex igitur Neapolitanus nunc deperditus quoque membraneus fuit. In codice Corviniano haec duo folia numeris 170—71. numerata sunt, etquidem versa, nam primum textum folii 171., deinde 170. invenimus. Quae duo folia ceterum finem totius Symposii continent, etquidem fol. 171.: lib. III. sentt. 964—78. (ut non minus corpora—item quicquid gloriosum), fol. 170.: lib. III. sentt. 978—usque ad finem (985.; et expetibile fuit—perpetuo venerantes). — Haec duo folia certo e codice Neapolitano inter describendum corrupta sunt, quod et qualitas membranae et ut folium 171. alio textu (ut non minus corpora), ac codex Corvinianus, initium capiat et ut codicem c₁ (codicem igitur Neapolitanum quoque) alius librarius, ac codicem Corvinianum (c), descripserit, demonstrant. Quia haec duo folia inter describendum corrupta sunt, duobus foliis et marginalia et titulus (Convivarum plausus, sent. 977.) rubro colore inscribendus desunt. Fieri potest, ut ideo folium inter describendum corruptum est, quia e sententia 978. incuria librarii „vivat Beatrix“ relictum est, vel rectius ideo, quod librarius non in duplici folio (duo folia), sed in duobus duplicibus foliis (quattuor folia), quorum duo codicis tuendi gratia vacua relicta essent, describere debuisset. — Textum horum duorum foliorum textui codicis c contulimus (necnon editionibus b et f) variantesque lectiones in Annotationibus Criticis accuratissime assumpsimus. — Quia folium 170r. satis obscurum est, demonstrantur haec duo folia iam pridem esse descripta, cum codex Corvinianus (c) compactus esset, ex quo conicimus primum codicem Neapolitanum, deinde codicem Corvinianum esse descriptos. Bonfinis Symposion bibliothecae Neapolitanae descriptum certo cuidam domus Neapolitanae dicavit.

c⁵² — Budapest, Bibliotheca Széchenyiana (in Museo Nationali Hungarico), cod. Lat. med. aevi 421., membr., saec. XV. (1485—86.); magnitudo codicis una cum integumento cm. 29·5X19·1X3·8, sine involucrio cm. 28·5X19X2·8; foll. 2 innum. et 1—171; in unoquoque folio 30 versus, quorum speculi magnitudo cm. 18X10·8. Codex in Bibliotheca Corviniana⁵³ Budae collocatus est⁵⁴ circa annum 1487. ineuntem.

⁵² Codicem descripserunt: Hevesy, p. 79.; Bibliotheca Corvina, ed. Hung., p. 63. (no. 37.) (facsimile fol. 1r.: p. 153.); ed. Ital., p. 81. (no. 135.) (facsimile fol. 1r.: p. 165.); A bécsi gyűjteményekből ... no. 25. (v. 34.) (facsimile fol. 1r.: in fine libelli inter reproductiones phototypicas no. 9.).

⁵³ Pro Bibliotheca Corvina rectius Bibliotheca Corviniana, item rectius codex Corvinianus dicendus est. (Cf. Bibliotheca Laurentiana et Codex Laurentianus.)

⁵⁴ Bibliotheca Corvina, p. 63. (no. 37.) scribit codicem simpliciter esse

In initio codicis duo folia innumerata sunt, quorum unum (fol. innum. 1.) a tineis parum corrosum partem quandam operis Hermogenis a Bonfine traducti continet et codicis tegendi gratia codici praepositum est, alterum (fol. innum. 2.) codicis tuendi gratia vacuum⁵⁵ relictum est, quod non est aliud, ac primum folium ternionis (sex folia), cuius cetera quinque folia (1—5. numeris recentioribus numerata) Praefationem Symposii continent, etquidem sentt. 1—64. in foll. 1r—5r., sententia autem 65. in fol. 5v. delineato templo inscriptae sunt. A folio 6. quaterniones (octo folia) invenimus, quae infra coeva manu litteris (custodibus) A—Z (Z tantum duo folia habet) signata et singula folia supra numeratione recentiore numeris 6—169. numerata sunt (liber I.: foll. 6r—48r., liber II.: foll. 48r—98r., liber III.: foll. 98r—169v.). Deinde duo folia a tineis satis corrosa (170—71. numeris recentioribus numerata) sequuntur, quae textum libri III. Symposii continent, etquidem duo folia inter scribendum exemplar bibliothecae Neapolitanae destinatum corrupta, quae, sicut in initio codicis folium, hic quoque codicis tegendi gratia fini codicis adiuncta sunt.

Quod ad Marginalia attinet, Antonii Bonfinis sunt,⁵⁶ etquidem maximam partem rubro, rarius nigro coloribus, quod in Annotationibus Criticis notavimus, a librario de codice manuscripto autographo Bonfinis descripta sunt. Marginalia, necnon manus (—) res maioris momenti significantes, quae marginibus saepenumero ascriptae sunt, et enumerationes nominum interlocutorum, quae ut tituli uniuscuiusque scaenae praescriptae sunt, eadem manus codici inscripsit. Item rubro colore praescripta sunt nomina personarum, nomen autem primi interlocutoris in scaenae initio (post enumerationem nominum interlocutorum) nimirum plerumque relictum est, cuius enim nomen in enumeratione in primo loco positum est, quae nomina praescripta abbreviata semper exscripsimus necnon nomen interlocutoris in scaena primi, quin in Annotationibus Criticis significassemus.

Codex totus magnifice (non magnificentissime) in lucem prodit. — Fol. 1r.⁵⁷ Pagina tituli ignoto pictore illuminata est. In initiali (C, C-um Italia parens .: Praef. 1.) in angulo superiore sinistro Beatrix cum corona reginali visitur. Textum folii 1r. margo, cuius magnitudo cm. 26.2×17.5⁵⁸ est, rosis et figuris ornatus circumfluit: in angulo superiore dextro merops apiaster L.,⁵⁹ infra

ornatum et, quia in fol. 5v. inscriptum est: Manus Bonfinis nostri propria avunculi (v. paulo inferius), erronee credit codicem Bonfinis manuum fuisse. (Cf. inferius, ubi de codice mentionem facimus; cf. praeterea Bibliographiam nostram: Csontos, 1888. et Hevesy et Bibliotheca Corvina.)

⁵⁵ In hoc folio (v.) inscriptum est: Edidit Sambucus Bapt.

⁵⁶ V. comm. 36.

⁵⁷ Fol. 1r. non coloratum phototypice editum in Bibliotheca Corvina, ed. Hung., p. 153., ed. Ital., p. 165. et in A bécsi gyűjteményekből ... Append. 6. — Tantum initialis invenitur: Csontos, 1888., in magnitudine originali, p. 313. et separate impressum p. 35. et Schönherr, in magnitudine minore p. 142.

⁵⁸ Faciendū in Bibliotheca Corvina parum minus est originali, in A bécsi gyűjteményekből ... minimum est (v. comm. 57.).

⁵⁹ Britannice: bee-eater s. mudwall; Franco-Gallice: guêpier commun s. vulgaire; Germanice: Bienenfresser; Hispanice: abejanico; Hungarice: gyurgyalag

eum *mustela erminea* L.,⁶⁰ infra eam phoenix avis,⁶¹ in margine inferiore medio arma Beatricis et Matthiae unita, ab iis in dextra parte flos, in laeva autem parte (in laevo angulo inferiore) in flore ipse Bonfinis⁶² sollerter, ne primo visu agnosci possit, delineatus visuntur. Infra marginem ornatum *Sambucus* haec scripsit: I. Sambuci Pos. 15 Δ Neapoli 15 Δ.⁶³ Bibliothecarius autem haec: Ex Augustissima Bibliotheca Caesarea Vindobonensi. Propter marginem ornatum marginalia huius folii (1r.) desunt.⁶⁴ — Fol. 5v.: in templo simpliciter delineato invenitur sententia 65. Praefationis, etquidem litteris maioribus (maiusculis) et rubro colore inscripta. Fieri potest, ut templum ideo delineatum sit, ne in hoc folio tantum una sententia certo a Bonfine scripta inveniretur. Sicut superius iam diximus, librarius, postquam iam totus codex descriptus est, accepit Recineto a Bonfine manuscriptum Praefationis, quam describere hoc modo aggressus est: primum descripsit folium 1., cuius alterum folium est fol. 4., deinde descripsit folium 2., cuius alterum folium est fol. 3., tum foll. 3. et 4. descripsit, quibus descriptis e textu pars tantum folium medium (fol. 5r.) implens relicta est, accepit igitur librarius tertium duplum⁶⁵ folium quoque, cuius alterum (nunc fol. 2. innum.) ante folium 1. vertit, in altero (fol. 5r.) autem finem Praefationis scripsit, in fol. 5v. autem templum delineavit, in quo sent. 65. Praefationis scripsit. — In fol. 5v. supra in margine haec scripta sunt: Manus Bonfinis nostri propria, cui postea eadem manus atriore atramento addidit: avunculi, id est: Manus Bonfinis nostri propria avunculi. Antequam intellectum huius sententiae explicare experiamur, scire debemus to-

s. gyurgyóka s. méhészmádár; Italice: gruccione; Russice: шурка золотистая.

⁶⁰ Britannice: ermine; Franco-Gallice: hermine, Germanice: Hermelin; Hispanice: armiño; Hungarice: hermelin s. hölgymenyét; Italice: ermellino; Russice: горноста́й.

⁶¹ Phoenix avis una cum *mustela erminea* (v. comm. 60.) in emblemate Aragonico invenitur [Csontos, 1888., p. 313., et separate impressum p. 35. et A bécsi gyűjteményekből... p. 34. (no. 25.)].

⁶² Rögel, p. 13., separate impressum p. 4. — Certo Bonfinis rogavit Franciscum Aragonium (Praef. 62; v. comm. 47.), ut codex efigie sua modeste ornaretur.

⁶³ Etquidem tribus occasionibus ab ipso Sambuco, ut credimus, inscribatur: 1. „15 Δ“ in extremo margine; 2. „15Δ Neapoli“; 3. „Io. Sambuci Pos.“ — 15 Δ bis inscribatur, quia in ex remo margine parum legi potuit. „Io. Sambuci Pos.“ iam certe Posonii (et non Neapoli) a Sambuco in codice inscribatur (*Sambucus* nempe codicem 15 ducatis aureis codicem Neapoli a. 1562. emit). Annis 1567. et 1569. *Sambucus* Posonii (Pozsony in Hungaria non longe a Vienna) moratus est. „Pos.“ nec „Posoniensis“, quia *Sambucus* se ipsum Tyrnaviensem nominavit, nec „possessio“, quia huius abbreviatio „poss.“ est, significari possunt. Ceterum memorare debemus pro „Pos.“ apud Hevesy (p. 79.) „P. R.“ legi. (Cf. Kóssa, Gyula, Adatok Samboky János életéhez [Addenda ad vitam Ioannis Sambuci], in periodico: Irodalomtörténeti Közlemények (Communicationes Litteraturales), Budapest, t. 18. (1908.), pp. 372—73.; Orbán, p. 38., comm. 1., ubi de Sambuco Posonii morante iit mentio. — Inscriptiones *Sambucinae* videri possunt in facsimili, quod in A bécsi gyűjteményekből... apparuit; in libro, qui Bibliotheca Corvina inscribitur, videri non possunt, quia margine relicto editum est fol. 1r. [V. comm. 57.]

⁶⁴ V. comm. 36. (V. facsimilia: comm. 57.)

⁶⁵ Primum duplum folium 1. et 4., secundum 2. et 3.

tum codicem eundem librarium descripsisse, quamquam calamus et atramentum eius nonnunquam mutetur et scriptura eius quoque varietur; eundemque librarium, qui rubro et raro nigro colore marginalia et rubro colore seriem nominum interlocutorum scaenarum ante scaenas praescripsit et nomina quoque interlocutorum item rubro colore praescripsit, finito codice totum librum et perlegisse et nigro colore⁶⁶ (nonnunquam rubro) textum correxisse⁶⁷, post quem librarium Bonfinis quoque Recineti totum codicem nigro colore emendavit.⁶⁸ Certum habemus non Bonfinem codicem descripsisse, sed librarium, in codice enim permulta menda, maximam partem correcta inveniuntur, textus Graecus autem, plerumque quod ad accentus attinet, tam mendosus est, ut Bonfinis magister linguae Graecae tam mendose describere non potuerit. Quod igitur ad sententiam folio 5v. inscriptam (Manus Bonfinis nostri propria avunculi) attinet, tantum tunc inscribi potuit, cum (a. 1487.) codex iam in Bibliotheca Corviniana collocatus est. Ante codicem a. 1486. Beatrici tradendum hanc sententiam nemo inscribere ausus est; postquam autem Beatrix codicem a. 1501. in Italiam secum portaverat, nemo e nepotibus Bonfinis hanc sententiam inscribere occasionem habuit. Quis igitur hanc sententiam codici inscribere potuit? Ceterum haec sententia tripliciter intellegi potest: 1. ad primum lectum hoc modo intelligendum est.⁶⁹ filius fratris vel sororis⁷⁰ Bonfinis nostri inscripsit codicem avunculum eius (Recineti) scripsisse: Manus Bonfinis propria nostri avunculi; 2. avunculus Bonfinis nostri scripsit codicem (fortasse Recineti et non Neapoli): Manus propria avunculi Bonfinis nostri, cum iam hanc sententiam Budae quilibet inscribere potuit; 3. ipse Bonfinis noster inscripsit: Manus Bonfinis propria nostri avunculi, cum avunculus Bonfinis nostri codicem (Recineti et non Neapoli) descripsit. Quia problema haud facile decidi potest, ut omnia, quae superius de codice stabilivimus, concordia sint, nos credimus quendam filium fratris vel sororis Bonfinis nostri ideo codici fortasse bona fide ex inscitia vel consulto erronee inscripsisse, ut famam avunculi hoc modo quoque propagaret. Scire enim debemus has et tales falsificationes eo tempore codicibus admodum solitas esse inscribi.

Praeter litteram initialem C Praefationis (fol. 1r.) tres aliae initiales in codice inveniuntur: etquidem primae litterae singulorum librorum: fol. 6r.: Q (Q-uum ...: 1, 2.), fol. 48r.: F (F-aelicitatem...: 2, 2.), fol. 98r.: C (C-ogitabundos...: 3, 2.).

⁶⁶ Non enim omnes correctiones nigri coloris a Bonfine perductae sunt, nam nonnunquam erronee correctum tantum a librario committi potuit.

⁶⁷ Correctiones librarii et nigro et rubro colore perductas in Annotatiuibus Criticis „corr.“ significavimus.

⁶⁸ Has correctiones Bonfinianas, quae admodum raras sunt, in Annotationibus Criticis „corr. sec. m.“ significavimus. — Post Bonfinem rarissime tertia manus („tertia m.“) codicem correxit.

⁶⁹ De suppositione prima, quae evidens, sed parum credibile esse videtur, v.: Bibliotheca Corvina, ed. Hunz., p. 63. (no. 37.). ed. Ital. p. 81. (no. 135.). Suppositiones 2. et 3. nunc primum prolatae sunt et quod ad falsificationem attinet.

⁷⁰ Qui igitur in Hungaria moratus est.

Codex Symposii Neapoli colligebatur, etquidem in modum codicum Corvinianorum magnifice⁷¹; involucrum autem per saecula corruptum est et codex c. saeculum XVIII. in Bibliotheca Vindobonensi in membrana iterum compactus est, sicut nunc quoque habetur. — Tria latera foliorum caesa auro picta sunt.⁷²

B) Editiones.

Ex editione a. 1572. (b) duo specimina extitisse videntur. Quia ex his duobus speciminibus tantum unum nobis vidisse contigit, alterum reconstruere debuimus.⁷³

In editione enim a. 1621. (f) ante editionem Symposii invenimus dedicationem Sambuci ad Verantium et dedicationem Leuvenclaii ad Sambucum scriptas et epigramma Leuvenclaii de Matthia Corvino et Ioanne Sambuco, in tribus exemplaribus autem editionis a. 1572. (b) a nobis visis non invenimus dedicationem Sambuci, tantum dedicationem Leuvenclaii et epigramma eiusdem. Quae duo specimina, ut certum est, hoc solo modo exstare potuerunt:

Scire debemus Sambucum codicem Corvinianum Symposii Basileam ad Leuvenclaium (et Oporinum) ad edendum misisse, qui codicem describendum curavit descriptumque contulit⁷⁴ et certo correcturam quoque editionis a. 1572. confecit. Omnes coniecturae igitur editionis a. 1572. (b) Leuvenclaii attribuendae sunt (et non Sambuco). Sambucus igitur tantum codice Leuvenclaii et Oporino

⁷¹ Sicut codices Corviniani, quod ad folium tituli attinet (arma Corviniana), speciali modo in lucem prodierant, ita involucrum (compactio) quoque codicum Corvinianorum armis Corvinianis ornatum est. Secundum catalogum Bibliothecae Vindobonensis antiquum codex involucrum splendidum habuit (Bibliotheca Corvina, ed. Hung., p. 63. [no. 37.], ed. Ital., p. 81. [no. 135.]). — De compactionibus Corvinianis v. Hevesy, pp. 22—23.; Bibliotheca Corvina, ed. Hung., pp. 53—56., ed. Ital., pp. 59—62.; Hoffmann, pp. 86—87. et specimina compactionum Corvinianarum: Hevesy, Appendices VIII—X.; Bibliotheca Corvina, ed. Hung., pp. 155—61., ed. Ital., pp. 167—73.

⁷² Bibliotheca Corvina, ed. Hung., p. 63. (no. 37.), ed. Ital., p. 81. (no. 135.); erronee dicuntur caesa folia non esse ornata (id est: aurata).

⁷³ Szabó—Hellebrant, pp. 180—81. (no. 616.; ed. a. 1572.) et pp. 392—93. (no. 1327.; ed. a. 1621.) valde erronee scribunt de editione a. 1572., cum titulus huius editionis non est alius, quam editionis a. 1621. Quia Szabó—Hellebrant tantum editionem mancā in Bibliotheca Academiae Scientiarum Hungaricae asservatam noverunt, erronee crediderunt editionem anni 1621. fideliter ex editione a. 1572. esse editam. Szabó—Hellebrant igitur ideo duo specimina editionis 1572. noscere non potuerunt, quia Bibliothecas Apponyanam, quae tunc privata in pago Lengyel (in comitatu To'na) fuerat, et privatam Elemerii Varjú adire, ut certo videtur, non potuerunt. — Ceterum exemplar mancum Bibliothecae Academiae postea ex exemplari Apponyiano expletum est, bibliothecarius autem valde falsum commentarium editioni a. 1572. adiunxit, cuius indicia e libro Caroli Szabó et Árpád Hellebrant hausit, quarumquam duo exemplaria quoque huius editionis in Bibliotheca Apponyiana in manibus eius fuerunt, scribit enim Sambucum editionem Symposii Verantio dedicasse, quia autem editionem a. 1621. videre neglexit, quamquam Szabó—Hellebrant eius mentionem apud editionem a. 1572. fecerunt (p. 181.), dedicationem Sambuci ad Verantium scriptam iam non descripserunt.

⁷⁴ V. dedicationem Leuvenclaii ad Sambucum paulo inferius, ubi de editione b (1572.) loquimur (paene in fine): Quod a me conferri potuit ad horum dialogorum editionem, non tantum dedi operam, ut exscriberentur, sed etiam exscriptos ad archetypum ipse per otium contuli.

offerendo laudem editionis edendae consecutus est.⁷⁵ Ex opere excuso Oporinus typographus nonnulla exemplaria — ut dicuntur — honoraria Sambuco misit, quia Sambucus codicem Oporino ad edendum Symposion tradidit. Sambucus tunc scripsit⁷⁶ dedicationem ad Verantium, eam in duobus foliis (fortasse Viennae) excudendam curavit et ante dedicationem Leuvenclaii in nonnullis exemplaribus ab Oporino sibi traditis agglutinari fecit. Quia haec exemplaria tantum nonnulla fuerunt, est explicatio eius causae, quod e tribus exemplaribus a nobis visis nullum invenitur, cui dedicatio Sambuci inest. Cum autem Unckelius a. 1621. iterum Symposion edidit, eo specimine usus est, cui dedicatio Sambuci inerat, quin de speciminibus sine dedicatione Sambuci existentibus certior factus esset; si igitur Unckelius eo specimine usus esset, cui dedicatio Sambuci deesset, fortasse de speciminibus, quibus dedicatio Sambuci inerat, certiores non facti essemus.

a) *Editio princeps.*

b — 1572., Basilea. — *Tit.*: Fol. † 1 r.: Symposion trimeron sive Antonii Bonfinii de pudicitia coniugali et virginitate dialogi III nunc primum ex bibliotheca Ioan. Sambuci v. c. in lucem prolati. (Imago [signum typographi]: Arion cum delphino.) Cum Caes. Maiest. gratia et privilegio ad annos decem. Basileae ex officina Oporiniana 1572.⁷⁷ — Fol. † 1v.: vacuum. — Deinde duo folia exemplaribus nonnullis Sambuco datis, ut certo suspicamur, agglutinata erant (aliis certo multis exemplaribus haec duo folia desunt), in quibus haec dedicatio Sambuci ad Verantium scripta legi potuit:

Illustri ac maxime reverendo domino Antonio Verantio, archiepiscopo Strigoniensi, primati Ungariae, legato nato, summo et secretario cancellario et consiliario Caesareae regiaeque maiestatis etc., patrono suo singulari Ioan. Sambucus s. d.

Et antea non dissimulavi et nunc libenter fateor eum fuisse Bonfinium licet Umbrum, cuius ingenium ad omnes res arduas et laudabiles excelsuerit, stius tam historiis, quam philosophiae oratorumque scholis tractandis aptus fuerit. Quod ipsum vel hi dialogi testantur, quibus ille docere voluit, vel quantum in reconditis et politicis disputationibus valuerit vel quantum apud Matthiam et Beatricem eius autoritas ponderis habuerit, nec dubito philosophiae eorumque temporum ac memoriae studiosis ac intelligentibus iucundissimos fore. Cumque ipse sua praefatione consilii rationes copiose indicarit, tantum supp ex a te peto, huic nostrae editioni aliquid soliti patrocinii imperitias, ne auctor se nudum eiectum e bibliotheca et desertum in vulgus prod-

⁷⁵ V. paginam tituli editionis b paulo inferius: ... dialogi III nunc primum ex bibliotheca Ioan. Sambuci v. c. in lucem prolati.

⁷⁶ Dedicatio Leuvenclaii die 8. mensis Martii (a. 1572.) (v. paulo inferius hanc dedicationem, in fine), dedicatio autem Sambuci die 5. mensis Februarii a. 1572. datae sunt. A Sambuco igitur dedicatio ideo ante, quam dedicatio Leuvenclaii, data est, ut editio a se edita esse videretur et quod dedicatio eius in duobus foliis ante dedicationem Leuvenclaii agglutinata est. — Quia Sambucus et Oporinus Leuvenclaiusque optimi amici erant, credere non possumus Oporinum et Leuvenclaium tantum iis exemplaribus imprimendam curavisse dedicationem Sambuci, quae Sambuco misissent.

⁷⁷ In Bibliotheca Apponyiana duo exemplaria huius editionis sunt, in quorum altero 1572., in altero autem 1672. excusum est. Inter librum igitur excudendum autem mendum agnoverunt et correxerunt et non inter excudendum numerus 5 lapsus est.

iisse queri possit. Scio longe maiora te his et scripsisse et in commentariis fovere, plurima tuis meritis huius generis scripta in dies offerri, qui et varia doctrina et perpetuis consiliis et auctoritate, quantum vix alius, polleas, experientia, peregrinationibus et publicis legationibus pene caeteros vincas. Quia tamen tibi non parum debeo, orsus etiam aliquid sum, quod ad te amolius pertineat. Interea alienum munus praemittere, dum illa absolvantur, volui. Quod si hos meos sensus gratos tibi fuisse, uti omnino spero, intellexero, accipies haud longo intervallo epistolarum sacrarum volumen illud ex omni antiquitate patrum coactum comportatumque a me idque e tua liberali aetate, cuius me tutelae commendo. Viennae, Nonis Februarii, 1572.

— Fol. † 2r—7r.: hanc dedicationem Leuvenclaii ad Sambucum scriptam legimus:

Ioann. Sambuco, nobili clarissimoque viro, amico eximio Ioannes Leuvenclaius s. p. d.

Quum patrum avorumque nostrorum aetatem, Sambuce, mecum ipse memoria repeto, admirari subit eam unius potissimum ornamentum causa, quo multa sane proxima saecula felicitate singulari superavit. Nam licet diversis temporibus non paucos exstitisse praestantes in omni virtutis genere principes lubenter fatear, tamen certis adductus rationibus statuo vix aliud tale saeculum fuisse, quo nationes varias deus tam illustribus beavit, a quibus magna imperia sapienter eodem tempore administrarentur. In Friderico Augusto praeter alias naturae dotes, quae omnino multae ac rarae fuerunt, tanta prudentiae vis eluxit, ut citra seditiones et bella subditorum in existimatione ad quosvis maxima diutius, quam imperatorum quisquam publicae rei praefuerit. Eius filius et in imperio successor Maximilianus amplissimo praeditus ingenio facile principem inter caeteros orbis terrarum reges locum tueri potuit, quanquam a nonnullis opum et aliarum ad res magnas gerendas necessariarum rerum copiis longe vinceretur. Galli Ludovicum eius nominis XI. habebant, cuius consiliis fractae sunt gravissimae principum in eo regno molitiones, qui a Carolo Burgundo duce post homines natos bellicosissimo toti pendebant, quo quidem tempore videre licuit, quantum vel Achilleae fortitudini dexteritas Ulyssea praestet. Quid dicam de Alfonso Tarracensis, Neapolis rege, cuius verissimas laudes multorum accurate scripti commentarii ad omnem posteritatis memoriam celebrabunt? Mitto Ferdinandum Casulensem, qui adempta maioribus suis regna Saracenis pulsus et oppressis recuperavit; mitto Sarmatarum reges fratres, inter quos minimus natus Sigismundus excelluit; mitto alios, ut ad illum nostra se tandem convertat oratio, quo de potissimum hoc loco dicere voluimus. Si unquam alias, tum certe telix erat Pannonia vestra, quae summa virtute gloriæque principis Matthiae Corvini gubernatione frueretur. Sic enim exis imo caeteros eius saeculi reges, quorum iam magna ex parte mentionem fecimus, insignes quidem illos fuisse, ad Matthiam vero collatos illi uni tanquam inter omnes eximio multas ob causas herbam porrexisse. Nam quid in illo fuit, quod admirationem maximam non mereretur? Adolescens paene vocatus est ad capeendam regni administrationem, cuius valde perturbatus et afflictus erat status atque conditio. Nihilominus humeros ille suos tanto summisit oneri, tametsi, quae imminerent pericula, non posset non perspicere. Gessit autem ita rempublicam, ut intra non magnum tempus pacatissimis et sibi obsequentissimis suorum animis uteretur terrorisque finitimis omnibus esset. Constat enim uno eodemque tempore Corvinum duorum maximorum principum, imperatoris Romani et tyranni Turcici vires impetumque sustinentem eo loci utrunque redegetse, ut pacis leges ipsis daret, non acciperet. Idem alias quoque vicinas gentes, Sarmatas, Iazygas, Dacos, Mysos, Triballos, Illyios non tantum in officio continuit, sed etiam dicto audientes habuit. Denique Corvini virtute factum est, ut immanissima Turcorum natio totius imperii Constantinopolitani potentia non in medio victoriarum cursu progressa sit ulterius nostrosque fines mature invaserit. Quum talis ac tantus fuerit hic princeps, bene de ipsa quoque mereri republica censendi sunt, qui memoriam eius ab interitu et oblivione vindicant. Tibi quidem, Sambuce vir clarissime, plurimum fortissimi regis manes nec minus universa Pannonia tua debet, qui non tantum ante Bonfinii libros historiarum publicasti, sed etiam hos ipsos eiusdem auctoris

dialogos, qui ad Corvini laudem scripti sunt, latere diutius apud te noluisti. Equidem, si libere profiteri, quod sentio, debeo, facis tu profecto perbenigne, qui libros utiles studio tuo perquisitos et aere non exiguo coemptos non apud te privatim abditos esse pateris, sed liberali manu cum omnibus lubens communicas. Debeunt hoc nomine tibi tam litterae, quam litterati omnes ubique terrarum neque beneficia tua praedicare desinent, qui non elabores ipse tantum Apolline digna, sed etiam aliis ad usum publicum elucubranda suppedites et urgere non cesses, ut in iis velut extrudendis nequaquam segnes sese praebeant. Quod a me conferri potuit ad horum dialogorum editionem, non tantum dedi operam, ut exscriberentur, sed etiam exscriptos ad archetypum ipse per otium contuli. Qua quidem in re studium meum te probaturum confido libenterque praedis loco Bonfinium accepturum, donec elegantissimi Glycae ac Manassis Annales, quos iam ad umbilicum perductos publici iuris intra paucos menses faciemus, aere me tuo prorsus exsolvant. Tam enim diu tibi me obaeratum fatebor, dum tuo publicoque multorum desiderio longe percerimis illis historiis editis satisfactum fuerit. Vale. A. d. VIII. Eid. Mart.

— Fol. † 7v.: hoc carmen Leuvenclaii:

De Matthia Corvino rege et Ioanne Sambuco.
 Quod Persis Cyrus, quod Graiis magnus Achilles,
 Scipio Romulidis, Carolus Alemanis,
 Hoc fuit heroa virtute ac fortibus armis
 Praestans Pannoniis gentibus Huniades.
 Illius at quondam totum vulgata per orbem
 Cepisset posthac inclyta fama mori,
 Ni Sambucus opem ferret; dudum edidit ille
 Bonfini historias, dat modo Symposium.
 Quae quia perpetuo durabunt tempore, veras
 Corvini laudes fama loquetur anus.
 Quantum igitur magno Huniadi gens Ungara debet,
 Tantum Sambuco debet et Huniades
 Vel potius, paribus meritis quando obligat ambos,
 Lege viro debent rex populusque pari.

Leuvencla F.

— Fol. † 8r—v.: vacuum. — Pagg. 1—439. Symposion (Praefatio: pp. 1—16.; liber I.: pp. 17—128.; liber II.: 129—256.; liber III.: pp. 257—439. [Convivarum plausus: liber III., ss. 977—85.: pp. 437—39]) — Pag. innum. 440. et foll. E 4v—I 8r. (foll. 36): Index rerum atque verborum Antonii Bonfinii de virginitate et pudicitia coniugali Symposion (sic pro Symposii) locupletissimus. — Fol. I 8v.: vacuum.

Marginalia editioni desunt.

Non Sambucus, sed Leuvenclaius hanc editionem in lucem protulit; ipse Symposion describendum curavit et descriptum codici contulit, immo textum quoque correxit, quae coniecturae Leuvenclaianae admodum pretiosae aestimandae sunt. Variantes lectiones huius editionis, quae ad scripturam quoque attinent, in Annotationibus Criticis diligentissime collegimus.

Exemplaria huius editionis rara⁷⁸ sunt, etquidem in his bibliothecis inveniuntur: in Bibliotheca Apponyiana (in Bibliotheca Széchenyiana in Museo Nationali Hungarico, Budapest) duo exemplaria,⁷⁹ in Bibliotheca Academiae Scientiae Hungaricae (Budapest;

⁷⁸ Nobis tantum exemplaria Bibliothecarum Apponyianae (duo exemplaria) et Academiae Scientiae Hungaricae (mancum) videre contigit.

⁷⁹ V. comm. 77. — Apponyi, ed. Hung. no. 446. (pp. 296—97.), ed. Germ. no. 446. (pp. 302—03.).

exemplar in dedicatione Leuvenclaii mancum est),⁸⁰ in Bibliotheca Telekiana (Marosvásárhely, in Transilvania), in Bibliotheca Dioecessana Szatmáriensi (Szatmárnémeti, in Hungaria), in bibliotheca privata Elemérii Varjú (Budapest).⁸¹

b) *Editio altera.*

f — 1621., Maeno-Francofurtum. — *Tit.*: Fol.)?(1r.: Symposion trimeron sive Ant. Bonfinii de virginitate et pudicitia coniugali dialogi III nunc primum ex bibliotheca Ioan. Sambuci v. c. in lucem prolati. Libellum hunc tam ob facetiarum et historiarum varietatem iucundissimum, quam ob multiplicem eruditionem utilissimum emisse et legisse neminem poenitebit. Impensis Ioannis Caroli Unckelii librarii Maeno-Francofurtensis. Anno M. DC. XXI. — Fol.)?(1v. vacuum. — Foll.)?(2r–8r.: Dedicatio Sambuci ad Verantium et dedicatio Leuvenclaii ad Sambucum.⁸² — Fol.)?(8v.: Carmen Leuvenclaii.⁸³ — Pagg. 1–493. Symposion (Dedicatio: pagg. 1–18). — Pag. 494.: Francofurti, impensis Ioannis Caroli Unckelii librarii Maeno-Francofurtensis, typis Ioannis Frederici Weissii. (Imago quaedam.) Anno M. DC. XXI. — Fol. Z 1r.: Elenchus operum Bartholomaei Fontii. — Foll. Z 1v–2r.: Errata ad opera Fontii. — Foll. Z 2v–3v.: Errata ad Symposion Antonii Bonfinii.⁸⁴

Hic liber non solus, sed una cum libro opera Bartholomaei Fontii continenti in lucem prodiit, qui editioni Symposii praecedit; ambo libri nempe semper una quoque compacti sunt. *Titulus libri Fontiani*: Opera exquisitissima Bart. Fontii Florent. v. cl., familiaris Matthiae regis Pannoniarum ad illustriss. et celsiss. principem Augustum, Brunsvic. et Lunaeburg. ducem. Cum praefatione Georgii Remi ic.⁸⁵ et Noricae reipub. consilarii etc. Adcessit de Pudicitia et Coniugio Dialogus etc. Francofurti, sumptibus Ioannis Caroli Unckelii. Anno M. DC. XXI.

Et e pagina tituli libri Fontiani, cum de Symposio⁸⁶, et e fine Symposii, cum de Fontio⁸⁷ mentiones fiunt, clare elucet hos duos libros una (in uno volumine) esse editos.

Quod autem ad editionem Symposii attinet, marginalia, sicut ex editione b quoque, desunt, deest autem index quoque, qui editioni b inest. Haec editio f editione b tantum in scriptura et mendis typographicis differt; coniecturae aliquanti momenti in hac editione non inveniuntur. Ceterum editionem contulimus et omnes variantes (ad scripturam attinentes quoque) diligentissime collegimus et in Annotationibus Criticis assumpsimus.

Duo libri (opera Fontii et Symposion in uno volumine una compacti) satis rari sunt; exemplaria inveniuntur in Bibliotheca

⁸⁰ V. comm. 73.

⁸¹ Szabó—Hellebrant, p. 180. (no. 616.).

⁸² Editionem ambarum dedicationum v. apud editionem b.

⁸³ V. editionem carminis apud editionem b.

⁸⁴ Qui errata composuit, valde accuratus fieri voluit.

⁸⁵ Iurisconsulti s. iureconsulti.

⁸⁶ „Adcessit de Pudicitia et Coniugio Dialogus“. (V. paulo superius.)

⁸⁷ Fol. Z 1r.: „Elenchus operum Bartholomaei Fontii“ et foll. Z 1v–2r.: „Errata ad opera Fontii“. (V. paulo superius.)

Széchenyiana Musei Nationalis Hungarici, Budapest (sign. Opp. 428.) et in Bibliotheca Marciana Venetiis (sign. 145. c. 116.); quoddam exemplar Szabó—Hellebrant in Bibliotheca Gymnasii Elbingensis (Elbing in Prussia) memorant.

Nos certo credimus Georgium Remum non solum opera Fontii, sed etiam Symposion edidisse, quamquam nomen eius in tituli Symposii pagina non invenitur.

c) Editio particularis dedicationis Symposii.

Ábel, Eugenius (Jenő)—Hegedűs, Stephanus (István). *Analecta Nova ad historiam renascentium in Hungaria litterarum spectantia*. Iussu Academiae Scientiae ex scriptis Eugenii Ábel relictis cum commentariis edidit partimque auxit Stephanus Hegedűs. Budapestini, typis Victoris Hornyánszky. 1903. — In pp. 58–62. quaedam pars e dedicatione Symposii edita est, etquidem sentt. 1–33. (... flagrantius unquam: interrupta sententia). — Scire debemus in hoc libro permulta menda typographica et errores inveniri, Hegedűs enim, sicut e tituli pagina quoque elucet, haec *Analecta* post mortem Eugenii Ábel e scriptis eius relictis edidit, commentarios multoties ad falsum locum apposuit. Quod mendum et in commentario dedicationi Symposii appposito occurrit, ubi Hegedűs scribit Eugenium Ábel hanc praefationem ex editione Venetiana a. 1514. descripsisse et variantes lectiones codicis bibliothecae cuiusdam ab eo (Ábel) non nominatae (verisimiliter Laurentianae, ut scribit) addidit, quas perspicuitatis gratia ipse (Hegedűs) parenthesis clausit (cetera pars commentarii recta est, cum codicem c Budapestinum, tunc Viennensem, describit, quem Laurentianum-Florentinum Hegedűs crediderit). Certo scimus nec editionem Venetianam a. 1514. nec codicem Laurentianum exstare, sed tantum editiones a. 1572. et 1621. et codex Budapestinus (tunc Vindobonensis). E variantibus lectionibus autem constituere potuimus Eugenium Ábel non ambas editiones (a. 1572. et 1621.), sed tantum editionem Basileensem (a. 1572.) novisse.⁸⁸ E variantibus lectionibus et id certo statui potuit Eugenium Ábel primum partem dedicationis ex editione 1572. descripsisse et deinde codici Vind. (nunc Budapestinensi) descriptionem contulisse.⁸⁹ — Post partem dedicationis (p. 63.) novem versus inveniuntur, qui e quodam libro Venetiis a. 1514. impresso excerpti sunt,⁹⁰ unde omnes coniecturae falsae Stephani Hegedűs ortae sunt.

⁸⁸ Praef. Symp., sent. 7.: beatam cf, beatum b (v. nostras Annotationes Criticas), cum Ábel—Hegedűs scribunt: beatum (beatam). (V. textum nostrum paulo inferius, cui commentarium nostrum 89. adiunximus.)

⁸⁹ V. comm. 88.

⁹⁰ De tribus libris Athenaei est mentio (interpretatio e Graeco in Latinum), ut cer o videtur, Matthiae regi Hungarorum dedicatis et a. 1514. Venetiis editis, cuius codex autem nec inter codices Bibliothecae Corvinianae nunc existentes, nec inter codices Bibliothecae Corvinianae deperditos invenitur. (Catalogi codicum Bibliothecae Corvinianae: Hevesy et Bibliotheca Corvina et Hoffmann.) Inventum est igitur vestigium cuiusdam codicis Corviniani, qui nunc iam perditus est et in catalogo codicum Bibliothecae Corvinianae perditorum est assumendus. Requirenda est autem primum editio librorum III Athenaei e Graeco in Latinum traductorum et a. 1514. Venetiis impressorum,

d) De nostra editione.

Nos Symposion secundum codicem c edidimus, in quo per multae correctiones et rasurae inveniuntur. Quarum correctionum et rasurarum nigri et rubri colorum maior pars ab ipso librario, quas nos in Annotationibus Criticis „Corr.“, minor nigri coloris pars ab ipso Bonfine perductae sunt, quas nos in Annotationibus Criticis „sec. m.“ (secunda manus) significavimus. Bonfinis enim codicem, cum Neapoli accepit, perlegit et nonnulla menda correxit, quas correctiones necnon et librarii nos sine ulla dubitatione in textum assumpsimus, id est in textu corrigendo adhibuimus. Multas correctiones et rasuras, quae minimi momenti esse videbantur, in Annotationibus Criticis annotari supervacaneum esse putavimus. Correctiones tertiae manus, quae paucissimae sunt, tantum tunc accepimus, si menda evidentia fuerunt et oculos Bonfinis effugisse videbantur. — Si quae vocabula in codice colore rubro inscripta sunt, in Annotationibus Criticis praebemus (r. col.). Nomina interlocutorum primorum in scaena unaquaque, quae in codice non scripta sunt, et nomina personarum abbreviata nos in textu pleno nomine exscripsimus, ea autem in Annotationibus Criticis assumere opus esse non credidimus.

In textu corrigendo parci fuimus; qua in ratione nec editionem b, sed ne editionem f quidem secuti sumus. Tantum eos locos sanandos esse voluimus, quae menda librarii evidentia et Bonfinem fallentia esse videbantur. Qua ratione ducti secundum codicem c consulto inconsequentem scripturam et nomina in mendum detorsa damus praebemusque,⁹¹ immo menda ab ipso Bonfine ex inscitia (plerumque in textu Graeco) commissa corrigi nefas esse putavimus. Accentus erroneos vocabulorum Graecorum silentio, quin in Annotationibus Criticis memoravissemus, correximus.

Contulimus fidelissime editiones b et f et variantes lectiones ad scripturam attinentes quoque in Annotationes Criticas assumpsimus.

Marginalia certo ab ipso Bonfine⁹² ei manuscripto ascripta sunt, de quo codex c Neapoli descriptus est. Quae marginalia autem nos non marginibus apposuimus, sed separatim post textum edidimus, immo, si a textu in edendo deviamus, id quoque in Annotationibus Criticis significavimus. Abbreviationes marginalium (exempli gratia: Gn.: Gnoma) omnes exscripsimus. (Marginalia editionibus b et f desunt.)

Codicem c₁ quoque, id est duo folia inter describendum codicem Neapolitanum corrupta et textum finis Symposii continentia fideliter contulimus variantesque lectiones in Annotationibus Criticis assumpsimus.

Ceterum Apponyi⁹³ Symposion iterum edi necessarium esse putavit, quod et nos rectum iustumque esse arbitrati sumus.

⁹¹ Quas formas in Scriptura paulo inferius composita enumeramus.

⁹² V. comm. 36.

⁹³ Apponyi, ed. Hung., p. 297., ed. Germ., p. 303.

V. — *Bibliographia ad Symposion attinens (ordine chronologico).*

Quia in tomo 1. (pp. X—XI.) editionis Decadum Rerum Ungaricarum Antonii Bonfinis (in hac Bibliotheca) Fögel - Iványi—Juhász copiosam bibliographiam ad vitam et scripta Bonfinis praebuerunt, nos supervacaneum esse putavimus eosdem libros hic iterum enumerare. Nos igitur hoc loco tantum eos libros et tantum eas paginas librorum citatorum memoramus, qui ad Symposion attinent, eos autem libros, qui non ad Symposion attinent, in commentariis pleno titulo citamus. — Errores minores scriptorum in hac Bibliographia memora orum evidentes (ad Symposion attinentes) in commentariis, ne eos oneremus, unum post alterum refutari supervacaneum esse putavimus, qua de causa maiorem eorum partem aliquanti momenti in hac Bibliographia in fine singulorum librorum in parenthesis [] correximus.

Hanerus, Georgius Hieremias. De scriptoribus rerum Hungaricarum et Transilvanicarum scriptisque eorundem antiquioribus ordine chronologico digestis adversaria. Vienna, 1774, p. 88.

Kemény, József. Bonfinius élete és munkái (De vita scriptisque Bonfinii). In periodico: Új Magyar Múzeum (Museum Hungaricum Novum), t. 4. (1854.), Pest, pp. 251—52.

Csontosí, János. A bécsi udvari könyvtár hazai vonatkozású kéziratai (De manuscriptis ad Hungariam pertinentibus et in Bibliotheca Caesarea Vindobonensi asservatis). In periodico: Magyar Könyvszemle (Conspectus librorum Hungaricus), t. 9. (1884.), Budapest, p. 182.

Csontosí, János, Mátyás és Beatrix archépei Corvin-codexekben (De imaginibus Matthiae regis et Beatricis in codicibus Corvinianis). In periodico: Archaeologiai Értesítő (Nuntius Archaeologicus). Budapest, t. 8. novae seriei (1888.), pp. 312—13. — Separate impressum, pp. 34—35. — [Csontosí dicit codicem verisimiliter a Bonfine nostro esse descriptum et fortasse non hunc codicem esse Beatrici traditum.]

Schönherr, Gyula (Iulius), Hunyadi Corvin János. (De Iohanne Corvino de Hunyad.) 1473—1504. In serie: Magyar történeti életrajzok (Vitae historicae Hungaricae). Szerkeszti Szilágyi Sándor (Redigit Alexander Szilágyi). Budapest, 1894., p. 142. (C initialis cum imagine Beatricis e codice Corviniano Symposii.)

Szabó, Károly—*Hellebrant*, Árpád. Régi Magyar Könyvtár (Bibliotheca Hungarica Vetus), Budapest, t. 3., pars 1., 1896., no. 616. (p. 180.) et no. 1327. (pp. 392—93.). — [De erroribus v. comm. 73.]

Apponyi, Sándor, Hungarica. Magyar vonatkozású külföldi nyomtatványok (Hungarica. De impressis exterarum nationum ad Hungariam attinentibus). Budapest, 1900., t. 1., no. 446. (pp. 296—97.). — Idem Germanice: *Apponyi*, Alexander, Hungarica. Ungarn betreffende im Auslande gedruckte Bücher und Flugschriften. München, 1903., t. 1., no. 446. (pp. 302—03.).

Békesi, Emil. Magyar írók Hunyadi Mátyás korából (Scriptores Hungari tempore Matthiae Corvini de Hunyad). In periodico: Katholikus Szemle (Conspectus Catholicus), Budapest, t. 16. (1902.), p. 329. — [Békesi falso scribit ambas editiones (a. 1572. et 1621.) Sambucum curavisse, cum ne primam quidem Sambucus edidisset.]

Császár, Mihály. A magyar művelődés a XV. században Antonio Bonfini Rerum Hungaricarum Decades-ének alapján (Cultura Hungarica saeculo XV. secundum Rerum Hungaricarum Decades Antonii Bonfinis). Budapest, 1902., pp. 13. et 19—20.

Ábel, Jenő—*Hegedűs*, István. Analecta nova ad historiam renaissance in Hungaria litterarum spectantia. Budapest, 1903., pp. 58—62.

Weinberger, Wilhelm. Beiträge zur Handschriftenkunde. I. (Bibliotheca Corvina.). In serie: Sitzungsberichte der Kais. Akademie der Wissenschaften in Wien. Philosophisch-Historische Klasse. 159. Band, 6. Abhandlung. Wien, 1908., pp. 73—75.

Berzeviczy, Albert. Beatrix királyné (Regina Beatrix). (1457—1508.). In serie: Magyar történeti életrajzok (Vitae historicae Hungaricae). Budapest, 1908., pp. 50—51. (comm. 3.), 285. — Idem Franco-Gallice: A. (Albert) de Berzeviczy, Béatrice d'Aragon, reine de Hongrie. 1457—1508. Introduction par Gustave Heinrich. In serie: Bibliothèque de la „Revue de Hongrie“, voll. 2: III—IV., Paris, 1911—12.

Orbán, János, Sámbohy Jánosról (De Iohanne Sambuco). Szeged, 1916., p. 66.

Hevesy, A. (André) de, La Bibliothèque du roi Matthias Corvin. In serie: Publications de la Société Française de Manuscrits à Peintures. Paris, 1923., pp. 19. 44. 79. — [Hevesy erronee dicit codicem a Bonfine esse descriptum et ab eo a. 1485. (pro 1486.) Beatrix esse traditum, p. 79.]

Bibliotheca Corvina. Mátyás király budai könyvtára (Bibliotheca Budensis Matthiae regis Hungariae). Írták (scripserunt) † Fraknói Vilmos (Guilelmus Fraknói), Főgel József (Iosephus Főgel), Gulyás Pál (Paulus Gulyás) és (et) Hoffmann Edith (Editha Hoffmann). Szerkesztették (redigerunt) Berzeviczy Albert (Albertus Berzeviczy), Kollányi Ferenc (Franciscus Kollányi), Gerevich Tibor (Tiberius Gerevich). Budapest, 1927., pp. 16., 63. (no. 37.), 90. (comm. 27.), 153. (facsimile fol. 1r. Symposii). — Idem Italice: † Guglielmo Fraknói, Giuseppe Főgel, Paolo Gulyás, Edit Hoffmann. Bibliotheca Corvina. La biblioteca di Mattia Corvino re d'Ungheria. Per cura di Alberto Berzeviczy, Francesco Kollányi, Tiberio Gerevich. Traduzione dall'ungherese di Luigi Zambra. Budapest, 1927., pp. 17., 81. (no. 135.), 99. (comm. 27.). 165. (facsimile fol. 1r. Symposii). — [Erronee dicitur Bonfinis a. 1485. (pro. 1486.) symposion Beatrici tradidisse. Hung. p. 16.; Ital. p. 17. — Falso scribitur nomen Bonfinis in Symposio Antonius de Bonfinis esse scriptus, cum in Symposio ubi que Antonius Bonfinis inveniatur (Hung., p. 63. [no. 37.], Ital., p. 81. [no. 135.]). — Falso scribitur codex Symposii Corvinianus manualis Bonfinis fuisse (ibidem); cf. Csontos, 1888. (Bibliographia nostra.)]

Hoffmann, Edith, Régi magyar bibliofilek (Bibliophili Hungari veteres). Budapest, 1929., p. 99. (no. 37.). — [Hoffmann erronee dicit codicem ante a. 1485. (pro a. 1486. ineunte) esse perfectum.]

A bécsi gyűjteményekből Magyarországnak jutott tárgyak kiállítása a Magyar Nemzeti Múzeumban (De operibus artificibus, quae e collectionibus Viennensibus Hungariae obvenerant et in Museo Nationali Hungarico exponerantur). Budapest 1933., p. 34. (no. 25.) et Appendix, no. 6. (facsimile fol. 1r. Symposii). — [Erronee dicitur Bonfinis a. 1485. codicem Beatrici tradidisse.]

Horváth, János, Az irodalmi műveltség megoszlása. Magyar humanizmus (De cultura litteraria divisa Humanismus Hungaricus). In serie: A Magyar Szemle könyvei (Libri Conspectus Hungarici), t. 12. Budapest, 1935., pp. 148., 149., 157., 158., 159.

Várady, Emerico, Relazioni di Giovanni Zsámboky (Sambucus) coll'umanesimo italiano. In periodico: Corvina, Budapest, annus 15., t. 29–30. (1935.), p. 39. — Separate impressum, Budapest, 1936. (sic pro 1935.), p. 39.

Bonfinis, Antonius de, Rerum Ungaricarum Decades, ediderunt I. (Iosephus) Főgel et B. (Bela) Iványi et L. (Ladislaus) Juhász, t. 1. (Leipzig, 1936.): d. 1., lib. 1., sent. 90.; t. 4. (Budapest, 1941.): d. 4., lib. 4., sent. 38., lib. 7., sent. 180.

Főgel, Sándor, Mátyás király történetírójáról (De historico Matthiae regis, sc. Bontine). In annali scholastico: A Budapesti V. kerületi M. kir. Állami Bolyai-Gimnázium Évkönyve. Közétette: Főgel Sándor (Annalis Gymnasii de Bolyai nominati regii Hungarici in urbe Budapest in circuitu V. Redegit Alexander Főgel). Budapest, 1940., pp. 11., 13. — Idem separate impressum, pp. 2., 4.

SCRIPTURA.

Cum codicem ab ipso Bonfine perfectum et correctum sciremus, ideo codicem in textu edendo accuratissime sequi fas esse putavimus et tantum eos locos mutandos et sanandos et corrigendos duximus, ubi menda erroneeque insculptae vel negligentiae librarii tribue. d. essent et Bonlinem, cum codicem emendandi causa perlegit, fugissen. Qua ratione ducti non solum scripturam Bonfinianam eandemque inconsequentem vocabulorum, quorum paene omnium scriptura classica in Annotationibus Criticis inveniri potest, sed etiam in nominibus propriis menda evidenter, quorum recta forma maiorem partem in Annotationibus Criticis, plene autem in Indice Nominum inveniri potest, in textu intacta reliquimus, id est, consulto non mutavimus corremusque.

Formas etymologicas nonnullis exceptis reliquimus, scripsimus igitur tantum faelix, Aegyptus, religio, hilarare et non memoravimus infaelix, faeli-

citās, Aegyptius, religiosus, ilaritas etc., immo e derivatis vocabulis tantum formas etymologicas scripsimus, pro coarctare igitur et debachari scripsimus tantum arctare et bachari etc.

Nomina propria omnia a scriptura classica deviantia enumerare necessarium esse putavimus, cetera autem vocabula omnia enumerare supervacaneum esse arbitrati sumus.

Scripsit igitur Bonfinis :

a pro e: Vaspasianus (*et* Vespasianus)
a pro o: cacadaemon (cacodaemon),
Eurilacus *et* Eurialus (Eurylochus), metropolitā (metropolitā)

a pro —: Agraula (Agraula)

ae pro a: Ptholomaeis (Ptolemais)

ae pro e: Achadaemicus (*et* Achademius *pro* Academicus), Aedepol, adere (*etym.* com-edere, *non*: e-dare), Aegeria, Aenaeas (*et* Eneas *pro* Aeneas), Aetruria, Apaeninus (Appenninus), Caecrops, Caelliberi, caena, caepisse (*etym.* capere), caeteri, Caetus, faecundus, faelix, faemina (*et* femina), faetus -us, Haebreis (*et* Hebraeus *pro* Hebraeus), Homerius (*et* Homerus), idaea (*et* idea), Macedonia (*et* Macedonia), Maedi, Medaea (*et* Medea), plebaeus, sincaeritas, Sophoclaeus, Tarpaeia, Vaestalis (*et* Vestalis)

ae pro oe: amaeus, caepisse (*et* cepisse), Craesus (*et* Cresus), faedus -a -um (*et* fedus), faetidus, maecchari (moecchari), Maesia (*et* Mesia), Paeni (*et* Peni), paenitentia (*et* penitentia), Phaebus, phaenix *et* faenix (phoenix), praelium

e pro a: Acrites, Besternae (*et* Basternae), inseperabilis (inseparabilis), opiperae, Phernatia (Pharnacia), Terraconensis (Tarraconensis), Zeleucus (*et* Zaleucus)

e pro ae: *decl. I. sing. gen., dat. et pl. nom.*: Aragonie, castimonie, columne, contumelie, domine, tenebre, Thermopylae etc.; Alceus, anapestus, Belica, cecare, Cecilius, cedere (caedere), celebs (caelebs), Celius, celum (*et* caelum), Ceninensis (Caeninensis), cenum, Ceronia (Chaeronea), Cesar (*et* Caesar), edificium, Egaeus *et* Egeus (*et* Aegaeus *pro* Aegaeus), eger (aeger), Egina, Emilius, emulari, Eneas (*et* Aenaeas *pro* Aeneas), Ephestio (Hephaestio), equus (*et* aequus), Equus, Equiculus, Erithrea (Erythraea), Esopus (*et* Aesopus), extuare (*et* aestuare *pro* aestuare), Getulia, Greci (*et* Graeci), Hebreus *et* Haebreis (*et* Hebraeus *pro* Hebraeus), hec, Iudea (*et* Iudaea), Lacedemonius (*et* Lacedaemonius), Lacena (Lacaena), Lelius, Matheus, Meotis, Methymneus (Methymnaeus), Paestinus, pedia, Pelignus, pene (paene), Phedon, Phedrus

et Fedrus (Phaedrus); pre-: prebere, preclarus, premunire, presens, prestare, preter etc.; premium, quesere (quaesere), questio, Kethi *et* Rheti (Raethi), Sabeus (*et* Sabaeus), Scevola, sphaera, teda, teter

e pro ee: elemosina (eleemosyna)

e pro ei: Parthenopeus (Parthenopeus)

e pro i: conmessari *et* conmesari (comissari), Perithous, vendicare (*et* vindicare *pro* vindicare)

e pro is: Alceste (Alcestis)

e pro oe: Celius, cepisse (*et* caepisse), Cresus (*et* Craesus), Edipus, fedus -a -um (*et* faedus), fedus -eris, fetidus, Menetius (Menoetius), menia, Mesia (*et* Maesia), Peni (*et* Paeni), penitentia (*et* paenitentia), Phenices (Phoenices), preliari

i pro e: Ariopagita (Areopagita), Aristotiles (*et* Aristoteles), benivolentia (benevolentia), Ceronia (Chaeronea), Crathesidia *et* Cratisidia (Cratesiclea /sic/), Dioclianus (Diocletianus), intelligere (intellegere), Hypsicratia (*et* Hypsicratea *et* Hipsicratea *pro* Hipsicratea), linimentum (lineamentum), Mauritania, Virgilius (*et* Vergilius)

i pro o: Megalipolis

i pro u: Genitius (Genucius), Silla (*et* Sulla *et* Sylla)

i pro y: Aegyptus *et* Aegitus (Aegyptus), Aminthas (Amyntas), Androgides (Androcydes), Apocalipsis (Apocalypsis), archetipus, Arctophilax, Asilum (Asyla), Assiria (*et* Assyria), Babilionii (*et* Babylonii *et* Babylonii), Bathionia *et* Bactonia (Bathyonia), Bizantium, Calipso, chrisendetos, Chrisis (Chrysis), Cinicus (Cynicus), Ciprus, Cirenaica (*et* Cyrenaica), Cirilla (*et* Cyrilla), clepsidra, Cynniras (Cinyras), dissenteria (dysenteria), Dionisius *et* Dyonisius (*et* Dionysius), Doriphorus, elemosina (eleemosyna), Endimion (Endymion), Erithrea (Erythraea), Euridice (Eury-), Eurilacus *et* Eurialus (Eurylochus), Euriptolemus, Hiacinthus (Hyacinthinus), Hipsicratea (*et* Hipsicratea *et* Hipsicratia *pro* Hipsicratea), Hyerosolima (Hierosolyma), Hyppolitus (*et* Hippolytus *pro* Hippolytus), Iacinthus (Hyacinthus), Iapigia (Iapygia), Idruntum (Hydruntum), Iginus (Hyginus), Iliricum (*et* Illyricum), Libi-

cus (Libycus), Lidia (Lydia), Minias (Minyas), Mitileneus (Mytileneus s. Mytileneus), misterium (mysterium), Olympias (Olympias), Phitia (Pythia), Phrigius (*et* Phrygius), Pilades, Polixenus (*et* Polyxenus), Sichaeus, sicophantia, Siphax, Siracusanus, Sybilla (Sibylla), Trasibulus (Thrasybulus), Triphon *et* Trifon (Tryphon)

i pro yi: Oriithia (Orithyia)

i pro —: Dionysius (Dionysus)

li pro i: dii, Essenii, hii, hiis

o pro a: Gotolani (Gothalani)

o pro au: Plotius

o pro e: Ptholomaeis (Ptolemais), Ptholomaei *et* Ptholomei (Ptolemaei), Ptholomaeus *et* Ptholomeus (Ptolemaeus)
o pro u: adolescens, Aristobolus (Aristobulus), iocundus (*et* iucundus), Pesinonte (Pessinunte, *sing. abl. e* Pessinus), soboles (suboles)

oe pro oeo: Boetia

u pro e: percullere

u pro i: Brundusium (Brundisium)

u pro o: Epaminondas, parabula

y pro i: Aethyopia (*et* Aethiopia), Callymachus, (Callimachus) Chymericus (Cimmerius), consyderatio, Cymber (*et* Cimber), Cynegyus (Cynegirus), Cynniras (Cinyras), Cyra (Cirrha), cythara, delyrare, desyderium, Dyon (*et* Dion), Dyonisius (Dionysius), Hyarbas (Iarbas), Hyberia (Iberia), hyems, Hyeremias (*et* Hieremias *pro* Ieremias), Hyerosolima (Hierosolyma), Hyppolitus (*et* Hippolytus *pro* Hippolytus), Hispania (*et* Hispania), Hyster, lachryma (lacrima), Lyguria, Matthias (*et* Matthias *et* Mathias), Parthya, Pyctacus (Pittacus), Pyn-darus, Pythias (Phintias), Statyra (*et* Statura), Sybilla (*et* Sibylla), sydus, symplex, Syon, Thymoclia (Timoclia), triumphare (*et* triumphare), Tyberis, Tyberius, tybia, Ulyxes *et* Ulysses (*et* Ulixes *pro* Uixes), Heraclytus (*et* Heraclitus)
y pro u: Sylla (*et* Sulla *et* Silia *pro* Sulla)

b pro —: obsculum

c pro ch: Anthiocus *et* (Antiochus), Caldaeus *et* Caldeus (*et* Chaldaeus *pro* Chaldaeus), Carybdis, Ceronia (Chae-ronea), Eurilacus (*et* Eurialus *pro* Eurylochus), melancolia, Plutarcus, sthoma-cus (stomachus)

c pro g: Calicola *et* Callicola (Caligula)

c pro qu: condam

c pro t: fecialis, Milciades, nunciare (*et* nuntiare), ocium, speciosus

c pro —: Chymericus (Cimmerius)

cc pro c: imbecillitas *et* inbecillitas

(*et* imbecillitas *pro* imbecillitas), Occeanus (*et* Oceanus)

cc pro cch: baccari, Graccus

cc pro dc: iccirco

cch pro ch: maecchari (moechari), Zaccharias (*et* Zacharias)

ch pro c: Achademicus *et* Achadaemicus (*et* Academicus), Archadi, archanus, Archesilaus, Chorinthius (*et* Corinthius), Chymericus (Cimmerius), lachryma (lacrima), Orchades (*et* Orcades), schyta (*et* Scythia *et* Sytha *pro* Scytina), sepulchrum, Turchus (*et* Turcus *et* Thurcus *pro* Turcus)

ct pro c: Lyctius (*et* Lylius *et* Litius *pro* Lycius), solactium

ct pro t: arctare, arcteria, Maumectanus, mulctare, palactium, victuperare

ct pro th: Bactionia (*et* Bathionia *pro* Bathyonia), Pythagoras (*et* Pythagoras)

ct pro tt: Acticus (*et* Atticus), Galeoctus (*et* Galeotus), guctur, Pyctacus (Pitacus)

cch pro th: Pythagoricus (*et* Pythagoricus)

f pro ph: Bucefala (*et* Bucephala), faenix (*et* phaenix *pro* phoenix), Fedrus (*et* Phedrus *pro* Phaedrus), Focas, Triton (*et* Triphon *pro* Tryphon)

g pro c: Androgides (Androcydes), Lygurgus (*et* Lycurgus)

h pro —: abominari (*et* abominari), cohercere, habundus, haedem (eaedem), Herebeus, heremus, Hieremias (*et* Hyeremias (Ieremias), Horpheus (*et* Orpheus), hostium, Hyarbas (Iarbas), Hyberia (Iberia)

i pro II: Apolonia (*et* Apollonia), Helespontia, Paulus, Salustius

II pro I: Babylonii *et* Babilonii (*et* Babylonii *pro* Babylonii), Calicola (*et* Calicola *pro* Caligula), ovillis, religio (*et* religio), tollerare (*et* tolerare)

II pro nl: Malius

m pro mm: Chymericus (Cimmerius), sumare — com- (con-m-, com-m-): comentari, comittere, comodus; im- (in-m-, im-m-): iminere, imolare

m pro n: identidem (identidem), septemtrio

mb pro mm: numbus

mm pro m: Numma (*et* Numa), om-mittere, summere (*et* sumere)

mn pro nn: amnona, tyrannis (*et* tyrannis)

mp pro n p: impace (in pace)

n pro nn: Apaeninus (Appenninus), Britannia (*et* Britannia *et* Brittannia *pro* Britannia), Cincinatus (Circinnatus), Hanibal

nb pro mb: inbecillitas (*et* imbecillitas *et* inbecillitas *pro* imbecillitas)

nm pro m: conmessari *et* conmesari (comissari)

nm pro mm: conm-: commemoratio, commendare, commentari, commodus, communis *etc.*; inm-: inmanis, inmeritus, immortalitas *etc.*

nn pro mn: hynnus (*et* hymnus)

nn pro n: Cynniras (Cinyras), Danubius (*et* Danubius), Neptunus

np pro mp: inp-: imprudens

nr pro rr: inr-: inrationalis

p pro ph: Pythias (Phintias)

p pro pp: Apaeninus (Appenninus), Capadocia, opidum, oportunus

ph pro f: phas (*et* fas), nephas, pheles

ph pro p: Phitia (Pythia)

ph pro pph: Sapho

pl pro bl: pupicus

pp pro p: Appuli, coppulare, duplex (*et* duplex), supremus

ps pro ss: iupsisse (*et* iussi-se)

pt pro ct: Optavianus (*et* Octavianus)

pt pro tt: sagitta

r pro —: Vetruria (Veturia)

r pro rh: Rodius, Rodope, Roxana *et* Roxane

r pro rr: Aruns; inter- (*et* inter r-): interrogare

rh pro r: Rheti (*et* Rethi *pro* Raethi)

rr pro r: corruscatio, Terrentius

rr pro rrh: Cyrra (Cirrha), myrra, Pyrra

s pro —: as- (*ad*-s-): ascribere

s pro sc: des- (*de*-sc-): desiscere; Sytha (*et* Scytha *et* Schyta *pro* Scytha)

s pro ss: Blossius, Casandra (*et* Casandra), conmessari (*et* conmessari *pro* comissari), Mesenius (*et* Messenius), Pesinonte (Pessinunte, *sing. abl. e* Pesinus)

s pro x: Aristosenus (Aris'oxenú-), mistio, Sistus *et* Xistus (*et* Sixtus *pro* Sixtus), Zeusis; e- (*ex*-s-): esupear

sc pro c: commuiscare

ss pro s: Artabassus; diss- (*dys*-): dissenteria (*dys*enteria); Nassamon (*et* Nasamon), Possidonius

ss pro x: Brissia, Ulysses (*et* Ulixes *et* Ulyxes *pro* Ulixes)

t pro c: auspitium, Cilitia, conditio, contumacia, cruiare (*et* cruciare), delitiae, Detius, Fabritius, Geniius (Genucius), inditium, Lutius (*et* Lucius), Lylius *et* Litius (*et* Lyctius *pro* Lycius), mendatium, Minutius, patritius, pernitias (*et* pernicias), perspicatior, pertinacia (pertinacia), Phernavia (Pharnacia), Portia, provintia (*et* provincia), Sityon, sotiare, species (*et* species), Sulpitius, Thratia (*et* Thracia)

t pro et: autor (*et* author), instintus (instinctus), Leutra

t pro pt: Aegitus (*et* Aegyptus *et* Aegiptus *pro* Aegyptus)

t pro th: Agata (*et* Agatha), Agatyrsi, Catarina (*et* Catharina), Gotolanus (Gothalanus), Hiacinthus (Hyacinthinus), Iugurtinus (*et* Iugurtha), Leostenes, Maraton (*et* Marathon), Mithridates (*et* Mithridates), Pnitia (Pythia) Schyta (*et* Scytha *et* Sytha *pro* Scytha), Tales, Tecla, Testha (Thesta), Trasibulus (Thrasybulus)

t pro tt: Atis s. Atin, oblitterare

th pro ct: author (*et* autor)

th pro t: Admethus (*et* Admetus), Aminthas (Amyntas), Anthiocus (Antiochus), Anthiope, Crathesidia (*et* Cratistidia *pro* Cratesiclea), Iethum, Panthus, Peripatheticus (*et* Peripateticus), Ptholomaei (*et* Ptolomaei *pro* Ptolemaei), Ptholomaeis (Ptolemais), Pythias (Phintias), sthomacus (stomachus), Thaurus, Thelesippa, Testha (Thesta), Thriamegistus, Thymochia (Timocla), Thurcus (*et* Turcus *et* Turchus *pro* Turcus)

tt pro bt: ot-t- (*ob*-t-): otticescere, ottulisse

tt pro t: Britannia *et* Brit'ania (*et* Britannia *pro* Britannia), littus, quotidie, quotidianus

v pro —: Vulpianus

x pro s: extuare (*et* aestuare *pro* aestuare), Lyxander, sexcenti, Theodoxius, Xeraphicus, Xistus (*et* Sixtus *et* Sistus *pro* Sixtus)

x pro ss: prexisse

z pro x: Zenophon

— **pro a:** Atlanta (Atalanta)

— **pro ae:** Platenses (Plataeenses)

— **pro e:** haedem (caedem)

— **pro i:** Carthaginensis (Carthaginiensis), Tarquinus (Tarquinius)

— **pro h:** Adria (Hadria), Adrubal (Hasdrubal), Amilcar (Hamilcar), aureire (*et* haurire), ebdomas (hebdomas), Eliogabalus (*et* Heliogabalus), Ephestio (Hephaestio), eptaphonos (heptaphonos), exas (hexas) Iacintus (Hyacinthus), Idruntum (*et* Hydruntum), Iginus (Hyginus), ilarare (*et* hilarare), ilaritas (*et* hilaritas), Ilario (*et* Hilario), olocaustum (holocaustum), Oratius (Horatius), Unni (Hunni)

— **pro l:** Coelia (Cloelia)

— **pro n:** Antonius (Antoninus), coniux (coniunx), Pythias (Phintias)

— **pro ni:** Valentinianus (Valentinianus)

— **pro s:** Adrubal (Hasdrubal), Chersonesus (Chersonesus)

— **pro v:** Hellus (Helvius)

ANTONIUS BONFINIS
SYMPOSION
DE VIRGINITATE ET PUDICITIA CONIUGALI

PRAEFATIO AD BEATRICEM ARAGONIAM

Cum Italia parens artium et scientiarum officina in clarissimo 1
matronarum genere nihil habeat, quo tantum hoc tempore gloriari
possit, quantum tui serenissimi nominis celebratione, quod caeteris
externarum nationum laudibus cuiusque virtutis excellentia suo iure
debet anteferri, faelix ac fausta tua serenitas et celeberrima fama,
quae totam iam diu et adhuc personat Hesperiam, me in Latinarum
ocio litterarum diutius torpere non permisit, cum celebratorem tui
nominis, quantuluscunque forem, esse coegerit. At ne inmerito qui- 2
dem. Sperabam enim cum divino ac beatissimo tuo nomine hu-
militatem quoque meam illustrare ac tradere immortalitati. Nam, 3
cum aliis facta, aliis dicta naturae beneficio concessa sint, quam-
vis in utroque genere praestas, quia, quicquid sanctitatis et gloriae
in faemineo sexu concipi potest, indulgentissima tibi natura tribuit,
ego tamen dedi operam, ut, quaecunque faustissimi de serenitate
tua e septemtrione ad aures meas suscitati rumores attulerint, ea
dicerem predicaremque ac demum litteris commendarem et non
solum de te, sed de divo quoque Matthia invictissimo ac sanctis-
simo rege, coniuge tuo pariter scriberem, cum potentissimo utrius-
que numini inbeccillum hoc meum insudaturum esset ingenium.
Quin etiam, antequam ad senium declinarem, utriusque serenitatem 4
praesens omnino visitarem, ne tam divo spectaculo, quod raro deus
mortalibus exposuit, mea lumina defraudarem. Quodsi huiusce la- 5
boris causas celsitudini tuae intelligere libuerit, ab utriusque no-
mine profluat argumentum. Matthias enim dei donum Hebraice 6
interpretatur, de cuius sapientia, virtute ac gloria alibi dicere non
solum est animus, sed in celebrationem serenitatis suae ad senium
usque meum desudabit ingenium. Beatrix vero quid significet, 7
facile quisque Latinus intelligit, cui quidem nomini tantum numi-
nis inest, ut non solum te beatam, sed, quae alios beare possis,
ostendat. Singularis ordo virtutum et sanctissima pudicitia te beat 8
universam, clementia vero ac pietas et profusa munificentia non
mediocrem aliis beatitudinem elargitur. Serenitatem tuam excolit 9
beat non solum completissima turba virtutum, sed corporis forma
cum ingenti venustate coniuncta, divina quaedam serenitas vultus
et hilaritas, in cuius conspectum nemo venit, qui non aut reverentia
nimia confundatur aut mox serena alacritate recreetur. Nam, si a 10
prudencia summatur initium, quae omnium virtutum moderatrix et

magistra esse censetur, quid ingenio tuo sagacius? quid perspicacius? quid circumspectius? quid consultius invenietur? Quod 11 virorum pace dixerim, ne inter eos quidem alterum poterit inveniri, quippe cuius tanta videtur esse dexteritas, ut ex tempore semper veluti ex proxima officina cuncta sapientissime dicta ac facta depromantur. Dictorum argutia homines obstringis, lenitatem pro loco 12 praefers, spem ostendis, gratias pro dignitate impartiris, severitatem pro tempore induis cunctaque prudentissime operaris et dicis; prospicis futura et incauta nunquam inveniris, cui promptum consilium semper et perquam salutare. Abominaris inconsultum verbum 13 praecepsque consilium, quod mox paenitentia subsequatur. In consultando semper imprimis, quod aequum sit et sanctum, intendis; quin et numina consulis semper aequitatis. Ex quo fit, 14 ut neque dictum neque factum de serenitate tua possit intelligi, nisi quod in annales referri debeat. In disponendis autem rebus et in regendo regno tanta sapientia uteris et diligentia, ut ad salutem gentium et gubernationem nata videare. Gravissimam regni 15 molem cum invictissimo viro pariter subivisti, qui, cum sapientiae tuae altitudinem iam diu habuerit exploratam et in gravissimis belli curis semper occupetur, comissa tibi gubernatione in dies imperii fines amplificat amplificadosque tibi regendos instituendosque relinquit. Expugnavit rex ille invictissimus Vianam Austriae metropolim et Rethos Vindelicosque pene totos occupavit, te autem 16 Vianae reliquit subactaeque provinciae curam dispositionemque dimisit. Insuper bellantem saepe regem in expeditionem sequeris castraque duplici ductu auspitiisque reguntur. Saepe educta acie, 17 cum est cum hoste conserenda manus, in uno rex, in altero regina Beatrix cornu praefuit et habita contione milites cohortata suavissime vehementia orationis usque adeo ad bellum militum animos irritavit, ut de pari quandoque victoriae laude cum dulcissimo rege suo contenderet. Obsidebatis quandoque pariter opida 18 et opidani concitatissima regis oppugnatione perterriti deditionem tibi faciebant, ad te aequae ac ad deam dominamque mitissimam confugiebant. Saepe, qui obstinatius restiterant et saevientis regis 19 praelium ultra tollerare non poterant, suae imprudentiae paenitentia ducti e menibus clementiam tuam elatis manibus invocabant. Saepe mulieres, quae viris liberisque timebant, sparsis crinibus et 20 profusis ululatibus e muro tuam opem et misericordiam implorabant et intercessione tua a severitate regia incolumitatem, patriam et fortunas impetrabant. Tu autem Mitridatis Hypsicrateam aemulata 21 amantissimo regi semper aderas et te suavissimam domi forisque sociam comitemque prestabas et ita prestabas, ut gravissimos belli labores praesentia tua redderes longe leviores. At hoc iure quidem, cum domi militiaeque consilio nimium valeas et sapientia.

Quanta autem iustitia et aequitate polleas, nimirum referre est 22 prorsus impossibile. Omni officiorum generi cumulatissime satisfacis. In deum nanque religiosissima et in caetera numina piissima esse praedicaris. Omnes profecto sacerdotes sacrae orationis assi- 23

duitate ac innocentia vitae omnium iudicio superasti; quin etiam Eleusina sacra, quibus nemo nocens adesse poterat, si repeterentur in usum, tuae potissimum innocentiae ac puritati committerentur. Nullus dies praeterit, quo rite non supplices templaque frequentes; ne hora quidem, qua divinum non celebres officium. 24
Mentem impollutam sanctamque conservas, in qua verum dei tabernaculum statuisti, ubi Iesus inhabitat et immaculata virgo, unde tanta lux, splendor, sapientia et gratiarum copia tibi defluit, ut et Beatrix et beata possis a cunctis gentibus appellari. In tuos autem 25
parentes usque adeo pia, ut pro alterius anima, pro vita quoque alterius rem divinam quotidie facias. Qua quidem pietate Martium 26
Coriolanum et Epaminundam superasti, item Cleobi et Bitoni fratribus anteponenda es, qui tardantibus bobus ipsimet submisso collo parentem suam curru insidentem ad Iunonis templum et sacra traxere. Quare usque adeo Ferdinando placuisti patri, ut, cum te 28
ad virum praefecturam ex Neapolitana arce spectaverit deosculantem parietes ianuasque et triumphales maiorum imagines amplexantem, prae nimia paene charitate expiraverit nec migranti filiae praeter osculum quicquam proferre potuerit; ac relatus in regiam vix caeterorum liberorum amplexu refoveri, vix sapientum optimatum consilio respiscere potuit exclamans Beatricis habitu sibi quoque animam et potissimas vitae delicias abiisse. Item in fratres caeterosque tuos usque adeo pia, ut nihil unquam sit visum benivolentius. Ad mentionem nominis et victoriarum Alfonsi ducis exultas, quem unicum habet Italia defensorem, bellatorem acerrimum nostri saeculi, quem ecclesia Romana apostolicusque senatus propagnatorem suum ac perpetuum ecclesiastici exercitus imperatorem elegit. Commemoratione Federici praefecti regiae classis admodum exilaris. 30
Cardinalis modestia et sanctitate gloriaris nec minus Francisci tui mansuetudine gaudes et affabilitate, qui, quando in tuo gremio et apud tuum regem educatus est, divinos utriusque maiestatis mores refert. Ad illustrissimae Leonorae sororis mentionem 31
prae nimio pietatis affectu collasrimasti, contra vero hi omnes ad memoriam tuae maiestatis et viri praegestiente laetitia exilarantur et plaudunt atque non solum exclamant, sed nomen utriusque venerantur et adorant. Qua fide, prudentia, charitate, sanctimonia 32
et ingenii dexteritate cum divino viro versere, ne ulla quidem compositae et copiose eloquentia dixerit. Nam, quando tui similem divino 33
consilio vitae fortunaeque consortem sortita es, quo quidem faelici coniugio, quando non solum utriusque beatitudo, sed Italiae gloria et populorum ac gentium incolumitas oritur, nihil unquam coniunctius, nihil amantius neque flagrantius unquam auditum est, quando alteri procul ab altero vivere non licet, non secus, ac si ab una eademque anima utriusque vita duceretur. Hinc viri splendor, 34
sapientia, comitas et triumphus, hinc uxoris dexteritas, pudicitia, prudentia et sanctitas amorem augent.

Concurrunt ingenia utriusque eruditissima et omnium scientiarum genere ornata; concurrunt spectatissimus virtutum omnium

chorus. Illud aulem dictum non tam salse, quam probe a te pro- 36
 latum praeterire non possum. Nam saepe interrogata, cur virum non
 modo in expeditionem, sed usquequaque sequaris, facetissime re-
 spondere soles: Ne illi faciam peccandi occasionem. Conticescant 37
 igitur clarissima quaeque coniugia antiquorum, cum de vestro men-
 tio fieri caeperit, quippe quod omni suavitate, fide, concordia et
 charitate munitum est, quod ex hoc opere tuo numini dedicato in- 38
 telligi poterit, cuius quidem rei utriusque probitas est in causa. Su-
 peras enim pudicitia Sulpitiam, animi integritate Lucretiam, amore
 coniugali Artemisiam, Iuliam et Acesten, magnanimitate Corneliam,
 fide Portiam, eloquentia Aspasiā, quam Socrates cum discipulis
 non unquam adibat, fortitudine Cratisidiam Cleomenis matrem
 magnanimamque Panthei uxorem, forma vero Statyram cum parente
 Roxanenque Alexandri, animo Thymodiam, fidelitate Chilonin Cleom-
 broti coniugem, fida societate Mitridatis Hysicrateam et virilitate
 Zenobiam. Praeterea, si quis in te animi magnitudinem requirat, 39
 plus in te magnanimitatis invenerit, quam aut in viragine sperari
 possit aut in viro aliquo inveniri, unde tantum faemineis virtuti-
 bus decoris accedit, ut nihil videatur magis esse spectabile. Nihil 40
 enim intendis neque moliri libet, ubi maximus honor et gloria non
 enitescat.

Accedit ad culmen claritatis tuae tanta mansuetudo, be- 41
 nignitas et clementia, ut tristem sis unica consolatrix, unicum
 miserorum perfugium unicumque liberalium artium praesidium et
 tutela. Calamitosos, profugos et extorres aliqua fortunae iniquitate 42
 factos omnes excipis, miseria liberas saepe commemorans: Non
 ignara mali miseris succurrere disco. In universum autem paupe- 43
 ribus et egenis quotidie iubes infinitas aelemosynas erogari, aedi-
 ficia maxima struis, basilicas erigis, item porticus, deambulatoria,
 xystos, zetas, hortos, nemora et quaecunque ad regium pertinent
 decorum. Itaque regiam Italo more Budae statuisti, ita arcem exor- 44
 nasti, ut caetera nostri temporis aedificia vel aequare vel superare
 videatur. Aulam civilius instituisti et bellicosam gentem armis tan- 45
 tum intentam et ob varias olim Scytharum eruptiones parum ex-
 cultam et inmitius agentem omni urbanitate civilique cultu exor-
 nasti, exemplo tuo religionem ac sanctimoniam auxisti, docuisti
 humanitatem, quietem, misericordiam, munditias, launtias et affa-
 bilitatem, feroces populos, qui nunquam pacis et ocyi iura didi-
 cerant, mites, officiosos, faciles et benignos esse docuisti. Intro- 46
 duxisti liberales artes, quarum fecundissima videris esse officina;
 Danubium barbara verba redolentem Latine loqui coegisti. Intro-
 duxisti continentiam, modestiam, honestatem et quenque pro digni-
 tate laute delicateque vivere iupsisti. Pannoniam, Mesiam, Boemiam 47
 veteremque Daciam Scythicis moribus sordibusque purgasti et nunc
 cum invictissimo viro tuo reddidisti talem, ut cum lautissima olim
 Italia comparari possit. Quare non inmerito, quicunque isthinc Un- 48
 gari hac Romam iter faciunt, gratiosissimam interrogati te dominam
 et reginam referunt et exclamant.

Sed de his hactenus, quando non solum brevi praefatione, 49
sed vix insano volumine sapientiam, magnanimitatem, clementiam,
comitatem, pudicitiam, sanctitatem, munificentiam, eloquium et doc-
trinam aliquis referre poterit. Nunc vero reliquum est, cur hoc 50
opus tuae ac viri celsitudini destinatum ita conminisci libuerit,
cognoscere digneris. Videbam enim, ut fama est, te invictissimum
sanctissimumque virum tuum vehementissime colere et amare nec
minus ardere nimia charitate tuorum, parentis, inquam, divi fra-
trumque illustrissimorum, qui quidem omnes vere te beatam fa-
ciunt Beatricem. Quare, cum deus et ad salutem gentium et ad 51
aetatis nostrae ornamentum vos tam bene coniunxerit, in quibus
unumquodque virtutum genus videtur esse consummatissimum et
omni gloria et immortalitate dignissimum, regale symposion de vir-
ginitate et pudicitia coniugali comentatus sum, in quo quidem
opere divinas virtutes tuas et gloriosissimi tui regis ac tuorum
absentiam hac lectione consolarere, ubi non solum Franciscum
fratrem cum Aragonio cardinale acerrime disceptantem, sed te cum
tuo rege multa divinitus disputantem legere poteris ne iniocunde
quidem.

Argumentum tale est. Convivium regale trium dierum cum uni- 52
versa satraparum turba celebratur. Primo, cum Franciscus ad re-
creandum utriusque maiestatis animum Galeotti petulantiam irritas-
set ad sales, post iocos et ridicula tu questionem arduam in me-
dium protulisti, virginitas an pudicitia coniugalis, utra praestantior.
Continuo Galeoctus assurgit, cui Epicuri personam dedimus ho- 53
mine non indignam, negans has esse virtutes, item asseverans om-
nibus licere uti voluptatibus. In quam quidem sententiam cum multa
sat argute dixisset, Ladislaus episcopus hortatu tuo in eum in-
surgit, proterit hominem et, quam veneficae sint hominis volupta-
tes inmodice, composite et copiose disserit. Demum concludit 54
virginitatem et pudicitiam potissima virtutum tuarum numina esse
virtutes, quare multis muneribus a maiestate tua soluto convivio
donatus abiit, sed, antequam abirent, per Franciscum moniti sunt
convivae, ut insequenti disceptatione has duas caeterarum virtutum
prestantissimas esse confirmarent. Altero convivium instauratur. Su- 55
pervenit ex Italia cardinalis Aragonius, a quo multa de Italia a rege
et regina petuntur. Cognitis rebus Italis ad disputationem descen-
ditur, in quam Franciscus cum Ioanne committitur, qui aequae ac
angeli duo de prestantia virginitatis et pudicitiae acerrime dispu-
tarunt et de omni fere virtutum genere et excellentia disseruerunt.
Postremo pro dignitate donati sunt. Tertio autem die, quia con- 56
vivae iussi excogitare, utra praestantior, cum in regiam omnes con-
venissent, quando superiore disputatione doctorum ingenia exani-
mata fuerant, a convivis continuo curatis corporibus supplicatum
est, ut utraque maiestas extremam questionis difficultatem discu-
teret et absolveret. Ea tandem in certamen exorata descendit, rex 57
pudicitiam coniugalem, regina virginitatem divina certatim oratio-
ne defendit. Nemum post prolixam contentionem Beatrix comissa

sibi a rege sententia questionem ita definit, ut suo ac regis honori et veritati denique cumulatissime satisfecerit. Quare maximus a convivis plausus in honorem utriusque editus est multaque missilia pro ilaritate et munificentia regia sparsa. Toto eo die in memoriam Beatricis patuit ianua gratiarum.

Tu autem, serenissima regina, spes mea numenque perpetuum, quotiens opus hoc leges, modo cum Francisco alumno tuo, modo cum Ioanne fratre, modo cum invictissimo rege, dulcissimo sanctissimoque coniuge et esse et colloqui (mihi crede) videre, ex quo tantum capies voluptatis, ut non diffidam hoc symposium perpetuum tuum enchiridion futurum. Accedit etiam et rerum copia variarum, qua satietas omnis amovetur. Nam omnes in hoc opus artes et scientiae liberales sponte adminicula et munuscula sua contulere, unde non mediocris rerum cognitio a legentibus comparari poterit. Nos autem, cum virginitatem et pudicitiam in tuarum choro virtutum tanquam duo lumina praesidere noverimus, quarum alteram ante coniugium, post coniugium alteram tanquam duo numina colere soleas et sis merito cunctis nostri saeculi mulieribus anteferenda, in celebrationem tui nominis et in perpetuum invictissimi sanctissimique regis Matthiae monumentum, si quid unquam hi nostri valituri sunt labores, hoc regale symposium octo mensium lucubratione perfecimus vobisque dicavimus, cui si quid inerit ineptiarum, te castigatricem defensatricemque unicam imploro. Quod ne tam cito quidem edendum esse statuisssem, nisi Franciscus frater tuus e Pannonia rediens visum et prelibatum opus festinare iupsisset caeterique ad id me amici compulissent imprimisque Prosper Capharellus episcopus Asculanus, claritatis vestrae praedicator assiduus et Berardus Rhecinensis Romae medicinae professor excellentissimus, omni scientiarum genere praeditus, item Eugenius Condulmarius scriptor apostolicus cardinalisque Conchensis olim nepos clarissimus et quam maxime Ioannes Franciscus Angelitas civis Firmanus et Rhecinensium secretarius, unicus meorum studiorum comes observatorque fidissimus, qui quidem omnes utriusque serenitatis vestrae nomen in Italia passim colere, praedicare ac adorare non desinunt. Proinde, faustissima dea, Antonii Bonfinis Asculani civis et incogniti servuli (qualiscunque est) librum pro ingenita benignitate tua perlegito, cuius numini corpus et ingenium dicavi. Ego autem, quando Franciscus tuus iam dudum loqui cepit, me in silentium redigam tuque, diva Beatrix, quid ille dicat, ausculta diligenter.

Dive Beatrici Aragonie Pannoniae Boemiaeque reginae, divi Matthie regis invictissimi faustissimae coniugi Antonius Bonfinis civis Asculanus et Recinensis symposion trimerion de virginitate et pudicitia coniugali pie dicavit.

SYMPOSITION DE VIRGINITATE ET PUDICITIA CONIUGALI

LIBER I.

FRANCISCUS, REX, REGINA BEATRIX.

1

FRANCISCUS : Quum in edacibus regni curis et in gravissimis gerendi belli consiliis satis superque versati simus, postquam domi ac foris nobis tuta sunt, liceat, quaeso, beneficio tuo, pater invictissime, tuque, serenissima soror, hunc diem, qui tam benigne nobis illuxit, licentius agere et exilaratis animis hoc regale convivium celebrare. Sic ille Christus optimus maximus, qui sacrosanc-
tam suam fidem hac tua invictissima dextera defendi voluit, ubi-
que semper nobis adsit. Omnia fauste et faeliciter evenere. Inter
duos potentissimos nostri saeculi imperatores ex sententia bella ge-
rimus, hinc Austriam obsessa Viana pene totam occupavimus, hinc
feras Turcorum gentes protecta Maesia in Thraciam saepe reiecimus.
Solvenda est, indulgentissime pater, saepe severitas et abigendae
curae, ut relaxati animi res maximas lubentius obeant. Quod etsi
tuapte natura facere soles, quae admirabilem omnibus in rebus
praefert aequanimitatem, tamen accedunt studia convivarum, qui
profusius exilarari cupiunt et de variis rebus gestiunt confabulari.

REX : Vidistin, dulcissima coniunx, quam serio et ioco bo-
nus est Franciscus noster et quanta ingenii fungitur dexteritate?
sagatus et togatus sapit. Utinam hoc adolescente diu nobis con-
frui liceat, quando et domi et peregre nobis est usui et nunc ad
honestas, ut assolet, nos revocat voluptates. Proinde perge, fili,
perge, communis animula, dicere, quodcunque libuerit, dum domine
nostrae supercilium solvas.

REGINA BEATRIX : Nimirum sapit et callet et a teneris un-
guiculis eutrapelon praetulit ingenium eoque mihi charior est, quo
magis utriusque amori studet et iocunditati. Sic eum divina beni-
gnitas et te, qui pro gnato colis, et Ferdinando patre divoque Al-
fonso avo suo dignum faxit. Mihi quoque, frater suavissime, rem
facies quam gratissimam, si regium animum tam grandia cepta
molientem iocunda aliqua et decora verborum velitatione recreave-
ris, ut nos quoque, qui ex eius vultu pendimus, pari ilaritate re-
creemur.

FRANCISCUS : Quantulumcunque sapio, id numine factum
est tuo, pater, cui totus addictus sum, et huiusce sororis coniunc-
tissimae cultura, in cuius gremio et natus et altus sum, a qua ne
passum quidem ultro discedere possum neque animus ab ea meus
abesse potest, quam in ultimas usque terras prosecutus sum, et, quia
unica mater et soror est, ne ab ea quidem vivens divellar unquam.
Quod igitur hac laude me ad immortalitatis studia succenditis, quas

possum et debeo, gratias ago. O quam iocundum est a divo ore laudari; haec mihi erunt irritamenta laudis sempiterna.

REX: Quibus hic artibus humana corda venatur? Viscum pro-
fecto merum est generosa fides et diva propago. Sed quid, fili,
convivas irritare cessas?

FRANCISCUS: Id probe faciam, quum eruditorem parasitum
hic sortiti simus; siquidem Galeoctus adest, quo cum prius con-
gredi mihi est animus.

REX: Peroportune quidem idque continuo face.

FRANCISCUS, GALEOTTUS, REGINA BEATRIX.

FRANCISCUS: Nihil ullo tempore oportunius unquam accidit,
mi Galeocte, quam adventus iste tuus, quando et patentissimo hoc
aspectu nos laetificas et amplitudine corporis convivium honestas,
in quo, Aedepol, omnia videbuntur insulsa, si expectatissimi tui
sales defuerint. Proinde, si post sexaginta missus et fercula satis
compotum et conmesatum est, eia, age, facetiarum gymnasium
per victoriam hanc, quaeso, tuam, quam pro tot expugnatis cali-
cibus iam iam comparasti, excude aliquid, quo te huc adventasse
gaudeamus.

GALEOTTUS: Volupe est mihi, fauste adolescens, vestris in-
servire voluptatibus. Sed et ter et quater ille miser est, qui ali-
enis ita se dederit, ut inmemor sit suarum. Domicenium mihi
semper triste est et Italorum convivia perquam parca. Nunc me
divi principis benignitate ad sacras epulas admissum meas prius
haud dedecet explere voluptates et complere ventrem, quando tali
nectare et ambrosia non ubique gentium fruimur, quin et mihi
venter est Adriaco sinu maior et Cretico Aegyptiacoque labyrintho
circumduction.

FRANCISCUS: Probe quidem sentis. Indulge, ut lubet et
quam potes. Sed quid tam prominet protensus iste venter? unde
tantum excrescit abdominis?

GALEOTTUS: Pinguis pinguaria appetit et unctiora disqui-
rit pulpamenta. Quae autem circa ventrem sunt, quia prope sto-
machum et epar ac nutrimenta versantur, finitima alimenti uber-
tate celerius coalescunt neque venter, ut caetera membra defati-
gatur, ex quo macies oriatur.

REGINA BEATRIX: Quam argute hic inter calices philoso-
phatur?

FRANCISCUS: Credebam equidem, Galeocte, quando omnia
fere naturam addecent, aliquam esse regionem, quae gravidus ferret
homines.

GALEOTTUS: Fert, Aedepol, Narnia. Verum, qui non homi-
nes, sed animas edant.

FRANCISCUS: Quid ita?

GALEOTTUS: Sat dictum.

FRANCISCUS: Quenam enigmata nunc excudis?

- GALEOTTUS: Satis superque. 28
- FRANCISCUS: Quando acrius, mi Galeotte, philosopharier 29
occaepisti, dic, age, quid homini in hac vita familiaris?
- GALEOTTUS: Stultitia. 30
- FRANCISCUS: Quid ita? 31
- GALEOTTUS: Quippe quae preter medioximos filiosque 32
Iovis neminem unquam deserit et fidelissima est mortalium am-
phibola.
- FRANCISCUS: Num haec hominem infaelicem reddit? 33
- GALEOTTUS: Immo beat, quando nos miseriam nostram 34
sentire non patitur neque dolor infaelicitatis auctor quisquam dici
potest, qui non sentiatur.
- FRANCISCUS: O dii boni, quae sophismata hic expromit! 35
- Ad haec quoque quid iudicas inexplabile?
- GALEOTTUS: Ventrem, qui aequae, ac maria, quae flumina 36
influunt, nunquam excrescit.
- FRANCISCUS: Recte. Quid concupiscentius? 37
- GALEOTTUS: Gula, quare Philon Aristosenus gruis pro- 38
ductum guctur nuncupatis votis saepe concupivit.
- FRANCISCUS: Quid in hac vita conmodius? 39
- GALEOTTUS: Lingua. 40
- FRANCISCUS: Quid inconmodius? 41
- GALEOTTUS: Haec ipsa quoque, quae si proba fuerit, nil 42
melius, sin improba, nil perniciosius.
- FRANCISCUS: Optime quidem nunc. Sed quid in vita cal- 43
lidius censes?
- GALEOTTUS: Lucripetam parasitum. 44
- FRANCISCUS: Quid contra ridiculosius? 45
- GALEOTTUS: Eundem, si opinione sua falsum conspicaris. 46
- FRANCISCUS: Profecto hic est figulari rota versutior. Quid 47
est, quod magis nobis in hac vita blandiatur?
- GALEOTTUS: Voluptas, qua perfrui quicunque nesciverit, 48
eum frustra intempestiva penitentia subsequetur.
- FRANCISCUS: Ambigua responsio et quae quoquo versum 49
trahi possit. At quid expetibilis?
- GALEOTTUS: Iniuriarum et doloris oblivio et sane mentis 50
ocium.
- FRANCISCUS: Quodnam animal homini conmodius? 51
- GALEOTTUS: Porcus, quippe qui ad caudam usque nobis 52
est esui.
- FRANCISCUS: Contra quid desipiscentius? 53
- GALEOTTUS: Eundem censeo, quando alieno usui pinguet 54
et proprie neci studet.
- FRANCISCUS: Nimirum hic est aprugno callo callidior. 55
- Agedum, Galeotte, quid reputas in vita stimulosius?
- GALEOTTUS: Admove aurem propius, ne qua oscenitate sa- 56
cras et mundas aures funestemus.
- FRANCISCUS: Quam lubentissime, quin dicito quamprimum. 57

GALEOTTUS: Coxendicem muliebrem, quae continuo sti- 58
mulat et stimulat.

FRANCISCUS: Ah, ah, ah, Aedepol, scite et conmode re- 59
spondisti.

REGINA BEATRIX: Quidnam ait scelestus iste flagri gymna- 60
sium et sentina scelerum?

FRANCISCUS: Verissime, diva soror, iste philosophatur. Per- 61
contanti nanque mihi, quidnam stimulosius esset, exurientem stho-
macum paupertatemque respondit.

REGINA BEATRIX: Nescio, quid iam dudum oboluit. 62

FRANCISCUS: Quin et Aphroditin adiecit. Sed ne interpel- 63
landam quidem eius censeo philosophiam, quando sicophantiarum
ideae nunc scita responsa suppetunt.

REGINA BEATRIX: Perge igitur, siquidem optimum hodie 64
nactus es omnium rerum praeceptorem.

FRANCISCUS: Neminem mihi unquam, Galeocte, fortuna 65
ottulit, qui in huiuscemodi disceptatione te magis mihi satisfecerit.
Proinde effare, quid omnium rerum ociosissimum?

GALEOTTUS: Ventrem puto ac mentem nullius mali con- 66
sciam.

FRANCISCUS: Probe per Deum Fidium. Preterea quid tri- 67
stius.

GALEOTTUS: Nihil equidem exuriente scurra. 68

FRANCISCUS: Quid exuberantius? 69

GALEOTTUS: Pannonia caena. 70

FRANCISCUS: Quid molestius? 71

GALEOTTUS: Sordidissima pediculorum turba, quibus cum
noxii assiduum in carcere bellum gerunt, qui quidem me forte for-
tuna ibidem coniectum non secus, ac formicae colubrum viatoris
calce pressum, frustillatim differebant.

FRANCISCUS: Agedum, haec omissa face; laetius est agen- 73
dus iste dies. Sed quid in orbe laetius?

GALEOTTUS: Nihil, Hercle, meo corpore esse arbitror, quod 74
steriles agros et littora ubertim laetificaret.

FRANCISCUS: O caput lepidissimum, quod errantia sydera
incolunt ac medioximi et magni dii. Verum dic, quaeso, quonam
modo futuros imbres manticinare?

GALEOTTUS: Cum Iovem suspicio meientem. 76

FRANCISCUS: Nondum sales te destituunt tui.

GALEOTTUS: Vita prius. Quin et iisdem post interitum 78
Plutonem et Minoa delinire est animus, unde quibus technis me
expediam, iam commentatus sum.

FRANCISCUS: At quid, si anima fuerit isto carnario gravior? 79
Num deturbatus ad inferos conteres universos et magnam quaties
mundi molem?

GALEOTTUS: Nostin, quo maiora sunt corpora, eo minus 80
habere animae? Quanti sit haec iactura momenti, maioris est ocii
ac mentis longe expeditioris. Quare vive vitaeque perfruere.

FRANCISCUS: Pro divino nobis arbitrato vivendum est, 81
sed, dum vivimus, optime sentiendum.

GALEOTTUS: Quid sentiendum sit, oculi dictitant et sensus 82
ostendunt, quibus certius dices esse nihil.

FRANCISCUS: Atqui, dum vivimus, quid in vita suavius? 83

GALEOTTUS: Dum bibimus Sirmianum nempe vinum. 84

FRANCISCUS: Adhuc salibus gerras inseris? 85

GALEOTIUS: Aures nuper oplevit Bacchus. Atqui proba 86
ilarique uxore suavius arbitror esse nihil.

FRANCISCUS: Probe, Aedepol, ac scite dixisti. Sed, quid 87
sermonis nunc ipsa Beatrix cum divo patre conserat, audiamus.
Quod extremum dixti, ni fallor, domini mussitant.

GALEOTTUS: Faciam, ut iubes, meque in silentium redigam. 88

BEATRIX REGINA, MATTHIAS REX. 89

BEATRIX REGINA: Nemo mihi unquam oblatus est, pater, 90
qui melius in desipiscentia sapiat et in sapientia desipiat, quam
Galeoctus iste, qui praepostera quadam utitur philosophia. Ex quo
fit, ut, dum salsa et insulsa audiverimus, una tecum iam concita-
tissimo cachinno concuti libuerit. Accedit et frater, qui laetitiam et 91
risum auxit, dum indulgentissimo patri vidimus ingenue suppara-
sitari. Sed, quando cum iocis saepe seria intercedunt, illud placuit
non mediocriter, quod quidem ex pinguarii convivae nunc oræ ex-
cidit: Nihil in vita suavius amore coniugali. Quamobrem, si idem 92
tibi collibuerit, pater, haud mihi fuerit ingratum tuorum conviva-
rum ingenia experiri, quando hic, qui vere sapiant, non desunt et
qui vitae probitate ac magna rerum scientia viri praestantissimi
reputantur, ea his afferam in medium, quae ne facile quidem de-
finiri queant.

REX: Non possum, suavissima coniunx, a voluntate tua ullo 93
pacto dissentire, quod probitate tua factum est et excelsa quadam
ingenii praestantia, qua hoc quoque tempus frustra teri non pa-
teris et a decoro tuo non discedis. Quare, Beatrix, me beata beas. 94
Genialem hunc diem aliqua disceptatione iocundiorem redde. Cum
maxima nanque voluptate desudantia doctissimorum virorum in-
genia spectare soleo, quando nihil ipsa veritatis disceptatione pot-
est esse iocundius. Adest Transilvanus episcopus, Ladislaus noster, 95
vir profecto venerandus et non solum vitae sanctitate, sed ingenua
quaque disciplina praeditus, quem si huic pugnae commiseris, so-
lidiore voluptate reficiemur. Effer igitur aliquid in medium, ne desit
his decertandi argumentum.

BEATRIX REGINA, FRANCISCUS, LADISLAUS, GALEOCTUS, 96
REX MATTHIAS INVICTISSIMUS.

BEATRIX REGINA: Satis convivae, ut arbitror, humanis vo- 97
luptatibus inservitum est, quando corpora refecimus et fraterna
percentatio salsaque Galeocti responsa non mediocre undique

risum exegere. Nunc reliquum est, ut melioribus rebus animi de- 98
pascantur. Dicite ergo mihi et veris ostendite rationibus, cum vir-
ginitas coniugalisque pudicitia inter caeteras virtutes excellere re-
putentur, utra praestantior esse videatur. Quod si recte definire 99
poteritis, cumulatissimas hinc gratias vobis exigere licebit. Con-
iugali nanque amore et pudicitia nil Galeoctus censuit esse sua-
vius, qua quidem in re fortasse, ut in plerisque, minime deliravit.

FRANCISCUS: Interpellasti Narnienses sales, diva soror, et 100
a regia gravitate, nisi regio iussu, non discedis. Ego vero haud
ambigo hoc saxum, dum vixerint, convivas esse voluturos et, in
re ardua et perdifficili quid madida valeant ingenia, non ignoro,
nisi fortasse antistes iste reverendus reconditae veritatis aliquid
exprompserit, cuius sapientiam et mores quotidie admiramur.

LADISLAUS: Quam arduum sit et quam difficile inter modia- 101
les calices philosophari, iam dudum Galeoctus plane testatus est,
quo sapientem neminem usquam invenerim dulcius delyrantem.
Accedit et propositae materiae acrimonia, quae exactissimas mentes 102
sibi postulat. Neque me praeterit opiperas mensas consciis animis
veram esse quaestionem. Itaque mihi videbor fecisse satis, cum
meum praestitero vobis obsequium.

BEATRIX REGINA: Bono animo esto, Ladislave, cum iam 103
diu explorata sapientia et doctrina dicta tua probare soleamus. In
hanc igitur difficultatem omnes ingenii vires intendito, nam tuae
sententiae nos omnes, ni fallor, suffragatores habebis, nisi fortasse
Epicureus iste refragetur, quo nemo melius in ebrietate sapit et in
sobrietate desipit.

GALEOCTUS: Epicurum appellant, quia ebrius sobriusque 104
sapio. Laboro rerum inopia et nulla licet perfrui voluptate, nisi
cum regem hunc reviso indulgentissimum. Voluptates prominentia
ventris inferiores interdictae sunt, superiores vero rerum omnium
egeslate. Sed, age, regina, quid sentis? Cur virginitatem et pudici- 105
tiam tanti facis, ut muliebrem vitam ex utraque constare putes?
O quam aliter meum sentit ingenium et, quando hic libere lo-
quendi omnibus est facta potestas, dicam, quod sentio, et brevi-
bus, si fieri potest.

BEATRIX REGINA: O quam vereor, quando viri oratio aliquid 106
subolet, ne quas veritati hic tendat insidias, quia subcenturiatus
huc sicophantiis accessit et madidus magis sapere, quam siccus
solet; ac usque adeo improba sunt nonnullorum ingenia, ut di-
vertendis potius, quam dirigendis ad salutem hominibus studuisse
videantur.

REX: Pernitiosa sunt haec ingenia, fateor. Sed nihil usque 107
adeo perniciosum, quod aliquando non prosit. Haec sibi potius,
quam caeteris nocent. Nam, dum sese falsis circumvallant opinio-
nibus, submonent alios, ut ad muniendam veritatem animos inten-
dant. Quare profusa licentia argutam eius audatiam confirmemus, 108
ut ingenuam hodie disceptionem et propositionem tua non indi-
gnam audiamus, unde duplicem fructum, mihi crede, carpemus,

nam et ridendi et contemplandi argumentum decertatores isti subgerent. Sed, eia, Galeocte, quaeso, de pudicitia et virginitate, quod sentis, edissere.

GALEOCTUS, BEATRIX REGINA, REX MATTHIAS ET FRANCISCUS ARAGONIUS. 109

GALEOCTUS: Insitam mihi a natura libertatem regia benignitas et fecunda haec pocula mirum in modum augent et ita augent, ut, quae diu subticuerim, quando non omnia sunt in populum aedenda, re in Socraticum fatum incidamus, hic sim impudentius vestra bona venia enunciaturus. Virginitas et pudicitia, quarum nomina relligiosa sanctaque tantopere reputatis, cur tanti fieri debeant, haud facile video, quin etiam, ut vestra pace dixerim, omnibus nobis licet licentius uti voluptatibus et heae, quas virtutes appellatis, in opinione tantum sitae sunt, quae saepissime falli solet. Quod si has natura virtutes quondam humano generi proposuisset, ab omnibus eas gentibus coli observarique videremus. Quandoquidem, quod per se vitium est, id ubique vitium reputatur, quod autem laudabile, ubique gentium comprobatur. Persas enim nobilissimos Asiae populos rerumque potitos matres et sorores, nedum caeteras mulieres sibi coniugasse legimus, in Gextulia faeminas agros passim colere, aedificare domos, virilia opera curare, quibuscunque voluerint, solitas admisceri et presertim alienigenis nec ob id adulteras reputatas nec adulterii a viris accersitas; in Bactris singulari pompa equitare, servis et externis pro libidine sese prostituere; Graecorum sapientes formosos pueros pro uxoribus habere non veritos; Gallorum pueros publice nupsisse, apud Britannos fratres cum fratribus et cum liberis quoque parentes uxores habuisse communes; in Africa Nassamones communi coniugio usos procreatosque filios pro paterna similitudine inter sese partiri solitos; Thraces suas virgines permisisse ex more coire, cum quibus libido iupserit; Aethiopes uxores non ducere, sed eas cum pueris habuisse communes communique opera educasse idemque Trogloditas nonnullosque Arabici maris accolae facitasse; in Arabiae parte unam omnibus consanguineis fuisse uxorem, quam qui primus ingrederetur, posito ante ianuam baculo cum ea congregiebatur; quin etiam cum matribus coivisse; praeterea Schyrtas praeter ensem et cyathum caetera omnia habuisse communia; Massagetas in propatulo pecorum more suspensa ad plaustrum pharetra faemellas inivisse; id ipsum Padas in India ad auroram, Agatyrsos et Auses ad Tritonidem paludem promiscue patrasse; ad Hauram orientis regionem matribus fas fuisse liberis admisceri, quo cum Alexander pervenisset, Sysimetrem satrapem invenit, qui duos ex matre filios tulerat. Contra vero Parthorum, Serum Arabumque mulieres fatuas et agrestes reputarim, quippe quae, nescio, quid castimonie retinere contendunt; Amazonas autem longe vesaniores, quae semel in anno finitimos viros expetunt. Diogenem ipse Cinicum vehementer approbo, qui naturae neces-

saria palam facere licere asseveravit et hominem se in foro plantare non puduit. Plato, quem philosophorum principem appellatis, 121 in sua republica communes coniuges communesque filios instituit, quod si male sensisse visus est, cur divinitus multa locutum existimatis? Ex quibus facile constat non modo caeteras voluptates, sed hanc caeterarum maximam olim fuisse liberam.

BEATRIX REGINA: Deposito omni pudore aequo licentius 122 delyrat iste. Huic habenas nimium relaxasti, pater, et vesanum hoc genus hominum, quo minus coerchetur, eo audentius efficitur.

REX: Patere, amabo, unica mea voluptas, hanc belluam la- 123 tius evagari. Nam, quas diu conmentus est, ineptias reteggit. Quin, age, Galeocte, quando de amore loqui occepisti, cuius numen magnum est et praepotens, effare libere et, si homini licentius amare liceat, argutius edissere. Ubi peracutum illud ingenium? ubi 124 argumentorum acies? Quae hactenus dixeris, facile pater iste subvertet et confutabit. Prosequere igitur, ne interpella.

GALEOCTUS: Te quaeso, Bacche pater, teque, potens Ve- 125 nus, quorum numini, quantumcunque corporis est et animi, totum destinavi, quando res vestra nunc agitur et libere loquendi facultas adest, afflate mentem, quae causae vestre ac regiae deserviat voluptati. Quod si defueritis, vereor, ne piacularis homo fiam. Neque 126 vos praelerit et tetrum carcerem subivisse et dura, ni mentior, pro vestro numine vincula tolerasse, quod passim ludibrio hominibus haberi iam pati non potero neque pro vobis interdictum ignem et aquam reformidavi. Proinde adeste et nunc causae favete vestrae. 127 Nimirum, invictissime princeps, tot mihi in defensionem amoris rationes in mentem veniunt, ut, unde principium sumam potissimum, haud facile iudicarem. Atque adversario meo Mitridatica 128 memoria opus est, si eas in confutando recordari velit. Quin etiam sentiet sibi non cum homine, sed cum diis rem esse immortalibus. Hesiodum poetam excellentissimum de primis rerum principiis di- 129 vinitus locutum esse arbitror, cum primum omnium Chaos, deinde Terram et Amorem fuisse dixerit, quae quidem immortalia esse asserit et in primis Amorem, cum in existentibus rebus causam inesse oporteat, quae res ipsas in generatione moveat congregetque. Quam quidem, ni fallor, opinionem seculus Empedocles rerum 130 omnium auctorem Amorem praedicat. Quare non inmerito divus Horpheus de Venere verba faciens, πάντα, inquit, ἐκ σέθεν ἐστίν, ὑπερζεύξας δὲ κόσμον καὶ κρατέεις τρισσῶν μοιρῶν, id est, omnia ex te sunt, alma Venus, orbem subiugasti et tribus eius partibus imperas. Itaque, si ex amore omnia constant, aliquid amoris expers 131 dare non convenit. Mortalium enim animae hinc ita creatae sunt, ut longe plus concupiscentiae habeant, quam rationis, quae quidem corporis cognatione ita fovetur et quandoque exuat, ut conflagran- tem extinguere sit omnino impossibile. Paulus vas, inquam, illud 132 electionis assiduo carnis stimulo colofizatus est et Hieronymo sacrae eloquentiae principi asperissimam in heremo vitam agenti defecto iam durissima abstinentia corpore adhuc vigeat igniculus. Quare 133

in coercedo amore omnis eluditur opera. Hoc autem Pythagoricos concitavit, ut inter decem rerum principia masculinum et faemininum annumerarent, tanquam primaria patrandae generationis instrumenta. Praeterea quis imperiosissimae obstiterit necessitati?, cum hac re nihil videatur imperiosius, quandoquidem vim indomitam affert et diis et hominibus, quem Horphæus ait συμπαίζοντα θεοῖς ἡδὲ θνητοῖς ἀνθρώποις, πάντων κληῖδας ἔχοντα, αἰθέρος, οὐρανοῦ, πόντου, χθονός, id est, Amorem diis hominibusque insidentem, qui ubique sortitus est imperium, in aethere scilicet et caelo, mari ac terra. Idem divinus Homeros affirmat: ἐδαμάσσατο φίλα κατὰ θνητῶν ἀνθρώπων, id est, Amor hominum genera domuit. Post haec, cum omnia, quae sunt, aut a natura aut ab arte proveniant, si natura duce trahimur ad procreationem, quis hoc improbarit? Quis propter hoc nos impuros et spurcos existimarit, cum a naturae lege deficere sit penitus impossibile? Quin etiam in hoc divinam faecunditatem imitabimur, quae assidua rerum procreatione gaudet.

FRANCISCUS: Iam dudum de occillando impurati scurrae ore si quis cogitaret, ne nimis quidem dedeceret, quando dictis impurissimis divae sororis animum video admodum crutiari.

REX: Ne interpella, obsecro, vesani philosophi argumenta, quae concitatissimo torrente proveniunt, quia Veneris et Bacchi patrocinio fungitur.

GALEOCTUS: Tria sunt etiam bonorum genera, animi, corporis et fortunae et inter corporis conmoda pulchritudo recensetur, quae, quando bonum est, non mediocre et bonum est, quod omnia appetunt; quis ergo pulchra non amet? Praeterea in nulla re magis divina potentia illucere videtur, quam in rebus pulchris et pulcherrimo corpore, ubi divinas vires artemque cognoscimus et artificis potestatem admiramur, qui quaecunque spetiosa hominibus ostenderit, in eorum amorem hii continuo rapiuntur. Deus quoque pulchritudine et venustate maxime delectatur; nos hanc ipsam vel parcius amare vel odio habere non possumus. Nam, quae divina cultura non carent, ea ne nostro quidem amore carere queunt. Item quaeque potentia suum quaerit obiectum, ubi vires suas exerceat a natura datas; quod cum invenerit, ibi quam maxime delectatur eodemque perfruitur. Ne propria quidem esca oculi carere debent. Depascendae propria voluptate sunt aures neque affectatae conjunctioni, quam natura tulerit, pro cuiusque desyderio est quicquam denegandum. Si faemella virum, ut materia formam appetit et id animantium cuique est a natura tributum, tecum reluctare, cum viribus naturae decerta. Mihi crede, omnis eluditur opera. Si hominem vivere iupseris simulque imperes omni cibo carere, ridiculosum erit imperium, quando haec imperata praestari nequeunt et, quae vires superant humanas, potestati nostrae minime subiacent et, quod nullo pacto evitare possumus, id vitio dari non debet. Nam, si in nobis non est peccandi principium, sed, quod vidimus, nos captivos trahit afflictimque disrutiat, commiseratio

amanti potius, quam invidia est habenda. Nostra enim mens in 147
 capitis arce residens ea contemplatur, quae sensus vel imaginatio
 vel cogitatio vel memoria subministrat, nostra vero voluntas et
 appetitus aut ab intellectu aut a sensu aut a fantasmate suscitatur.
 Intellectus autem corporeo carcere inclusus, si quid luminis inerat, 148
 ob prurientes undique concupiscentias amittit seque alienae ditioni
 dedere cogitur. Hic frustra leges, liberum arbitrium rationemque 149
 requires, quia tunc omnis ratio perit, prostratum est imperium ra-
 tionis et lex, quae imperat, quae praestari nequeunt, pro ridiculo
 habetur animique potestatem non in amante, sed in re amata re-
 quires. Nam amantes, ut Cato dicebat, in alieno corpore vivunt et 150
 a se longius mentem ablegant. Quod si reprehendere ausis, na-
 turam prius incuses, necesse est, quae, cum nihil temere fecerit,
 an idcirco genitalia tribuit instrumenta, ut pro inutilibus et infectis
 haberentur? Cuique artificio et instrumento sua propria operatio 151
 tributa est. Cur caeli virilia a Saturno decisa in mareque deiecta
 et ex hiis Aphroditin, id est, Venerem natam poelae commentantur?
 Cur lasciva numina antiqui religiosius colebant? nempe quia e 152
 caelo amorem promanasse omniumque rerum generationem caelo-
 rum et temporis interventu Venereaue opera patrari. Quare sol et
 homo, ut aiunt, generant hominem, sol et equus equum et sic de
 reliquis dicendum est. Ex quo fit, ut, cum occasio delur, operam 153
 genio cuique licentius dare liceat, quod si dedecuisset, neque di-
 vino apud priscos instituto demandatum esset: Crescite et multi-
 plicamini; neque Semiramis, quae post Ninum primum Assyrio- 154
 rum unum regem imperavit ac domita Aethyopia maximam Asiae partem
 invasit, liberam fecisset omnibus explendae Veneris potestatem, si
 tantum facinus ex ea committi intellexisset; neque Eliogabalus neque 155
 Nero tantam sibi licentiam indulxissent, si summum scelus id esse
 iudicassent. Ad hec peccatum id esse quisque censet, quod con-
 scientia abominatur et natura perhorret. Ab homicidio, ab odio, a 156
 furto, a latrocinio, a blasfemia, a caeteris denique sceleribus sua-
 pre natura noster abhorret animus, et patrato facinore afflictim
 tristatur, agitur conscientiae stimulis neque se iudice unquam
 absolvitur. Contra Venus laetum reddit animum, immo perficit et 157
 corpus excolit, quando per amorem ad laudem et gloriam erigi-
 mur, varias artes discimus variaque gymnasia frequentamus, ut ex-
 cultis animis corporibusque amica digni videamur. Cuius quidem
 rei ipse testis esse possum. Patavii nanque Sarmaticam ancillam,
 cui Bucephalae nomen erat, afflictim deperibam. Huic instar co- 158
 lossi os et caput erat, quae, cum me quoque Sarmaticum repu-
 taret, me quotidie ambibat et luminibus errabat universum et,
 quando viscum merum est amantium mulierum illecebrae, in eius
 amorem protinus exarsi, quam per fora sequebar et per templa
 contemptis amicorum monitis populique convitiis, quando pre amore
 frontem perfricueram, Bucephalam usquequaque sectabar, saepe
 per vicos et angiportus ex instituto itinere remorabar, addebam
 blanditias, barbam Romano lepore demulcebam, saepe noctu ho-

stium occentabam e mediaque culina educebam, Quid plura? populi fabula diu fuimus et adhuc per omnium ora vagamur. Quod igitur psallere factaque heroum et amores decantare, quod saltare in numeros et docto pede terram quatere, quod per manum et astra manticinari, quod compositum corpus gestare graviusque incedere, quod prestigias denique varias agere Galeottus non ignorat, Bucephalae sunt agenda gratiae, quam et Agamemnonis et Achillis exemplo adactus palam amare non erubui Bucephalamque meam et vivus et defunctus amabo, quando Bucephala mihi curas omnes abegit, perpetua hilaritate munivit et omnibus denique voluptatibus animum explevit. Quid autem Arionem Methymneum omnium sui seculi cytharedorum praestantissimum, qui primus hominum fecit, nominavit et docuit Corinthi dithyrambum et Tarento ad Taenaron delphino insidens, ut Corinthii Lesbiique cum Periandro predicant, evectus est, ut nautarum insidias evitaret, ad musicam artem et discendum carmen orchium, quo mortem evasis, concitasse existimatis? Quid Horpheum ad inferos tuto penetrantem ad cantum et cytharam commovisse putatis? nempe amorem utrique huius disciplinae autorem fuisse credendum est, quo si, Hercle, caruissent, inertes inglorique fuissent et ater in undis extinctus, alter apud inferos fuisset humatus.

FRANCISCUS: Nimirum hic prestigiator Schytarum more in proprio alvo suis ossibus elixandus esset, quando mira arte popularium iudicia praestignit.

GALEOTTUS: Molestus fortasse videbor, quod longa argumentorum serie vos adurgeo. Sed, ne mentiri videar, dum ea prosequor, quae sunt a vestris opinionibus aliena, attendite, quaeso, quae supersunt. Nam, quas mihi regis imperio in deditionem aures dedistis, iam dudum vobis liberis reddam mira vo'uptate oblectatas. Non enim parvi momenti est pro dignitate amoris causam agere. Nullo prepotentis naturae iure fieri potest, invictissime princeps, quin unumquodque id appetat, quod est sibi cognatum et perquam simile. Nam, cum omne bonum sit delectabile omnisque delectatio eo maior sit, quo similia coeuntia videantur, ex hoc fit, ut quodque sibi consimilia appetat. Nimirum; et, cum in rebus humanis nullum insitum appetitum indulgentissima natura sese frustrari patiatur, iccirco fit, ut non modo ipsa permittat, verum etiam iubeat quemque suo appetitui deservire. Quanta sit ipsa similitudinis cognationisque potentia, hinc facile pro se quisque coniectet. Apud oscitantes oscitamus, apud ilares exilaramur, cum flentibus deploramus, apud bibentes silimus, apud edentes exurimus, quoniam corpora cum corporibus et animae cum animabus et eadem rursus cum corporibus mira affinitate iunguntur. Cum autem inter virum et faemellam sit summa cognatio summaque similitudo, quis utriusque extinguat igniculum? quis utriusque interdixerit delectationem? Haec quotidiana experientia comprobatis et adhuc mea dicta mussitatis. Quod, si quis vestrum fortasse dixerit nihil esse amante miserius, si mea dicta ruminaverit,

praeter opinionem sentire cogetur. Dic, quaeso, quanam miseria 170
 dici potest ea, quae non sentiat, contra vero, quanam beati-
 tudo reputabitur, quae non placeat et degustetur? Dixeris fortasse 171
 amantium ardores, iras, reconciliationes, zelotypias, sollicitudines,
 miserabiles esse cruciatus, immo sunt nostrae faelicitatis alimenta.
 Ea nutriunt, quaecunque placent, ea beant, quaecunque delectant, 172
 quia delectatione beatitudo carere nunquam visa est neque delec-
 tabile a beatitudine dissociari potest. Mitridates veneno depastus 173
 est et, si serpentibus venenum ademeris, serpentes esse desinent.
 Id igitur naturam fovet, quaecunque fuerit, quod gratum praebe-
 rit alimentum. Id beatitudinem affert, quodcunque delectarit. Iocunda 174
 enim miseria pro faelicitate habetur et ingrata faelicitas miseriae
 vicem subit. Si ex aliqua veneficii parte constat anima nostra,
 quonam pacto eo carere iubebis? Concupiscit misella et appetit 175
 et huiusmodi voluptatibus in hoc corporeo carcere gessit oblec-
 tari, quod si fuerit interdictum, assidua tristitia conficietur neque
 in hac vita misera recreationem ullam inveniet. Quin etiam dicere 176
 ausim quenque amantem in hac vita faelicem et in altera minus
 fore miserum. Hic enim id summum cuique bonum est, quo vi-
 detur carere non posse quove indigere quam maxime arbitratur.
 At noster animus sine his voluptatibus vivere non posse intelligit, 177
 ex quo colligitur amoris perfrui voluptatibus summum esse bonum.
 Nam pauper in divitiis, quibus maxime indiget, eger in validine,
 ambitiosus in honore et quisque demum in re concupita summum
 bonum sibi statuet. Amans quoque in ea, quam amaverit, beatitu- 178
 dinem suam collocabit, qua potiri, quanto difficilius, tanto beatius
 erit. Haec tamen ita intelligas, ut communem et ardentissimum in
 utroque statuas amorem, ut uterque nihil vehementius appetat et
 alter alterius summum bonum esse videatur. Profecto uterque mu- 179
 tuo se beabit et alter in altero vivere reputabitur. Quare, dum vi-
 vent, hos faelices esse iudicabis, post mortem vero longe feliciores.
 Quod si nemo mihi obganniat, evidentissima id vobis aperiam 180
 coniectura. Nostram enim animam, qui altius philosophantur, cor-
 pore solutam abire cum habitibus animi et impressionibus aiunt,
 quas in hac vita contraxerit, quas deinde nunquam deponere pot-
 erit, et eas quam maxime, quas moriendo tulerit. Atque hac po- 181
 tissimum ratione credimus animas ad aeterna supplicia relegatas
 nullam salutem unquam assecuturas, quia paenitentiae, quae divi-
 nam clementiam exorat, pertinaci et obfirmata mente moriendo
 impotes factae sunt. Nam, qui perduellis dei ad mortem usque 182
 fuerit et obdurato animo desperataque salute descendit ad inferos,
 quoniam hoc pertinaciae habitu seiuncta anima nunquam im-
 posterum carere potest, nulla paenitentia conteretur, sed aeternas cum
 deo agat inimicitias. Idem in hac re, de qua agitur, sentiendum
 est. Nam, qui in amore vehementissimo moriuntur, apud inferos 183
 amare non desinunt et coniunctissime per futura saecula vivunt,
 quoniam amoris affectu, quem ad mortem usque servarunt, carere
 nequeunt, et exuti corpore nunquam dissotiantur, sed expeditius

usquequaque vagantur. Quod quidem quicumque de inferno scrip- 184
 serunt, plane asserunt, quod Maro noster affirmat, quae gratia cur-
 rum armorumque fuit vivis, quae cura nitentes pascere equos,
 eadem sequitur tellure repostos. Si dixeris eos apud manes paenas 185
 expendere et iccirco amoris inmemores fieri, quaenam, dic, quaeso,
 paena in beatitudine sentiri potest? Beatus est amans cum amante
 coniunctus et maximus quisque mentis affectus externum quenque
 dolorem reddit insensibilem. Saepe vidimus nonnullos homines 186
 aut nimio dolore aut prae indomita ira pudoreque ultro sibi manus
 iniecisse aut laqueo se suspendisse, quod, si intimo dolore maior
 fuisset externus, minus vitae suae finem imposuissent. Saepe gaudio 187
 vehementissimo multos obiisse legimus neque mortis ullum sen-
 sisse dolorem, ex quo fit, ut nulla miseria continuata amantium
 animarum gaudia inturbet. Sed quaenam paena quodve suppli- 188
 cium his inmerentibus iure dari potest, cum amorem peccatum
 non asseramus? Immo dicere ausim (compescite, quaeso, cachin-
 nos), si casu forte contigerit amantium alterum superos, alterum
 inferos petiisse, necesse fore aut hunc ad superos aut ad inferos 189
 illum devolare. Quis enim celeres et expeditissimas deposito cor-
 pore animas prohibebit? quas ob res inseparabiles esse amantium
 animos et in utraque vita faelices iudicari, sed eos dumtaxat,
 qui se semper et ardentem amarint nihilque aliud expetiverint. Quod, 190
 si dixeris in rebus humanis amorem et spem nullam esse collo-
 candam, habeo, quae referam. Id quisque amat, quod bonum et
 delectabile sibi fore intelligit. Si quis caelestia deserat et appetat 191
 humana, in quibus suam statuatur faelicitatem, non tam improbitati
 suae, quam inopiae intelligendi tribuatur. Id nanque appeto, quod
 mihi videtur esse bonum, quo quom frui licuerit, in eo me beatum
 reputarim. Quid mihi prodest audivisse alia fore meliora, si minus 192
 in ea feratur appetitus? Omnis in ea re conatus eluditur, in qua
 comparanda appetitus et delectatio desit, quia delectatio, ut aiunt,
 opus perficit. Qui autem in ea, quae optima sint et summa, ferantur, 193
 hos Iovis filios, quando pauci sint, quos Iuppiter amavit,
 Aedepol, appellarim. Se de his hactenus. Nunc autem, quamvis 194
 undique me trirunci subsamnent ulmeisque calamis tergus mihi
 scribere gestiant, reliquas tamen rationes referam, quibus nihil
 amore vacare ostendatur, ut poeticum illud ubique exclamare pos-
 simus: Omnia vincit amor et nos cedamus amori. Insitae sunt 195
 omnibus animalibus amicitiae inimicitiaeque propriae, pavones enim
 columbas amant, psithaci turtures, merulae quoque turtures, cornix
 ardeolam et milvus harpam. Contra dissident olores et aquilae, 196
 corvus et milvus, cornix et noctua, item mustella et cornix, turtur
 et pyralis, angues et mustellae et multa tale genus. Delphinum 197
 quoque puerum amasse legimus et cum eo mortuum et humatum.
 Quin etiam, ut Anaxagoras ait, arbores amant, sentiunt, tristantur
 et gaudent. Abrutalis vero sexum in his permixtum arbitratur, 198
 quod in palmis, quae cariotas ferunt, cognoscere licet, quae sine
 faemellis plantatae nullos fructus pariunt et, si ex coniugatis altera

succidatur, superstes continuo sterilesceat. Cerasus salicem, platenus
laurum, laurus quoque cerasum amat. Platenus in oleam mutata
est, si quid Aristandri ostentis credimus, et, si scriptis est adhi-
benda fides, arbores quoque locutae reperiuntur. Arbores sive sen-
tiant sive non, amorem tamen et odium sectantur. Itaque, si non
modo ad ea, quae sentiunt, sed ad ligna quoque sensu carentia
vis praepotentis amoris penetravit, quid de homine dicendum est,
quo nec sensibilibus quicquam nec amantius reperiri potest? Prae-
terea ne mihi rationes deesse putetis, undique patrocina sugge-
runtur. Si spectare mulierem licet, pari quoque iure eam cogno-
scere licebit, quippe cum et visus et tactus naturalis potentiae actus
est, qui quidem, quando in his, quae a natura sunt, neque lauda-
mur neque victuperamur, nemini vicio dari debet. Item, si talis
lascivia peccatum foret, tunc id vitium esset aut ratione potentiae,
unde talis actus egreditur, aut materiae finisve gratia, non poten-
tiae, quia ea, quae talem actum parit, naturae iure minime pro-
hibetur, non materiae, quae quidem faemina est et ad hunc usum
a deo creata; non denique finis, quia propagandae proles gratia
genio operam damus. Ex his igitur collige, ut huic rei nullum
videatur inesse peccatum. Idcirco dixit dominus ad Osee: Sume
tibi uxorem fornicationum et fac tibi filios fornicationum. Quod si
ita res sese haberet, ut serenissima ubique regina praedicat, nihil
continentiae et animi moderatione in homine pulchrius et, si bo-
num esset unum se praestare continentem, melius profecto esset,
si id multi, optimum autem, si universi id ubique praestarent.
Quod si facerent, genus humanum infecundum et sterile reddere-
tur ad breve tempus interituum. Ex quo fit, ut continentiam ser-
vare nequaquam bonum esse videatur. Insuper Amor humanam
speciem conservare contendit, contra castus animus propriae in-
tentus est utilitati et, quia commune bonum singulari est antepo-
nendum, hinc cogaris confiteri gravius errare, quicumque veneream
militiam deseruerit, qua humani generis propagatio munitur, quam
qui se potu et cibo abstinerit, in quo unius dumtaxat vita con-
sistit. Item impossibile est, mihi credite, quin in corpore humano
venereae concupiscentiae imperent et imperiosius dominantur, quae
quidem ita mentem animumque sollicitant excruciantque, ut a
caeteris bonis operibus amoveant et repellant, quibus cum fuerit
indulctum, expeditiores ad reliqua obeunda officia homines red-
duntur. Num Virgilium, quem unum iactanti Graeciae obicere pos-
sumus, amoris impatientissimum tam divinum opus excudere po-
tuisse credideris, nisi suum appetitum his voluptatibus explesset?
Num Flaccum lyricorum principem et libidini suae nimis obnoxium,
nisi satur ipse fuisset, cum Pindaro certare potuisset? Num Catul-
lum et Tibullum familiarissimis voluptatibus orbatos immortalita-
tem aliquam fuisse comparaturos? Num prurientes Martialis sales
tantopere leclitares, si nihil ipse sibi licentius indulxisset? Prae-
termitto Horphaeum, Alceum, Saphon, Callymachum, Archilochum
et Theocritum, praetermitto Diogenem, Aristippum divumque Pla-

tonem, qui Astera adolescentem ardentem amavit, quorum quidem omnia ingenia aut nihil aut parum in comparanda immortalitate profecissent, si prurientibus concupiscentiis nihil indulxissent. Neque Aristomachus ille Solensis, qui in contemplandis apibus 211 duo de LX annos contrivit, neque Thasius, qui pari studio Agrius cognominatus est, habunde earum naturam exarare potuisset, nisi concupiscentiarum prius imperio gratum obsequium praestitisset. Accedit ad hoc, quod, quamvis expetibilis ista delectatio, spes 212 procreandae prolis et abigendae molestiae cura, quae quidem omnia officiosa Venus elargitur, a nobis quandoque aspernantur, tamen utilitatis nostrae ratio, quae hinc provenit, minime contemni debet. Obstinata nanque abstinencia nonnullis perniosa fuit, si- 213 quidem, ut medici referunt, diutius remorata Venus inficitur, unde ad cerebrum, cor, epar et stomachum vapores emissi intestina membra tabificant formidosasque egritudines pariunt, cum hinc soda, hinc mania, hinc spiritalium motuum difficultas, hinc melancolia, hinc epilepsia, hinc renium crutiatu, hinc in mulieribus genialis suffocatio loci, hinc in viris incurabilia apostematum genera, repentinae mortes variaque mala proveniunt. Quare est no- 214 strae vitae consulendum, ne sui quisquam ipsius videatur homicida. Ne Portugallensem quidem cardinalem imitemur, qui inaudita continentia praeditus pro tuenda virginitate, dum cum insita libidine concupiscentiaque decertat, se prius mortuum, quam victorem intellexit et, quamvis validissimum hostem superarit, ipse tamen cruenta potius, quam opima lovi Feretrio spolia rettulit. Quod si 215 propriae salutis regius ille iuvenis rationem habuisset et aliquid humanae inbeccillitatitribuendum censuisset, sibi certe ac suis longe melius consuluisse. Quid enim utilius, quam vitam, quan- 216 tum in nobis situm est, producere longius? quid melius, quam eam hisce familiaribus pascere voluptatibus? quam quicumque temere amiserit, num intelligere debuit omnibus ea adempta sibi operationibus interdictum iri omniumque suavissimarum finem affore voluptatum? Multa supersunt, quae ad hanc rem afferri pos- 217 sent argumenta, quibus finem iam iam sentietis, ne patientia regia videar diutius abuti. Si cui profecto fugienda pro ipsa turpitudine Veneris videatur obscenitas, caeteris tamen, quae hanc ant- 218 eunt, voluptatibus libere uti quenque posse non negabitis et praesertim, si id ex mutuo amore proficiscatur, quod non nisi ex insita quadam utriusque virtute aut ingenua, quae in alterutro sit, venustate ac gratia provenire potest. Esto igitur, ament, quicumque ali- 219 eno amore illecti sunt, spectent sese, intentis oculis adurant, oblectent oculos et in suavissima colloquia coeant, visu et sermone incendiant animos et mutua inter se suaviola disseminent, modo se mutuo collaudent, modo saltiuscule condemnent, modo turbolas agant iraque decertent, modo reconciliati perpetuum fedus in- eant et variis denique artibus honestisque voluptatibus sese mutuo delectent, iocundam vitam exigant, quam qui sine his egerit, et vivus et mortuus miser erit nec se unquam vixisse vere dicere

poterit. Sed, cum dictis meis aut paucam aut nullam fidem im- 220
 pendere soleatis, adsunt exempla maiorum, ex quibus imperiosis-
 simam vim amoris praeter ea comoda et delectationem, mihi cre-
 dite, cognoscetis. Hercules Iovis filius, terrestrium monstrorum do- 221
 mitor Omphalen tamen superare non potuit, sed ab ea victus de-
 posita clava colum et pensa sumpsit filiaeque deduxit et, dum in-
 eruditus neret, ab ea saepe cesus est ac vilis tandem mulierculae
 observavit imperium. Theseus divino genere natus non solum ur-
 banis, sed ne agrestibus quidem virginibus pepercit, quando Ari-
 adnen, Anthiopen Troezeniamque Anaxagonam et nondum adultam
 Helenam rapuit. Iason vero Isiphilen, Medeam et Creusam amavit, 223
 Paris Helenam, Achilles ancillam Briseida, Ulixes Calipsonem Cir-
 cemque, dum usquequaque tempestatibus agitur; Eneas Didonem,
 si Maroni credimus; David Bersaben, Ammon Thamarem germa-
 nam. Roboam uxores decem et octo, concubinas vero sexaginta, 224
 Salomon uxores septingentas concubinasque trecentas habuit. Ha-
 nibal in Salapia mulierculam deperiit et in Itali tumultus ardore
 unius tamen puellae se amore recreavit. Cimon Atheniensis, qui
 neque Milciadi quicquam audaciae concessit neque prudentiae The-
 mistocli ambosque iustitia et aequitare superavit, ne virtute quidem
 inferior militari, unicum inter Graecos liberalitatis exemplar, ab
 Elpinice tandem sororis consuetudine se abstinere non potuit, item
 Asteriam genere Salaminiam Mestramque summo studio coluit ac
 Isodice uxoris Euripolemi filiae mortem vel egerime tulit. Pausa-
 nias Cleonicem virginem nobilissimo genere natam in libidinem
 accersit, quae sumpto a cubiculariis lumine cum silentio cubiculum
 accedens incaute cespitasset, sopitum Pausaniam excitavit, qui se
 ab hostibus circumventum arbitratus in virginem irruit eamque
 inscius stricto gladio confodit, sed cumulas tandem temeritatis
 suae paenas expendit, quando haec omnem Pausaniae quietem in
 somnis ademit, heroica verba dictitans, id est: Iuris te paena vo-
 cat mortalibus horror. Id ipsum P. Clodium facitasse ferunt, qui 227
 non solum sacris Bone Deae, sed ne deabus quidem sororibus
 abstinuisset dicitur, quarum altera deinde Lucullo, Metello altera
 nupsisse fertur. Crassus ex defuncti fratris uxore filios aliquot pro- 228
 creavit et a Plotino graviter accusatus, quod Liciniam Vestalem
 virginem incestaverat. Cato saepe sororem impudicam indoluit et
 pares vomicas pariaeque carcinomata cum Augusto passus est.
 Floram meretricem, cuius simulacrum prae nimia pulchritudine Ce- 229
 cilius Metellus, cum Castoris et Pollucis signis et picturis templum
 ornaret, pari studio affixit, a Pompeio usque adeo amatam ferunt,
 ut a Pompeiano concubitu sine morsu nunquam sibi abire licuerit,
 et, qui de tribus orbis partibus triumphavit, de liberti quoque De-
 metrii coniuge victoriam referre curavit. Nicopolim impudicissimam 230
 mulierem, locupletem tamen et opulentam Sylla amare non erubuit,
 cuius haereditate admodum ditatus est. Cato Maior in alienos mo-
 res severissimus, sibi contra indulgentissimus extincta uxore cuius-
 dam puellae (ut facile per domus angustias percipi poterat) coitu

utebatur. Quin et amoris igniculo incensus Solonii scribae filiam 231
 in uxorem efflagitavit neque severitate sua senilem iam libidinem
 coercere potuit. Caesar etiam, quem regem et reginam appellari non 232
 puduit, et Antonius Cleopatrae illecebras evitare nequiverunt, quamvis
 alter Asiae, alter orbis imperio potiretur. Alexander, ut tradit Aristobolus, 233
 Barsenem Artabassi filiam non minus genere, quam forma pre-
 stantem cognovit, qui, dum caeteras Darii aulae captivas aspiceret,
 saepe ioco dicere solebat crutiatu oculorum Persicas esse puellas.
 Cum hic quoque infirmis et senectute confectis militibus Eurialum 234
 Egeum nulla infirmitate detentum, sed Thelesippae tantum amo-
 rem causatum, ubi ingenuum esse scortum occepit, nulla nota di-
 gnum militem existimavit, quin et, Euriale, inquit, nos in hac per-
 amanda socios habes, quae ut hic permaneat, aut largitionibus
 aut verbis inducas. Mithridates acerrimus ille per tot annos inimi- 235
 cus populi Romani in tam longo bello, quam Hypsicratiam pelli-
 cem, virilem quidem faeminam et audacem et iccirco a rege Hypsi-
 cratem appellatam nullum aliud habuit curarum laborumque so-
 latium, quippe quae sub viri Persici habitu detonsa coma equo
 invecta per cruentas usquequaque pugnas regem sequebatur; Stra-
 tonicem quoque fortunati senis filiam nihilominus amavit. Dyon 236
 Syracusanus ille, Platonicae disciplinae sectator, duas uno die uxores
 duxit. Demetrius praeter Euridicem et Philam scorta et uxores
 permultas habuit. Anthiocum Seleuci regis filium usque adeo Stra- 237
 tonices novercae amore flagrantem, ut sensim et pedetentim egritudo
 illa sibi vitam eriperet, Erasistrati prudentia medici ac pa-
 tris indulgentia liberavit, quo quidem tempore nisi amoris imperio
 fuisset satisfactum, Asia iam suo rege caruisset. Agesilaus item 238
 continens amore non caruit. Fabius Leuganum militem e castris se
 saepe surripientem, ancillae amore deperditum cognita culpa causa
 non modo impunitatem donavit, sed mulierculam apud se in castris
 retinere permisit non inscius Cunctator ille sapientissimus, quanta
 licentia debeat amantibus impendi. Nonne apud Thebanos cohortem 239
 sacram appellatam legimus, quae ex amantibus et amatis
 erat instituta, ut pro gloria certatim quisque pugnaret et alter al-
 terius amore obnixius ageret, ubi quandoque accidit, ut, quem
 iacentem iam dudum hostis confossurus esset, interrogatus ab
 eo, cur in pectore, quam humeris vulnerari mallet, dixerit: Ne,
 si is, qui me amat, terga perfossa vulnere respexerit, erubescat.
 Quare divus Plato divinum amicum amatorem appellabat. Ego quo- 240
 que his assentior philosophis, qui non male definiisse visi sunt
 amorem asserentes mysterium esse deorum ad curam et conser-
 vationem suam hominibus exhibitum, quoniam Ariadnae Colchi-
 disque Medae amor nihil aliud fuisse videtur, quam dei opus et
 utriusque viri salutis singulare conmentum. Innumerabilia sunt de 241
 diis et heroibus apud poetas exempla, quae, quando ficta dici pos-
 sunt, amittenda duximus. Neque Homerum in medium afferam, qui
 Iovem usque adeo libidine incensum narrat, ut omnium rerum, 242
 quas optime consilio agendas statuerat, oblitus visa Iunone ita

exarserit, ut ne tantisper quidem differre potuerit, quo ad cubiculum ingrederentur, sed humi, ubi forte erant, uxorem amplexus ibi rem palravit fassus nunquam se amore ardentius concitatum. At ea subiicienda esse putavimus, quae neque negari queunt neque sunt nimis a nostra memoria remota. Vos autem per invocata numina vehementer oro, ne me haec de amore profitentem iam dudum nimis impudentem reputetis neque meis verbis vobis os sublitum iri iudicetis, quando ne Alcibiades quidem non solum a Socrate, sed universa posteritate tantopere observatus Cupidinem pharetratum in scuto depictum ferre non erubuit nequaquam inscius hunc deum quam amplissimum esse ubique gentium dominatorem, de quo ut Moscus poeta inquit, μικύλα μὲν τήνῃ τὰ χερύδρια, μακρὰ δὲ βάλλει, βάλλει κείς 'Αχέροντα καὶ εἰς 'Αἴδεω βασιλῆα, id est, parvulae ei sunt manicae, longe autem iacit, iacit enim ad Acheronta usque et ad inferni regem. Citetur ergo imprimis Octavius Augustus, qui per saecula cuncta vagabitur quique in adulteros severissima lege animadvertendum esse censuit, ipse quoque ad probum usque vulgaris famae libidini inservivit. Nam inter duodecim catamithos totidemque puellas, si historicis credimus, accubare solitus est. Quid Tyberius in secessu Caprensi de reconditis libidinibus excogitarit, quos puellarum exoletorumque greges, quos monstrosi concubitus repertores et spintrias conquisiverit, qua tabularum sigillorumque lascivia cubacula adornaverit adiectis quoque libris elephantibus, ne facile quidem credi potest. Quis libidinem in imperatores eius saeculi tam saeve fuisse grassatam existimarit? Callicola nanque cum omnibus sororibus suis consuetudinem strupi fecit. Claudius in mulieres profusissima libidine fuit, contra vero marium omnino expers. Quis monstra Neronis incestu libidinati recensere poterit?, qui Sphorum pro uxore ducere, nubere Doriphoro, maternum concubitum appetere pro minimo scelere reputavit, cuius nefandam libidinem ex saeviente potius amoris numine, quam suapte natura quisquam fortasse coniectarit. Otho libertinam aulicam amavit ac sese Neroni mutua stupri consuetudine insinuavit; Pompeiam Sabinam ita dilexit, ut ne rivalem quidem in ea Neronem tolerarit. Vitellius quoque Spintria cognominatus Capreis inter Tyberina scorta pueritiam egit et adolescentiam. Cenidem Antoniae libertam Vespasianus imperator adamavit. Titus quoque, quem orbis delitias appellarunt, suspecta luxuria libidineque fuit. Nam Beronicem reginam vehementer amavit et exoletorum spadonumque gregibus delectatus est. Patrem vero et fratrem Domitianus assidui concubitus exercitatione, quam Clinopalem appellabat, longe superavit; Iuliam neptem ardentissime palamque dilexit. Lutius socrum Faustinam incestavit. Tercentae concubinae cum totidem exoletis imperatori Commodio affuere, ab eodem construptae sorores, amata Martia concubina, quam pictam in Amazone diligebat Amazonicoque habitu in arenam saepe processit et ipse quoque Amazonius cognominatus. Pertinax Cornificiam infamissime dicitur dilexisse. Atque, ut in profusissima il-

lius saeculi petulencia inmoremur, quod plus aequo lascivisse non
 inficior, Antoninus Caracallus nobis occurrit, qui Iuliam novercam
 uxorem duxit, quam cum per negligentiam maxima corporis parte
 nudatam vidisset dixissetque Antoninus: Vellem, si liceret, continuo
 illa respondisse fertur: Licet, si libet; an nescis te imperatorem
 esse ac leges dare, non accipere? Hunc quoque matrem uxorem 255
 duxisse volunt. Heliogabalus autem omni ex parte cum Neronia-
 na libidine conferendus, nisi forte superarit, qui in lucernis balsa-
 mum exhibuit, caeteris voluptatum generibus patris incestum ad-
 misit, in aedes saepe publicas e circo, theatro stadioque scorta
 coegit, apud eas non secus, atque ad conmilites concionem ha-
 buit, ad quas de voluptatum generibus saepe rettulit, iupsit rite
 dicere sententias, super quas gravissima saepe consulta fiebant.
 Gordianus mulierum cupidissimus duas et viginti pellices habuit. 256
 Piparam regis filiam barbarico genere natam Gallienus perdit
 dilexit luxuriae et popinis valde deditus, in cuius quidem amore
 consenuit. Victorinum autem virtute Traianum, clementia Antoni-
 num, gravitate Nervam, parcimonia Vespasianum, censura urbana
 militarique Pertinacem Severumque imperatores superasse dicimus,
 libidinem tamen muliebris voluptatis superare non potuit. Divum 258
 autem Aurelianum, quem sine maximo scelere praeterire non pos-
 sum, quando Syrmii natus e gente vestra ducit originem, quam-
 vis rara, libidine tamen aliqua fuisse legimus; Proculum quoque 259
 centum e Sarmatia virgines cepisse, ex his una nocte decem in-
 ivisse, omnes tandem ad quintum decimum usque diem mulieres
 reddidisse; Carinum vero uxores ducendo et reiiciendo novem du-
 xisse, palatium mimis et meretricibus implevisse. Ego vero, quando 260
 hac obscenitate sanctissimae Beatricis aures incestare videor, ne
 diutius suo numini sthomacum faciam, si unum tantum addidero
 exemplum, quod aetate nostra accidit, his finem imponam. Divo 261
 Sigismundo Pannoniae rege condamnato imperante amantes duo
 in conspectum eius adducti sunt, quibus alternis complexibus
 divelli non licebat et mutuo usque adeo sese amore fovebant, ut
 alter in altero vivere putaretur. Mox ubi imperatoris mandato dis-
 iuncti sunt, faemella statim occidit, mas vero vix nimia suorum
 consolatione ad paucos dies vitam differe potuit. O indomitum igitur 263
 amoris imperium, o tyrannidem usquequaque imperiosissime
 dominantem, o violentissimam necessitatem, o insidiosissimam vo-
 luptatem, o inevitabilem decertationem, o superbissimam concupi-
 scentiam in praecordiis hominum residentem, o facem inextingui-
 bilem. An mentiar, an vera dicam, non modo ex superioribus ex- 264
 emplis intueri licet, sed in se quisque vestrum faciat coniecturam.
 Incestus enim inconcessasque libidines non probarim, sed pro na-
 turae iure modicis uti voluptatibus, quibus si caruerimus, miseram
 vitam ducere videmur, non modo licere, sed bonum et beatum esse
 asseverandum est. De aliis autem voluptatibus, quibus caeteri sen- 265
 sus oblectantur, dicendum nihil esse duco, si quidem nemini de-
 negari debent, si qua in his quisquam mediocritate fruatur. Quas 266

ob res, dum vivimus, licentius pro se quisque voluptatibus operam demus neque sthomacum languere neque corpora patiamur, cogenti appetitui et instanti concupiscentiae deserviamus. Quantum ventri tribuere debeamus, nemo vestrum ignorat, quippe qui publicum est aerarium, unde caetera membra ammonam et nutrimenta suscipiunt, quem qui ieiuniis reddunt exinanitum, totum reipublicae corpus redigit ad internitionem. Hac igitur indulgentia sedatis voluptatibus expletaque libidine ad caetera officia reddimur expeditiores. Auream igitur illam divi Platonis sententiam memoria semper habebitis, qui beatitudinem crapulam esse asseruit. Item et hanc ipsam Homeri, quae ita Latine interpretari potest: Nulla, crede mihi, res mensa suavior illa est, quae Cererem Bacchumque simul carnesque ministret. Et alibi apud eundem: Quam parit atra fames, dirum est, heu, morte perire. Quam ego saepe secutus utinam in hoc me regali convivio talem praestare possem, qualis fuit ille phago, quo Aurelianus imperator iocundissime delectatus est, qui uno die ante mensam eius aprum integrum, centum panes, item vervecem porcellumque comedit et infundibulo appposito plus orca bibit. Aut Firmus ille forem, qui multa carne vescebatur strucionemque ad diem comedisse ferebatur. Nam pro nihilo ducerem, si superpositam pectori incudem constanter, ut ille, perpeti non possem, neque si inter cocodrillos eorum adipibus unctus non natarem, neque elephantos, ut ille, non regerem neque ederem hippopotamos neque strucionibus supersedens pari arte et audacia evolarem. Id unum hodie doleo, quod Maximini stomachi compos esse nequeo, qui uno pastu sexaginta carnum libras edebat Capitolinamque amphoram siccabat. Non enim tot pavones et aprugna glandia neque tot missus adiciali quoque caena lautiores temere paterer abire, quos si Antonius cum Cleopatra spectasset, uterque se epularum varietate et praestantia victum profiteretur. Quod si nuncupanda mihi hodierno die vota essent, duo summo studio a diis immortalibus peterem, imprimis guctur camelli collo productius, deinde ventrem Meotide palude capaciorem. Nunc reliquum est, ut omnibus voluptatibus omnem curam diligentiamque tribuamus, ut in iocunditate semper et ilaritate vivamus. Quod si praeter opinionem vestram aliqua diximus latius evagati, veniam date, quaeso, non difficilem, quando tanti ventris imperium aliter me sentire non patitur.

BEATRIX, REX MATTHIAS, GALEOTTUS, FRANCISCUS.

BEATRIX: Desiit tandem impudentissimus Epicurus, immo Epicuro quoque detestabilior, siquidem miser ille, quamvis summum bonum in voluptate statueret, non tamen eam a virtute seiunxit neque de corporis, sed animi voluptate locutus est, quippe quae ex mentis quiete nulli obnoxiae turpitudini provenit, neque ventri et libidini deditus, cum oleribus tantum et in lautiore caena caseo uteretur. Hic multo deterior est, quando multa non ioco,

sed serio potius locutus est ac regia licentia plus aequo abuti non veretur. Laudarem ingenii acrimoniam et viri eloquentiam, nisi eum longe perniciosius, ac dixerit, sentire intelligerem. Hic enim non ad salutem, sed ad perniciem philosophatur. Num sibi venit in mentem, quam facile lubricis saepe dictis vana ingenia collabascunt, cum genus humanum suapte natura ad intemperantiam quanque proclive reddatur. Cui si subornatas et verisimiles adieceris rationes, non appetere, sed in vicia furere pro humana fragilitate videbis. Unde igitur, Galeocte, philosophorum sectas promanasse putas?, nisi ex iocosa Socratis disputatione, qui cum multa ironice, nonnulla ioco, caetera serio diceret, aliter alii dicta eius interpretati sunt. Quare factum est, ut alii in voluptate, pars in divitiis, nonnulli in honore, plerique in validudine, caeteri saniore mente summum bonum in virtute collocarent. Nescis igitur, sceleratissime omnium et ab omni religione destitute, quam grave sit et periculosum haec in vulgus edere, quae sunt ab omni ratione aliena, et quam maxime palam de voluptatum licentia disputare, ad quam ultro humana fragilitas inclinatur. Quid enim humano generi est ipsa voluptate perniciosius?, cum omnem animi fortitudinem enervet et caelestem humanae mentis ignem extinguat. Et, quod est maxime detestabile, in humanis voluptatibus summum bonum statuebas. O miser iterumque miser, immo verum miseriarum gymnasium, in his rebus faelicitatem locandam esse ducis, quae omnem miseriam superant et infaelicitatem? Credis enim, quae caduca sunt et momentanea et quae per se obscena sunt et turpia, praeterea, quae, principio si qua ex parte iocunda videntur, exitus tamen praebent amarissimos, haec solidam faelicitatem hic nobis afferre posset?, quando id est summum bonum, quo comparato nihil amplius appetitur perpetuaque beatitudine animum complet. Quod cum Heraclitus ille novisset et, quod potissimum appetebat, in vita non inveniret, in perpetuis lachrymis fletibusque vitam duxit. Helleboro tibi opus est, siquidem litterarum studiis insudasti, ut non solum ad tuam, sed aliorum perniciem desiperes. In hoc dumtaxat faelix fortasse videris, quod miseriam et calamitatem tuam non intelligis, cuius donec paenas deo non exolveris, eam sentire non poteris, quoniam in te omnis resipiscentiae modus disparandus est. Domini mei aliquandiu admirata sum patientiam et comitatem, a qua pro innata mansuetudine non discedit, sed, quando satis blatterasti, ex religiosissimi Ladislai dictis, qui iam iam dicere paratus est, si potes, resipisce, miser.

GALEOTTUS: Faciam, si fieri potest, et pro referenda attentionis gratia intentissimas aures, ut par est, ditioni vestrae dedo.

REX: Succensuistine Galeotto, dulcissima coniux? Neque sat diu hominis novisti mores et licentiam, quo neque infestiores virtutem hostem neque maiorem habet voluptas ipsa defensorem. Regii profecto est animi aequa et iniqua pariter audire, dissimulare molesta et inter obscenos quandoque connivere, ne mentis

regiae serenitas perturbetur, quo decori nostro nihil magis adversatur. Sed ingenue fateor, mea domina, tuas in hac re partes magis laedi, quam meas, quando sacrosanctum pudicitiae nomen nulladictorum obscenitate dehonestari aequo animo pati potes. Postquam vero horum ingenia sublimi hac tua propositione excrutiare occepisti, ne saevi; iocundiora sunt, quae supersunt, res sub manibus ipsa succedit, a Ladislao familia nostra non indigno praestantissima quaeque ac regio auditu digna expectato, qui nullum adhuc verbum fecit, ut altioribus hanc belluam confoderet argumentis. Nos autem huic non parum gratiae debemus, quando, quocunque modo potest, nostros animos oblectare conatur.

BEATRIX REGINA: Fateor, pater, nos multa simulare et dissimulare oportere, ne a regia dignitate discedamus. Sed, cum non tam viri impudentis ineptiae, quam desperanda me salus huius excrutiet, facere non possum, quin admodum ipsa commovear, quod quidem non tam severi, quam clementis et pii est animi, et nos quoque id ipsum prae caeteris praestare debemus. Nam, quicunque publicam personam gerunt, publicae saluti omni cura et diligentia studere debent. Pravis opinionibus est iste perditus, in quibus offirmato animo ita consenuit, ut inde nullo pacto dimoveri queat. Summum bonum in voluptate statuit, quo detestabilius nihil censeri potest, et, qui circa ultimum finem, hoc est, circa summi boni cognitionem errare videtur, eius quaeque eluditur operatio. Summum autem bonum cognosci non potest, nisi ab his, qui sunt orthodoxa fide muniti. Fides vero, quando caeleste donum est, non nisi in puro et mundo corde reperitur. Purificatio mentis implorandae verae fidei est causa, haec vero ex dei timore provenit, quia sordidam caecamque mentem diluit et illustrat. Galeoctus igitur, quando neque deum timet neque impuritate sua credit neque fida credulitate cognoscit verum et summum bonum, quando ad obscenas voluptates omnia refert, quomodo salvus esse possit, non intelligo. Haec autem cognitio ultimi finis, quia naturae vires esuperat, ab intellectu nostro percipi non potest, nisi per fidem a clementissimo deo altiore cognitione donemur. Quae nam fides in eo esse potest, qui sordidas voluptates pro virtutibus habet, qui saevam libidinem divinum iudicium minime subituram arbitratur, qui spurcissimos amores divina mysteria reputat, qui denique miscens fas et nefas corpori omnia tribuenda, animae vero divinarumque rerum nullam rationem habendam esse ducit? Vere de hoc dici potest, quod in sacris codicibus legi solet, malitia occecavit eos. Quare huius viri delyramenta litterarum lepore condita partim commiserationem, partim indignationem mihi suscitant, quia, ubi plurimum sapere et recte sentire opus est, ibi minus sapit et ita voluptatem invertit, ut depravatis opinionibus alienas mentes nondum virtute munitas inficiat. Vos autem, qui adestis, nihil sordida voluptate detestabilius reputate, contra vero nihil ipsa temperantia et pudore prestantius, ubi vis omnis rationis apparet, qua caeteris animantibus praestare videmur. Tuque,

frater, imprimis institutam continentiam servato, existimato nihil regia dignitate dignius, quam se ipsum vincere, libidini suae imperare, abominari turpitudinem, munditias denique mentis corporisque curare. Nam, qui aliis praesunt et aliena vitia castigare debent, praeclarum de se exemplum omnibus exhibere oportet et nihil die noctuque impensius curare, quam immortalitatem et potestatem a deo sibi traditam, quando omnis potestas a deo est, recte sancteque gessisse videantur.

REX: Altius et commodius, Aedepol, Galeotto mea domina philosophatur, quam si quisquam pro Beatrice faelicitatem dixerit, minime mentietur.

FRANCISCUS: Ne timeas, quaeso, diva soror, quando ne perniciosae quidem ullae veneficarum voluptatum me illecebrae capient, quare multum et tibi et nature me debere confiteor, cum illa per se me finxerit continentem, tu quoque virtutis et cuiusque sanctitatis te mihi proposeris exemplar, cui tantum inest numinis, ut, quicumque in conspectu tuo versetur, ne minimum quidem vitii cogitare possit. Quin etiam ego Galeotti dicta miratus praeter eloquentiam et ingenium caetera floccipendi neque in sententiam suam ulla argumentorum suasionem duci possum, quem experientia perdociuit. Nam, in castris si obscena libido et castrata voluptas foret, nulla victoria virtute pararetur, ubi in nullum crimen severius, quam in turpem libidinem animadvertendum est. Et more maiorum nulla in castris retinere scorta licebat, ne militare robur enervaretur neve virentes animi defluerent. Nam, si voluptatibus miles circumventus fuerit, neque ducis observabit imperium neque in sua statione persistet neque ulla coronae cupiditate rapietur neque laborem patietur et inediam neque, quancunque res tulerit, fortitudinem prestabit, sed ignavus, iners, inglorius, desertor et perfuga fiet. Iccirco procul a voluptatibus contineri debet, ut nihil pulvere et sudore dulcius, nihil vulneribus adversis insignius, nihil virtute et honore praestantius esse ducat. Quid enim magis Severi Romani condamnati imperatoris gloriam denigrasse visum est, quam suae in milites indulgentiae decreta, quibus aureis anulis uti, in castris scorta retinere et cum mulieribus habitare permisit? Ille quoque primus militare robur ac vitae asperitatem, item in laboribus obsequium, constantiam, observantiam in duces omnino subvertit, pecunias appetere docuit, in delitias introduxit, laute vivere ac delicate dormire permisit, quae quidem omnia a militari disciplina erant plane aliena. Appius Claudius consul, cum adversus Volscos voluptatibus enervatus exercitus et contumacia quadam male pugnasset, decimum quunque militem fuste percussit. Scipio Africanus in obsidione Numantiae corruptum licentia luxuriaque exercitum ad generosam militiam continentia et moderatione revocavit, omnia delictorum instrumenta rescidit, duo milia scortorum a castris eiecit, militem quotidie in opere habuit. Nos quoque id ipsum ab invictissimo rege nostro sanctissimo, militaris disciplinae magistro quotidie factitatum vidimus. Bacchanalia sa-

crum Graecum et nocturnum scelerum omnium seminarium in vestigium et multorum paenam a censoribus sublatum est. Quamobrem voluptatem omnem in virtute et immortalitate collocandam esse arbitror neque regii animi quisquam esse potest, qui deserto splendore gloriae et contempta dignitate sua in spurcitiam rerum humanarum se demerserit. Excellentis enim est animi secum assiduo reputare, quod, quanto in altiore quisque gradu versetur, tanto in quoque virtutum genere praesantiores se praestare oportet. Quare, dulcissima soror, desine sollicitari tibi que persuade rem meam in vado salutis esse, sed de nostro conviva dubitandum est, qui ne sentit quidem eque, ac disserit. Proinde doctus ac probus antistes iste tibi excitandus est, qui maximas res mente volutare videretur. Quod si feceris, instructas Galeotti sicophantias facile videbimus conculcari.

BEATRIX REGINA: In sacrosanctam religionem profanus iste Galeoctus coniuravit, mi Ladislave, et, quae de legitima voluptatum licentia disseruit, non ignoras. Nos autem, quia partes tuas has esse duximus, minime confutavimus non ignorantes, quantum in rerum divinarum humanarumque disceptationem tuum valeret ingenium. Quare, cum in rem tuam illata sit iniuria, quamvis haec pertineat ad universos, tu tamen pro tuo iure sanctissimam defende veritatem neque patiari catholicam fidem, cuius in Turcorum finibus propugnator es acerrimus, ab impurissimo homine pollui, quippe qui omnia bona refert ad voluptatem, quae cuicunque dominetur, verum et summum bonum eum intelligere non permittit, sed in ceno rerum humanarum detrudit et extinguit. Da igitur operam, ut te ac nobis digna loquere, ne te diu cogitandum frustra spectasse videamur.

LADISLAUS EPISCOPUS, BEATRIX ET REX MATTHIAS.

LADISLAUS: Tria sunt hominum genera, ut inquit Hesiodus, invictissime rex tuque serenissima regina, quorum alterum, quod optimum appellatur, eorum est, qui per se omnia noscunt et per se optime operantur; alterum est, quod bonum dicitur, eorum, qui, etsi per se non intelligunt, quid sit agendum, parent tamen bene consulenti. Tertium est, quod pessimum dicitur et profecto perniciosum, eorum, qui neque per se intelligunt neque recta aliorum consilia sequuntur, sed appetitu dumtaxat et libidine trahuntur. Vos autem mihi difficilem provinciam delegastis, quando cum eo mihi res est, qui in tertio illo hominum genere versatur, quippe qui neque per se intelligit, quando impuritate sua neque respiscere neque recte sentire potest, et usque adeo pervicax et improbus effectus est, ut ne recte quidem pareat consulenti. Qui enim in rerum humanarum voluptate summum bonum collocavit, de deo nequaquam bene sentire potest. Qui vero deum non intelligit, eum non appetit et, qui non appetit, non amat et, qui non amat, nullo divinae fidei beneficio fungitur. Ex quo fit, ut adversarium indo-

cilem, improbum, pertinacem sortiti simus, qui, quamvis multa lectitarit et contemplativam vitam profiteatur, sepultus tamen inter illecebras voluptatum hebetato ingenii totius acumine ad cecitatem omnia pernitentemque rettulit. Neque mihi est is animi vigor 333 neque divinarum rerum ita exacta cognitio, ut et hoc monstrum conficere et sacris auribus satisfacere queam. Sed, quando pro 334 sanctissima veritate pugnamus, in qua defensanda ineptissimus quisque sapiens videri potest, iam bono animo esse debemus et eo magis, quo aequiores auditores habemus, ubi, si aliquanto longiores videbimur, id quaesumus, ne vicio detur, quando apud veteres defensori plus temporis, quam accusatori dari solebat, et iam expletis lautissime corporibus animi latius depascendi sunt. Cum hic de licentia voluptatum et de amore multa disputarit, nos 335 imprimis nihil his detestabilius et amore calamitosius aperiemus, postremo, quaecunque dixerit, omnia confutabimus et, quamvis de salute sua parum bene sperandum est, quia eque, ac Athenienses, indocilis effectus est, quibus ob indocilitatem Plato leges dare noluit, tamen se coniunctum esse confiteri iam cogetur et sic diva benignitas adsit, ut, quando boni compos est ingenii, quandoque 336 rescipiscat. Alcibiadem Galeottus Atheniensem secutus est, qui, cum notissimo cani caudam abscidisset, interrogatus, quare id fecerit, respondisse fertur, ut loquendi materiam populo daret ac de se turpiora reticeret. Eodem hic ductus exemplo in voluptatum 337 licentiam prorupit, ne graviores detegeret errores. Nescit miser uno concesso absurda plura sequi oportere. Nam, qui ultimum finem voluptatem arbitrat, eum in multis errare necesse est, ut in sequentibus facile patebit. Ut igitur mea ad te aliquando vertatur 338 oratio, dic, Galeotte, quaeso, quamam insania percitus dicere audes licentius cunctis utendum esse voluptatibus, cum nullum venenum humanae saluti perniciosius esse censeatur? Nam animi vires, si 339 ad terrena vertantur, proprias actiones destituunt et enervantur et ab intento fine desciscunt, quoniam voluptatum illecebris allectae ad concupiscentiam obscenamque delectationem penitus convertuntur. Ratio autem et voluntas suis viribus orbatae, quae ad improbas voluptates diverterunt, sui compotes esse nequeunt suumque 340 vigorem penitus amittunt. Et, quum rationis actus quattuor imprimis esse soleant, primus est intellectus, qui verum finem, hoc est, summum bonum intelligit, quod quidem in actione quaque principium est, quia, quamvis in assequendo sit ultimum, est tamen in intendendo primum. Hic autem a voluptatibus circumventus tanta 342 caecitate corripitur, ut omni propria luce carere videatur. Alterum vero consilium est et agendarum rerum deliberatio, quae concupiscentia aufertur; quis enim pruriente libidine recte consultabit? Tertium dicitur esse iudicium vel electio, et hec eodem morbo 343 hebetatur. Quarta vero recti propositi constantia dicitur, qua vir in sancta operatione persistit et haec quoque tali infirmitate debilitatur. Voluntas autem, si nullum ab intellectu bonum praeponitur 344 appetendum, desidiosa torpet, divina contemnit et, quid velit, igno-

rat. Interea caecitas mentis augetur, tenebre undique ingruunt, 345
 praecipiti consilio cuncta geruntur, libido saevit, appetitus pro ra-
 tione dominatur, incestatur anima, hebetatur intellectus, omne li-
 berum cessat arbitrium, perturbatur iudicium et omnis constantia
 frangitur; voluntas concupita repellit et repulsa concupiscit; quid 346
 appetat, ignorat et nescit, ubi consistat; afficitur et excarnificatur,
 ducitur, trahitur, rotatur sine gustu, sine sensu vero reperitur, ab-
 ominatur meliora et semper in deteriora deferitur inmemor salutis,
 inmemor honoris et dignitatis. Haec igitur omnia, quae diximus, 347
 mala perpetuaeque miseriae ex veneficis voluptatibus habunde pro-
 veniunt, quae si quisquam intelligeret, quam perniciosae in homine
 futurae sint, nihil, Hercle, cautius evitaret. Non temere a Xenophonte
 de Hercule scriptum existimo, quod in bivio illi matronae duae
 occurrerint, quarum altera voluptas, virtus altera dicta est. Haec 348
 vitam iocundissimam variis delectationibus aspersam sine inmortali-
 tate aliqua deferebat, si imperata faceret; illa contra asperam,
 difficilem et operosam et demum finem cum immortalitate suavissim-
 um pollicebatur. Sapiens igitur adolescens asperam laboriosam- 349
 que virtutem sequi maluit, ut deus evaderet, quam voluptatem, ut
 una cum corpore interiret. Quod si Iovis filium poetae fingunt, ne
 inmerito quidem. Quicunque recte sapiunt, dei filios appellari 350
 decet. Ex quo facile constat, quam calamitosae sint hominibus vo-
 luptates, quas non inmerito divinus Plato humana veneficia no-
 minavit. Heu, quam depravatae sunt illorum mentes et quam con- 351
 fusa iudicia, qui deserta virtute voluptatibus adhaerent, quum om-
 nem rationem extinguere et liberam nobis potestatem adimere vi-
 deantur. Quid enim calamitosius in hostes possumus imprecari, 352
 quam ut harum servitio praemantur? Contra vero quid nobis mi-
 serius appetere possumus, quam ut hunc miserum dominatum sub-
 eamus? Quis autem his credendum existimarit?, quamvis blande 353
 et praefucate nobis occurrant et suavitatem quandam lethali vene-
 ficio conditam prae se ferant, cum tam perpetuam post se mise-
 riam et calamitatem trahant. Quod si earum pernities evidentius
 appareret, nihil profecto vehementius humanum genus abominaretur.
 Quam probe Plato in sua republica sanxisse visus est, qui non 354
 solum spurcissimas voluptates, sed voluptatum carmina, imagines
 ac signa non secus, ac perniciosam labem, e civitate repel-
 lenda censuit, quando poetas et pictores opificesque omnes,
 qui perverse, libidinose, lascive, illiberaliter turpiterque quid edi-
 derint, procul abigendos arbitratur, ne, dum in his exemplis ver-
 sentur, tanquam per noxias herbas vagantes sensim animum et
 gradatim ad intemperantiam convertant imprudentesque reddantur.
 Cum enim, ut ille in eodem libro prosequitur, propter inmodicam 355
 voluptatem de statu suae mentis hominem labi contigerit, nullum
 voluptas cum prudentia moderationeque commercium habet, sed
 comes luxuriae et temeritatis efficitur. Et, quando voluptate vene- 356
 rea nulla vehementior est, eam aequae, ac pestem et quandam ani-
 mi rationisque pernitentiam sanctissimus ille philosophus repudian-

dam arbitratur. Quin etiam in nono quoque suae reipublicae libro 357
libidines inquit rei venereae, praeterea cruoris et gulae iniquas, ef-
feras et inmanes esse, item triplices esse voluptates, quae tribus,
animi potentiis gratificari student, suavissimam autem eam fore,
quae illi animae parti adhaeret, qua discimus et erudimur; caeteras 358
vero voluptates neque veras neque sinceras esse, sed umbratiles
et adulterinas; homines autem epulis huiusmodique delitiis ob-
ruto humi detineri et, si paululum quandoque emergerint, non
amplius, quam interpositam partem attingere; sic quoque per totam 359
vitam errare neque superiorem illam partem et excelsam inferiore
superata unquam ascendere ac ne suspicere quidem neque verarum
rerum cognitione satiari neque integram solidamque libare
voluptatem, sed pecorum more (o curvas in terris animas) pronos
humum semper spectare secutosque terrestria complere ventrem,
venereis sordibus involutari et pro hac denique terrestrium rerum
cupiditate sese mutuo calcitrare cornibusque ac unguibus ferreis
sese competere interimereque; contra vero, qui recte sibi consulit, 360
primum disciplinas colere opertere, quibus animus melius infor-
matus habitum quoque recipit meliorem prudentiamque sibi et ius-
titiam cum temperantia comparat, corporis et vitae cultui studet,
animi valitudinem pulchritudinemque disquirat ac omnia demum
ad animi rationem aptissime accomodare contendit. Idem quoque 361
autor est duplex esse vitae genus: alterum iocundissimum, iustis-
simum alterum e', qui vitam vixerint iustissimam, fore faelicissimos,
contra, qui sine virtute iocundissimam, eos esse miserrimos;
item virtute praeditum et modestia, sive magno sive valido cor-
pore fuerit sive parvo et imbecilli sive dives sive pauper, eum
quoque faelicem et beatum omnino futurum; contra, si opibus, 362
quam Cynniras ille ac Midas, amplioribus fuerit, omni iustitia tem-
perantiaque carentem omnino fore miserrimum. Quare divinus ille 363
philosophus, cum animum rerum omnium, quas homo possidet,
maxime divinum nec aurum omne, quod sub terra supraque ter-
ram est, cum virtute aequiparandum esse putet, quicumque praeter
legem et rationem voluptatibus indulget, animum spernit ac afficit
ignominia, nedum colit, cum malis mordacibusque facinoribus eum
complere conatur. At ille, qui recte iudicat, vitam duxerit conti- 364
nentem et in unaquaque re placidam et tranquillam. Ego autem
ne ista quidem ita dicta esse velim, ut humanam vitam omnium
voluptatum expertem esse oportere iudicem, quando hoc severissi-
mum foret et agreste, sed ut nihil homini inmodica voluptate per-
nitiosius esse intelligeretis. Nam, ut ille inquit, voluptatum dolo- 365
rumque fontes ut a natura profluant, permissum est, ex quibus
quicumque hauserit, quemadmodum et quando et quantum opus
est, sive publice sive privatim agat, faelicitatis suae modum ne-
cessario consequetur. At, qui inmoderate hauserit, miserum fieri
oportet. Nam unusquisque nostrum intra se duos comites habet, 366
quorum consilio utimur, et utrumque inconsultum et amentem, immo
alterum alteri contrarium: hic voluptas, ille dolor appellatur; quorum

utrunque futurorum opiniones antecedunt, quibus spes est commune nomen; sed, quae dolorem anteit, timor dicitur, quae vero voluptatem, fiducia; haec omnia ratio anteit, quid melius quidve deterius, recte diiudicans; ad haec deinde consilium aureum fortunatumque, cui quicunque obtemperant, virtute praestare faelicesque fore opus est. Habet igitur recte vivendi ratio tum dolores, tum voluptates, tum cupiditates et amores, sed moderatos quidem et mediocres neque rationis limites excedentes; contra luxuriosa eosdem affectus intensos habet et effrenatos. Itaque recte vivendi ratio nec voluptates appetit nec dolores penitus evitat, sed in utroque mediocritatem colit, quam quidem animi dispositionem, quicunque divinus futurus est, ei profecto inesse oportet. Ex quibus quidem omnibus facile cuique patere potest duo esse genera voluptatum, alterum honestarum legitimarumque, turpium vero alterum. Qua quidem divisione, ni fallor, omnia Galeotti proposita argumenta solvuntur, quae, quando falsa sunt et subornata, hac unica responsione confutantur, neque quicquam amplius dicere contendissem, nisi aliquas levissimorum hominum mentes, qui fortasse hic adsunt, insidiosa huius eloquentia infectas esse dubitarem.

BEATRIX REGINA: O quam bene et acriter vir iste philosophatur. Primo epichiremmate Galeottus occidit, qui non ioco, sed rem serio agi sentiet.

LADISLAUS: Ad haec anne difficilius reputatis totius orbis hominem, quam sui ipsius imperium vindicare? Minime, inquam; se ipsum vincere longe difficilius semper quisque sapiens facile iudicavit. Alexander non minus regium opus se, quam hostes, domare arbitrabatur. In comparando nanque totius orbis imperio humanae vires artesque nobis opitulantur et ad id praestandum satis esse possunt. Non enim solum ingenium, audacia, pecuniae ac militum robora conferunt, verum etiam doli, fraudes, strategemata, periuria, crudelitas, largitio, violentia, incendia, terror ac caetera huiusce generis non parva adminicula praebent et, ut uno verbo dicam, humana virtus et vitium ad subigendum orbem satis esse videtur, cum victoria talis, quamvis magni sit momenti, vires tamen humanas non superet. At se ipsum vincere, secum quotidie reluctari, sui ipsius insidias praecavere, fragilitate prolabi, mox e lapsu resurgere et in lubrico loco consistere ac in tanta respiscere caecitate profecto hoc nostras vires excedit ac divinum postulat auxilium, quando sine divina gratia nemo a peccato resurgeret neque inter tot laqueos iter sibi faceret expeditum. Atqui, si verum est, quod dici solet, nullam pestem familiari inimico maiorem, heu, quantae molis est cum insita in dies libidine decertare, cohercere intemperantiam et nostrum, ut aiunt, fomitem extinguere, prodire quotidie inter hostes et se demum incolumem referre, quod quicunque fecerit, honorificentissimo triumpho perpetuisque monumentis donandus est. Cur enim multos videmus et innumerabiles fere legimus partim rerum potitos, partim amplissime dominatos, pauciores vero continentissimos et Socratica tem-

perantia praeditos audivimus?, nempe, quia facilius est orbis imperium, quam sui victoriam sibi vendicare. P. Helius Pertinax libertino patre natus, cui nomen ex continuatione lignariae negociationis, quod pertinaciter eam rem gereret, fuit impositum, in Apaenino editus in villa Martis ad imperium Romanum tandem eveclus est. Maximinus quoque pastor ex Getis et Alanis originem ducens Romanum imperium occupavit et saevissime imperavit. Contra Theodoxius imperator deo acceptissimus, cum s'abularius esset, sola virtute, cum se prius ipse vicisset, ad imperium eveclus est. Maxima ubique leguntur imperia, potentatus et regna neque Assyriis et Medis neque Persis et Aegiptiis neque Atheniensibus et Lacedaemoniis neque Romanis et Penis clarissima virorum nomina desunt. Quin etiam et barbarorum Amurcas, Gothos, Longobardos, Sarracenos et Unnos, postremo Turcos late ampleque dominatos non modo accaepimus, sed videmus et ubique stragis, vastationis et ruinae vestigia spectamus. Quod si tanti momenti foret imperium sibi comparare aut inire tyrannidem, profecto neque Scythiis neque Getis neque faedissimis nationibus amplissima imperia contigissent. Cur inter tot imperatores et reges aut paucos aut nullos vere inveneris continentes? nempe, quia longe operosius est se ipsum, quam hostem vincere. Quare Plato libidinum domitores non inmerito triumphare censuit, cum homines continentes et voluptatum victores faelicissimos triumphos agere praedicavit, molles autem et voluptatibus pessundatos instar mancipiorum miseros et infaelices duci. An ego vera dixerim, si gravissimum post Platonem ex vivis testimonium inducendum est, quis mea dicta verius testari poterit, quam haec, quae adest et nostra verba pensitat, sacrosancta maiestas, quae, cum universam fere septemtrionalem plagam in ditionem suam redegerit seque prius, quam hostes, vincere didicerit, utrum sit magis arduum, iam longa rerum experientia facile definire poterit.

REX: Divinitus, nedum vere probeque Ladislaus noster locutus est et, si mihi semper Iuppiter optimus maximus adsit, me fortius ac vehementius mecum, quam cum hoste vel inmanissimo configere oportuisse, quod eo difficilius his esse solet, qui maiorem dominatum adepti sunt. In amplissima nanque potestate sibi moderari, ubi rerum omnium est arbitrium, frenare animos, iram coercere, comprimere libidinem, inconcessis dominari voluptatibus, bonum de se aliis exemplar aedere et a dignitate sua non discedere longe difficilius est, quam non modo septemtrioni, sed orbi caetero imperitare. Nam in imperio comparando, si aequa fortuna, si fides roburque militum, si humanae denique facultates aliqua ex parte affuerint, nihil est, quod ulterius in speranda victoria necessario requiras, et saepe ex his, quae diximus, unum aut alterum sat est ad imperium comparandum. At, ut se ipsum quisque vincat, non solum humana fortitudine, sed divina ope, mihi credite, opus est. immo, quicumque prius se ipsum vincere non didicerit et mox aliqua fortunae temeritate dominetur, diutius imperare

non potest et, si aliquandiu imperaverit, amarissimo fine non carebit. Sed, ne verbis his tua sanctissima interpelletur oratio, reliqua ³⁹¹prosequere, quod meae dominae intelligo fore iocundissimum.

LADISLAUS: Et pro testimonio summa autoritate dignissimo ³⁹²et pro exhortatione hac, qua mea dicta vobis non ingrata esse intelligo, ingentes gratias ago ac reliqua prosequar, quando vestra ³⁹³mihi numina non deesse sentio, confidentius. Cum variae mihi rationes veniant in mentem, illa imprimis in medium prodire festinat originem quenque suam consyderare oportere et pro virili ³⁹⁴parte in dies enitendum, ut, unde venerit, illuc sese referre contendat, e caelo nanque dicimus originem et illuc nobis redeundum est. Unde Graeci hominem recte *ἄνδρα* appellant, quasi arborem ³⁹⁵inversam, cum plantae e terra prodeuntes a pedibus radices trahant caeteraque animalia, cum terrena sint, prona terram semper ³⁹⁶aspiciant, solus autem homo, ut e caelo descendisse videatur, a capite radices ducit, ut semper cogitet, sursum sibi esset redeundum, ubi proprium est et salubre domicilium. Quis igitur usque ³⁹⁷adeo amens est et excors, qui oblitterata e memoria caelesti patria in hac olida voluptatum amurca perpetuo debeat inmergi? Num, quicunque ³⁹⁸has pluris faciat, quam propriam et sublimem patriam, eum ab omni naturae munere destitutum et, ut Graeci dicunt, *ἄχρηστον*, id est, inutilem existimaris?, immo caeteris animantibus inferiorem, quippe quae propria domicilia, quamvis longius educta, ³⁹⁹semper tamen repetere conantur. O infaelicem illum, qui quidem, quid sit et unde descenderit et quo sibi redeundum sit, non intelligit. O divinam illam Socratis sententiam, *γινῶθι σαυτόν*, id est, ⁴⁰⁰cognosce te ipsum, qua vere meruit mortalium sapientissimus Apollinis oraculo iudicari. Praeterea, quid nostrae memoriae magis inhaerere debet, quam divinae imaginis similitudinisque ratio, quam ⁴⁰¹quidem, nisi fedis voluptatibus fuerimus occaecati, in nobis ipsi facile recognoscemus. Deus enim omnipotens, quem iure Orpheus *παντογένηθλαν* appellavit, id est, omnium rerum creatorem, quaedam ⁴⁰²producit intellectum et rationem habentia, quae eius similitudinem gerunt et imaginem referunt, et haec, in quorum ordine homo subnumeratur, non solum a deo directa sunt, sed insita virtute se ipsa in proprium finem dirigere queunt, ad quem si recta processerint, propriam dignitatem retinent et a divino regimine non repelluntur. Quaedam vero finxit intellectu carentia, quae per se ⁴⁰³in suum finem dirigi non possunt, sed ab alio diriguntur, quae quidem partim incorruptibilia sunt, ut caeli ac sydera, et hec a praestituto ordine non desciscunt, partim autem corruptibilia, quae ⁴⁰⁴natura tantum duce feruntur. Nihil igitur ex his, quae sunt in hac materiae fece demersa, praeter hominem intelligit, quippe qui intellectus luce donatus multa divinitus intelligit et contemplatur, qua ⁴⁰⁵quidem parte fretus immortalitate potitur eamque post quandam annorum periodum propriis corporibus impartitur, ex quo tanta divini opificis similitudo representatur et imago refertur, ut cuique homini, si ex hac voluptatum feditate se redemerit, se deum fore

sperare liceat. Nobis enim divino beneficio intelligendi potestas 402
data est, qua quidem et divina et humana deum imitati contem-
plamur et cuncta cum ratione agere possumus, qua cum caetera
careant animantia, ex mortalibus dumtaxat homini pro arbitratu
suo uti concessum est. Quis igitur est ab omni adeo ratione ali- 403
enus, qui omni diligentia studere non debeat, ne divinam imagi-
nem perniciosius voluptatum lenociniis fedare videatur. O faelicem
illum itemque faelicem, qui delegatam sibi divinam imaginem
candidam reddiderit et immaculatam. Quod si perditissimo cuiquam 404
consyderatio ista non succurrat, num hoc saltem secum consyde-
rare debet hominem caeteris animantibus esse nobiliorem, cui qui-
dem sicut natura excellentior, ita moribus et vita praestantior de-
bet suam interea servare dignitatem neque pati, ut ab his ipse ali-
qua virtute superetur. Animalia nanque omnia statutis temporibus 405
coeunt, ut suam spetiem tueantur et servant et plaeraque patratam
venerem tergiversando abominantur; nonnulla tanto pudore ducun-
tur, ut vexata libidine latebras quaerant et nullum arbitrum aequo
animo patiantur, quod et elephantos et multa alia facere cogno-
vimus. Equum legimus apud Plinium, qui cum detracto capitis operi- 406
mento se matrem invisisse cognovisset, praerupta continuo petiisse
atque ita fuisse exanimatum. Aliqua vero ita munditias amant et ho-
nestatem, ut obstructa ceno latebra ad mortem rapi, quam pollui ma-
lint. Quod si pulchritudinem mentis intelligerent, interiores quoque 407
munditias adamarent. Caeterum, si plerique hac consyderatione
minime conmoventur, hos tandem huiusce turpitudinis ratio hinc
avertere debuit. Quanta enim hinc turpitude proveniat, facile na- 408
tura ipsa declarat, utpote quae suum in fingendo quoque genere
animalium pudorem confessa est, quando genitalia membra inter
secretiores corporis partes prudens illa recondit, ad quas tegendas
bipedibus pilos adiecit et quadrupedibus caudam, ut, quanta in
his et quam olida turpitude lateret, facile quisque nosceret; quod 409
si parens illa rerum propagationem animantium sine hac obsce-
nitate producere potuisset, profecto nihil esset in nobis, cuius no-
biscum naturam suppuere posset. Illa vero, ne magnitudine tur- 410
pitudinis quisquam a generationis officio desiceret, tantum delec-
tationis adiecit, ut imprudentes ac sordidi plerique, ex quibus Ga-
leottus iste unus est, summum in ea bonum collocarint; qua spurci-
tia nulla maior, qua penitentia nulla gravior, qua delectatione
nulla brevior calamitosiorque reperitur. Contra vero, quanto melius 411
sentire illi visi sunt, qui sola pulchri honestique ratione ducti per
universam vitam abstinentiam temperantiamque servarunt? Nam,
cum turpi voluptate omnis animi corporisque dignitas polluatur,
nemo sapiens hanc rem viro dignam esse arbitratur. Quid enim 412
ipso viro indignius quisque iudicabit, quam hominem voluptatibus
perinde ac bubulum adacta naribus catena trahi? quis hunc ho-
minem reputarit? quis rationis et consilii compotem existimarit?
quis honesti pulchrique amatorem dixerit?; nimirum, quicumque
sapit, hunc bestiis facile adiudicabit. Contra vero quid pulchrius, 413

quam virum cernere omni nota carentem? quid divinius, quam videre aliquem humanae labis expertem, cui mens pura et animus immaculatus, quippe qui dei tabernaculum dici solet? haec pulchra domicilia deus inhabitat, in his loquitur, his maxime delectatur, hic oracula sua redduntur, quando pulcher deus munda corda diligit amatque. Quod si caetera praeterirent, hoc tamen nos latere non 414 deberet etiam aliquando nobiscum reputare inconcessis nos dedere voluptatibus id creatori nostro perquam ingratum fore, cuius quidem divinis legibus minus obtemperare neque imperata facere nephas est et impium. Divinitus enim gulae ac ventri imperare 415 iubemur et frugalitatem ac parcimoniam in victu colere. Unde illud: Iustus comedit et replet animam suam, venter autem impiorum insaturabilis et luxuriosa res vinum est et tumultuosa ebrietas; quicunque his delectatur, non erit sapiens. Item illud: Anima dis- 416 soluta exuriat et, qui diligit epulas, in egestate erit. Praeterea evitare ocium et desidiam, quia, ut in sacris codicibus legitur, multam malitiam docuit ociositas. Item ab alienis mulieribus ab- 417 tinendum, quale illud est: Ne des mulieri potestatem animae tuae, ne ingrediatur in virtute tua et confundaris. Ne respicias mulierem multivolum, ne forte incidas in laqueos eius. Averte faci- 418 ciem tuam a muliere compta, ne circumspicias speciem alienam; propter speciem mulieris multi perierunt et ex hac concupiscentia quasi ignis exardescit. Non solum per sanctos suos locutus est deus, sed 419 ex ore Pythagorae gentes admonuit talia scribentis: ταῦτα μὲν οὕτως ἴσθι, κρατεῖν εἰθίζεο τῶνδε: γαστρὸς μὲν πρῶτιστα καὶ ὕπνου λακνείης τε καὶ θυμοῦ πρήξης δ' αἰσχρὸν ποτε μήτε μετ' ἄλλου μήτ' ἰδίῃ. πάντων δὲ μάλιστ' αἰσχύνεο σαυτόν, εἴτα δικαιοσύνην ἀσκεῖν ἔργῳ τε λόγῳ τε, id est, haec quidem ita scito, his enim rebus scito dominari imprimis ventri, somno et luxuriae; animi quoque turpitudinem caveo et alienam et propriam. Horum autem omnium te maxime pudeat, deinde iustitiam verbo opereque prestatō. Si igitur pro- 420 prio pudore non movemur, ab obscenis voluptatibus tandem dei timor coercere deberet, cuius mandata contemnere impium est et detestabile. Accedit ad haec evitandi detrimenti et comparandae 421 propriae utilitatis ratio, qua praeter ea, quae diximus, quisque ab his beneficiis suae valitudinis ratione, si honestate non movetur, debet admodum coerceri. Nam, qui proprio conmodo non tra- 422 hitur et praesertim, si non sit ab honestate seiunctum, an inter rationis compotes annumerari possit, non facile dixerim. Si quis 423 enim morbos, qui ex profusa intemperantia veniunt, secum ipse consideret, eam perhorreere non desinet, quam si ad crapulam referas intemperatissimumque victum, quos tandem ex ea fructus leges praeter mentis hebetationem et animi ignaviam desidiam continu- amque frenesim, in corpore vero gravedinem, destillationem, scabi- um, lippitudinem, suffusionem oculorum, suppurationes, pustulas, furunculos, ulcera, apostemata, tubercula, panos, parotides, excres- centias, intercutaneum, regium, paralyticumque morbum, phagedae- nas, inflammationes, chiragras, podagras febriumque cohortes, prae-

terea stomachi, epatis lyenisque vitia, item vomicas, carcinomata,
 profluvia, dissenterias intestinorumque levitatem, quae quidem omnia
 maxima ex parte vitare possemus, si parcius vivere studeremus. At
 quod turpe nobis est ex brutis animalibus aliqua inveniri, quae
 commodius sibi, quam nobis ipsi consulant. Invenitur animal, quod
 castoreum medici vocant, quod adurgente periculo non ignarum,
 quare petatur, testes sibi amputat eosque venatoribus deserit, ut
 parva corporis iactura salutem inveniat. Castranda itidem nobis li-
 bido est et voluptas, ut salutem quoque nobis comparemus. Neque
 vos latet, quod in omnium ore versatur, longe plures ore perire,
 quam gladio. Si quis autem ad repellendas voluptates ea, quae hac-
 tenus dicta sunt, non satis esse iudicavit, si argutius fuerit ingenio,
 quaecunque adiciamus, libenter accipiat. Omnis nostra perfectio in
 veritatis cognitione consistit. Noster enim animus aut agit aut spec-
 ulatur. Si speculatur, triplici utitur adiumento : intellectu inprimis,
 cui prima principia per se notissima patent, deinde scientia ac sa-
 pientia, quam adeptam comparatamque scientiam philosophi iuni-
 ores appellant. Intellectus circa prima principia versatur, quae nobis
 videntur esse notissima, scientia vero ex principiis et causis notio-
 ribus medioque carentibus conclusiones infert et per notiora ob-
 scura cognoscit atque circa universalia, necessaria aeternaque versa-
 tur ; conclusionum quoque habitus esse videtur. Sapientia vero ex
 principiis conclusionibusque aggregatum quid est et utrorumque fere
 nodus ac humanarum denique rerum divinarumque cognitio. Si vero
 animus noster agit facitve, prudentiae ac artis utitur habitu. In mo-
 rali nanque actione pro intellectu synderesi, pro scientia ratione,
 pro sapientia prudentia fungitur. Syndaeresis enim, quam ratione
 altiore esse arbitror et conscientiam plerique nominarunt, circa
 prima operabilium principia consistit nosque ad bonas excitat ope-
 rationes ac semper nobis instat, ne turpitudinem voluptatemque se-
 quamur, atque omnia denique scelera detestatur. Hoc enim habitu
 lumineque caelesti nemo nocens se iudice absolvitur, quamvis cen-
 tumvirali iudicio Ariopagitarumque sententiis impunitate donetur.
 Ratio vero in consultatione agibilium, quid agendum et quo modo
 quove tempore, praeterea quid fugiendum sit, ex notioribus agibi-
 lium principiis ostendit, quam quidem rationem nonnulli duplicem
 esse voluerunt, superiorem scilicet et inferiorem. Superior enim,
 quae divina et aeterna contemplatur, θεωρητικὴ dici potest, inferior vero,
 quae in rebus humanis sive publicis sive privatis assiduo in mora-
 tur, praxis nominabitur. Prudentia vero, quam Cicero veri indaga-
 tionem appellavit, est habitus agendi cum vera ratione circa ea,
 quae homini vel bona vel mala esse possunt. Si quid autem
 noster animus facturus est, idaea, ratione arteque ducetur. Pro
 primo nanque principio artifex idaeam observabit ac ratione duce in
 sua arte proficiet. Hoc igitur triplici habituum ordine freti contem-
 plamur, facimus et operamur. Nam, cum sint duo rerum genera par-
 tim contingentium, partim necessariarum, sapientia, scientia et
 intellectus necessarias, universales divinasque res contemplatur,

contra de contingentibus, quae in nostra potestate consistunt, ars
 et prudentia ratiocinatur. Circa ea vero contingentia, quae a na- 437
 tura fiunt, cum non semper vere a speculativa mente percipi pos-
 sint, opinio sollicitatur, quae quidem actum significat intellectus,
 qui in unam partem contradictionis fertur cum formidine alterius,
 quae, cum decipi possit, inter mentis habitus minime sibi locum
 invenit. Tres autem reliqui fontes honestatis in appetitu sensitivo 438
 collocantur. Iustitia nanque, ut plerique sentiunt, in voluntate, in
 irascibili potentia fortitudo, in concupiscibili vero temperantia col-
 locatur, ex quibus caeterae virtutes, quae vel ad se vel ad alios
 referentur, habunde proveniunt. Quorsum haec igitur, inquires? 439
 Nempe iccirco longius vagati sumus, ut quisque vestrum facile
 intelligat humanam perfectionem faelicitatemque omnem, quam sive
 per actionem appetamus, nullo alio modo, nisi per voluptates, in-
 tercipi et impediri posse. Nam, quem quottidiana crapula ebrietas- 440
 que confecerit, quem obscena libido praeoccuparit, quem intem-
 peratus appetitus in deditioem suam asseruerit, quid intelligere,
 quid recte operari, quid denique facere possit, non facile intelligo.
 Omnia virtutum semina hac voluptatum pestilentia interire viden- 441
 tur. Epicurus autem noster, qui beatitudinem ex ore Platonis aeter-
 nam crapulam esse definivit, quamvis hic non sit confutandi locus,
 tamen, quam dulce delyrarit, facile quisque vestrum iudicare potest.
 Quaecunque enim a sapientissimo philosopho dicta sunt, non per- 442
 inde, ac ille dixerit, eum sensisse credendum est. Nanque, dum
 multa obicit veritati, ut haec evidentius appareat, dum aliorum
 varias infert opiniones, dum ridiculosa quandoque utitur ironia,
 quis est adeo stultus et amens, qui divum philosophum ita sen-
 sisse dicere audeat? Proinde audi Platonem in Phedro serio 443
 loquentem, ubi hominem luxuriae et voluptati deditum pecudi si-
 milem esse dicit, quippe qui discipulos est saepe monuisse solitus,
 ut se a venereis quam maxime voluptatibus abstinerent, veritatem
 dicens non corporeis oculis aut sensu aliquo, sed sola mentis pu-
 ritate videri, ad quam percipiendam, quam vitam libidinibus de-
 ditam et falsas rerum sensibilibus imagines, quae per corpus no-
 bis imprimuntur, nihil maiori impedimento esse posse arbitratur.
 Audi in Plutarcho Catonem voluptatem malorum omnium escam 444
 esse referentem; sententia profecto gravissimo viro ac cive optimo
 dignissima. Audi Aristotelem suum Alexandrum his aureis monitis 445
 cohercentem: Evitanda est tibi, Alexander, luxuriae feditas, quando
 coitus est porcorum ludus. Audi denique divum Homaerum non 446
 temere multa de Ulysse fingentem, quippe qui, cum ad Circeos
 divertisset sociosque ad speculandam insulam emisisset, in sues,
 ut ille refert, a Circe mutatos comperit: αὐτὰρ ἐπεὶ δῶκέν τε καὶ
 ἔκπιον, αὐτίκ' ἔπιτα ῥαῦδ' πεπληγυῖα κατὰ συφεοῖσιν ἑέργνυ. οἱ δὲ
 συῶν μὲν ἔχον κεφαλὰς φωνήν τε τρίχας τε καὶ δέμας, id est, post-
 quam Circe propinavit et illi biberunt, hos statim virga percussos
 in stabulo cohercuit, illi autem suum capita, vocem, setas et cor-
 pora habebant. Hinc enim voluptatis feditas et potentia et quam 447

denique venefica censi debet, pro qua malefica Circe describitur, haud difficulter coniectari potest et recte quidem, nam, cum sues in ceno gestiant volutari, sic sordida voluptuarius quisque turpitudine delectatur. Uliſſes autem fretus ense herbaque Mercurii, id est, fortitudine et virtute, Circem aggressus superavit eamque, ut socios in pristinas formas revocaret, adegit. Herba enim illa, ut Homaerus inquit, a mortalibus sine divina ope evelli nequit; ῥίζη μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι ἵκελον ἄνθος· τμῶλυ δὲ μιν καλέουσι θεοί. καλεπὸν δὲ τ' ὀρύσσειν ἀνδράσι γε θνητοῖσι· θεοὶ δὲ τε πάντα δύνανται, id est, radix nigra erat, lacti vero flos similis, tmoly ipsam dii vocant, quam hominibus mortalibus evellere difficile est, dii autem omnia possunt. Virtus enim optima disciplina, ut Isocrates referente Hermogene dicere solebat, herbae similis est, quae radicem amaram, fructus vero suavissimos habeat, quam quidem sine divino numine evellere non licet. Neque erit ab re, quae de Salmace fonte referuntur, adiicere, ubi demersi homines omnem virilitatem exuere creduntur, quod nulla profecto alia ratione scriptum est, quam ut voluptatibus devolutos eviratos fieri arbitremur. Quare virtutibus ac bonis artibus comparandis quando detrimento sint veneficae voluptates, ex his, quae dicta sunt, satis constare potest. Perturbant quoque ac solvunt animae immortalis harmoniam, quam non solum in corpore, sed in anima inveniri par est. Sicut enim corpus ex quattuor elementis et humoribus constare dicimus, qui sua concinnitate vitam, discordia vero mortem pariunt, ita ex memoria, ratione et appetitu noster animus constare dicitur, qui, si rationem imperantem et obsequentem appetitum sortiat, cum maxima dignitate suavissimam edet harmoniam. Animus enim sapiens, qui frenata libidine ac caeteris affectibus concinnus et sonorus est, caelestem harmoniam aemulatur, ubi, sicut ad unius imperium omnia moventur, ita, si ratio dominetur et paruerit appetitus, nihil modulatus esse potest, quam si rationis imperio cunctos affectus videas obtemperantes. Quas ob res, quando adversus inmodicas voluptates multa diximus, universas quoque a nobis, ut ratio postulat, ne pecudes, ne sues, ne fedae bestiae videamur, repellendas ducimus, cum eas nemo satis detestari queat, nos latius evagati, ne quo divas aures fastidio affecerimus, admodum veremur.

BEATRIX REGINA: Mirifice nos delectasti, religiose pater, et tuarum sententiarum argutia nos in tam altam contemplationem suscitasti, ut diu extra corpora fuisse videamur, quod et longum silentium et attentio vehementissima testari potest. Superasti expectationem nostram et hunc Epicurum penitus exanimasti. Ad confutandam hominis obscenitatem haec satis superque videri poterant, sed, quando nos doctissima oratione tua succendisti, reliqua, amabo, proseguere, nam et tibi gratiam et nobis solidam delectationem augebis.

REX: Solet intercepta delectatio nullam quandoque gratiam promereri. Quin etiam proseguere ac me cum domina pariter oblecta.

LADISLAUS: Pro virili parte imperata faciam ac eo lubentius, quo magis et verbis et numinibus vestris me sentio admodum adiuvari. In omnes hactenus in genere voluptates, quae illegitimae censentur, ut veritas ipsa postulat, invecti sumus, nunc de amoris turpitudine seorsum disseremus, postremo omnia Galeotti subornata vanaque dicta confutabimus, quae omnia cum peregerimus, finem verbis afferemus et iam fortasse fecissemus, ni diva regina nos omnia prosequi imperasset. Parem igitur, atque antea, vestram mihi expeto aequanimitatem. Bacchum et Venerem in persuadenda Veneris obscenitate Galeottus invocavit, falsa quidem et peregrina antiquorum numina, nos contra, ut par est, facere decrevimus, qui ad patrios verosque deos confugere volumus, tuque imprimis, Stephane pater ac Elisabeth regina et divina mater, propitia et mitissima Pannoniae numina, qui res nostras domi forisque salvas et incolumes semper esse vultis, adeste, quaeso, cum virtutes illae caelestes, quibus inter deos referri meruistis, peregrini convivae petulantia carpantur et ita carpantur, ut non solum caeteris anteferantur, sed ne inter virtutes quidem illius maledicentia locum inveniant. Nobis autem tantum vestri aspirate numinis, quantum ad proterendum Epicurum videatur esse satis. Sed, priusquam quicquam eorum, quae ab adversario dicta sunt, confutare incipiam, de malis, quae ex amore proveniunt, deque infaelicibus amantium exitibus nonnulla dicere haud erit ab re. Duo sunt, quae non solum homines, sed caetera animantium genera potissimum hortari et dehortari solent: utilitas et detrimentum. Si cuncta enim vitiorum incomoda cum his pendantur, quae ex turpi amore proveniunt, graviora profecto damna non reperies, quam ea, quae intemperata libido inferre solet. Petulantis enim luxuriae damna haec inter potissima narrari solent, caecitas mentis, inconsideratio, praeceptum consilium, inconstantia, amor sui, odium dei, praesentis vitae cupiditas ac futurae desperatio immortalitatis. Quod si aures intenderitis, me vera dicere sentietis. Humani nanque animi potentiae duplices esse solent, superiores, inquam, et inferiores, superiores vero ratio et voluntas, inferiores autem appetitus, qui in concupiscentiam dividitur et irascibilitatem. Quotiescunque autem erga ea, quae obiciuntur, inferiores potentiae inmodice afficiuntur, necesse est superiores potentias cum his pariter admodum perturbari. Appetitus enim humanus ita per luxuriam voluptati redditur obnoxius, ut caeteras secum mentis vires enervet omnesque rationis et voluntatis actus interturbet. Primus rationis actus simplex quaedam intelligentia est, quae in verum finem solet intendi. Haec voluptate venerea usque adeo saepe hebetatur, ut bonum pro malo finem ostendat. Unde Danielis illud: Species decipit te et concupiscentia subvertit cor tuum. Hinc ergo prima calamitas oritur omnium malorum officina, quae caecitas mentis appellatur. Secundus in agendis rebus rationis actus consilium dicitur, quod de his discernit, quae ad finem faciunt, et hoc venerea delectatio ita confundit, ut comicus ille vere dixisse videatur eam rem nullo con-

silio regi posse, quae neque consilium neque modum ullum in se
 habeat. Tertius eiusdem actus iudicium nuncupatur, quod quidem 471
 tali vicio deperit universum, et hinc omnis inconsyderatio nascitur.
 Quartus autem actus praeceptum rationis nominatur et hoc per 472
 amorem ita contemnitur, ut nullum sortiatur obsequium. Voluntas
 autem confuse et perturbate ducitur. Nam summum bonum et
 verum finem minus appetit et sibi magis, quam deo tribuit, quando
 suo deservit appetitui et divino adversatur imperio. Hinc amor 473
 sui et dei odium solet oriri. Neque voluntas in his, quae sunt ad
 finem recto ducitur appetitu, res enim terrenas et caducas concu-
 piscit, divinas vero negligit et desperat. Hinc ergo maxima duo 474
 damna proveniunt et vitae presentis affectus et futurae desperatio
 immortalitatis. Haec sunt igitur prima detrimenta, quae nobis in-
 terius ex amore proveniunt, ex quibus caetera mala vitiaque na-
 scuntur. Quid enim boni caecitas mentis, consilium praeceps, con- 475
 fusum iuditium, prostratum rationis imperium, contemptus veri boni
 afferre possit, per te ipse cogita. Haec enim omnium scelerum est 476
 fecundissima seges, ubi vix omne rationis robur et voluntatis ar-
 bitrium videtur esse satis. Quare nihil cautius agendum. Nam pro 477
 minima saepe licentia universa fere hominis ratio periclitatur. Cae-
 tera vero vitia Plautino iudicio ex amore provenientia his adie-
 cisse haud erit inutile. Nam amorem haec cuncta vitia sectari so- 478
 lent: cura, egritudo nimiaeque elegantia, infortunium, insomnia,
 erumna, error, terror, fuga, ineptia, stultitia, temeritas, incogitan-
 tia, cupiditas, malivolentia, petulantia, aviditas, desidia, iniuria,
 irōpia, contumelia, dispendium, multiloquium pauciloquiumque.
 Quenam cura maior esse potuit, quam ea, quae Hippia Fabri 479
 tii Veientonis Romani senatoris coniugem dulcem patriam, libe-
 ros, parentes fortunasque relinquere ac ut gladiatorem amicum
 in Canopicum usque hostium prosequeretur, adegit? quanam
 egritudo maior maiorque phrenesis, quam Sardanapali Neronis-
 que consyderare dementiam? quid Othone Heliogabaloque elegan-
 tius? quid Lidio Candaule infortunatius? quodnam genus homi- 480
 num frequentiora territant insomnia? quid Lesbio Carasse erump-
 nosius? quid Claudio ineptius? quid Conmodo incogitantius? quid
 Messallina petulantius cupidiusque? quid Medaea errantius ac
 magis iniurium? quid Aristide et Themistocle malivolentius?, qui,
 cum Stesileam vehementius, quam par erat, deperirent, animos in-
 ter se alienavere et in acerrimas prorupere inimicitias. Nos autem 481
 praeter sanctae charitatis officium cur impudentius quicquam ame-
 mus, nescio. Nam, si humani corporis compositionem materiamque
 rimemur sique eius fenestras, sordes excrementaque consydere-
 mus, profecto nihil est quod neque vere laudare neque vehemen-
 ter amare debeamus. An frontem, capillos admiremur et aures?, 482
 quibus ni assidua cultura adhiberetur, omnia squallore, pityriasi
 sordibusque coinquinari videremus? An quicquam in facie collau- 483
 demus?, sive oculi sive nasus sive os denique reductum plus
 aequo placuerit, si lippitudines oculorum, destillationes narium,

excrementa oris caeterasque sordes ac olida fastidia, quae ad as-
 pernendam humanam speciem videtur excogitasse natura, nobis-
 cum quandoque reputemus, haec profecto, quae humana stultitia
 tantopere admiratur, abominari potius, quam admirari cogemur.
 Ego vero in hac quandoque cogitatione miseriam vilitatemque 484
 nostram ingemisco saepe mecum reputans, plantas caeteraque ani-
 malia longe corporibus nostris esse nobiliora, ut puta terebintum,
 gariophilon, turiferas piperiferasque arbores, amomum, mirram,
 cinamomum, cassiam, balsamum. Praetereo arbores, quae fructus 485
 pariunt suavissimos, praetereo animalia terrestria, pisces, qui uni-
 ones ac purpuras aedunt, quae quidem omnia sunt faetidis humani
 corporis expurgamentis longe pretiosiora. Et, ne quid desit mise- 486
 riarum, quam faeda sint nostra cadavera et in quam diram cor-
 ruptionem sint reditura, hinc licet intueri. Cerebrum nostrae divi- 487
 nae mentis sedem, quod, cum fuerit tanti numinis domicilium, ali-
 quod debuit ex hoc sortiri privilegium, in diros bufones in sep-
 ulchro convertitur; delitiosa caro opimum vermibus praebet ali-
 mentum; cor elatum, quod in tantas saepe iras excanduit ac im-
 mortales deos saepe contempserit, a tetro serpente discerpitur, qui
 ex humana spina prodire fertur. Vermes undique obrepunt et non 488
 secus, atque famelici comedones, membra devorant universa, ubi
 oris speciem, corporis pulchritudinem et oculorum frustra requisi-
 veris venustatem. Dixeris fortasse: Cur tantae miseriae hominem 489
 natura reddit obnoxium?; nimirum iure ac merito id videtur
 fecisse natura. Nam in generatione et in vita indulgentissima parens
 videtur esse, dum omnia tribuit adminicula, quibus evadere pos-
 sumus immortales. At his iniquissima noverca redditur, qui suo 490
 beneficio abuti non verentur. Sanctissimorum nanque virorum, ut
 de septem dormientibus sileam, multa corpora vidimus, quibus
 prae nimia sanctitate peculiari quadam gratia terrena videtur pe-
 percisse corruptio. At caeteros, qui nulla divini obsequii habita 491
 ratione vitam agunt, merito quidem omni miseriae obnoxios videtur
 reddidisse natura. Quod si Hermetis ad Ascrepium scripta nostris
 animis perpetuo fixa teneremus, neque carnem amare neque anhelare
 mortalia videremur. Solus, inquit, homo nexus est dei ac mundi, quan- 492
 doquidem divinae mentis compos est, qua quidem fretus ita quan-
 doque supra mundum elevatur, ut eum plerunque mundi materia
 subsequatur. Quod si se mundo per electionem fecerit inferiorem, iam 493
 quasi honore humanitatis exutus bestiae induit humilitatem ac per
 concupiscentiam porcus, per rapinam leo, per iram canis efficitur. Si 494
 autem in mentis culmine perseveraverit, ad se corpus et mundum
 trahit, si vero sponte se corpori subiecerit, accidentibus corporis
 mens infecta demergitur eiusque maturat corruptionem. Soli autem 495
 homini pudor et verecundia per se inest caeteris pene animanti-
 bus denegata solusque, quid aequum et turpe ac honestum sit,
 diiudicat et cognoscit, caetera vero animalia utilia delectabiliaque
 sectantur. Qui vero turpissima ducti voluptate impudentes et im- 496
 probi facti sunt, caeteris animalibus deteriores existimari debent.

BEATRIX REGINA: Divo Stephano virginique Helisabeth 497
 caeterisque penatibus ac imprimis Christo optimo maximo gratia
 hodie agatur immortalis, mi Ladislæ, quod eorum ope impuden-
 tissimum Epicurum mira cum laude tua superasti, cuius procacissi-
 mum os tam ingenue a te iam dudum obstrui mirifice lætor. Quod 498
 si promissa nobis exolveris, in perpetuum suae vitae silentium
 confusam hominis petulantiam rediges. Nulla te satietatis nostrae
 suspicio subeat, intentius enim reliqua expectamus, hanc enim
 caenam non ambulatoriam, sed diuturnam esse velim.

LADISLAUS: Iam dudum, regina, verebar, ne producta ora- 499
 tione aliquid vobis fastidii parerem. Nunc vero, quando me omni
 liberas suspicione, reliqua brevibus absolvam. Multa hactenus in 500
 omnes voluptates in universum dicta sunt, deinde de amoris in-
 commodis et quam diligenter nobis haec insidiosa pestis evitanda
 sit, disceptatum est; nunc vero tempus est, ut omnia Epicuri nostri
 argumenta, quaeduxit in medium, brevissime confutemus, quod cum
 fecerimus, extremam disceptationi huic manum imponemus.

FRANCISCUS: Otticuit iam Galeottus noster, quem ne in 501
 ruborem quidem converti posse putabam. Nunc vero, quanta sit
 veritatis et eloquentiae vis, hinc facile noscitur. Sed quid hic fa- 502
 ciet, cum argumenta sua tam arguta sentiet oppugnari? Proinde
 institutam, si nobis placere studes, proseguere disputationem.

LADISLAUS: Postquam non solum regia me aequanimitate 503
 foveri, sed faustissimi adolescentis studio me video adurgeri, iam
 res postulat, Galeotte, ut ad te mea vertatur oratio. Licentius om- 504
 nibus homini voluptatibus utendum esse dicebas affirmabasque eas
 nulla naturae lege prohiberi, quippe quae vitium et virtutem nobis
 definire solet et, quas virtutes appellamus, eas in opinione con-
 sistere. Erubescere quandoque, Galeotte, erubescere et, quantum tibi 505
 veritas inclamitet, hinc recognosce. Definitus est, inquam, et vo-
 luptatum et officiorum omnium modus, quem praeterire sine culpa
 non possumus, quod etiam Pindarus plane demonstravit: ἔπεται
 δ' ἐν ἐκάστῳ μέτρον νοῆσαι δὲ καιρὸς ἀριστος, id est, in quaque
 re mensura convenit, ad quam quidem noscendam tempus est op-
 timum. Et quando virtutes ab humana natura seiunctas esse nolim, 506
 naturam ducem te sequi patiar. Dic, quaeso, num ex duplici na-
 tura constat homo?, quarum altera vilior corruptione, altera nobi-
 lior immortalitate sua censeatur. Constat, inquires. Si ex duplici 507
 natura constat, altera est, quae movet ac regit, movetur ac regitur
 altera, altera imperare, altera debet imperata facere. Modum rebus 508
 omnibus mens ipsa definit et, quid appetendum quidve fugiendum
 sit, appetitui voluntatique proponit nec deest conscientia, quae ne-
 minem per ignorance[m] impune limites rationis patitur praeterire;
 hec omnia a natura producta sunt. Ergo virtutum genera, quae ex 509
 huiusmodi potentiis proficiscuntur, imprimis natura duce praefixos
 limites habent, non opinione, sed vera cognitione perspectos, quos
 praeterire non licet, et ab his imposito singulis actionibus affec-
 tibusque modo nulla nobis in voluptate licentia sine mediocritatis

iure permittitur, quam quicumque sibi indulxerit, aequum cum in-
 iquo confundet et inurente conscientia nulla iudicio suo impunitate
 donabitur. Contra vero quid magis naturae legibus adversari pot- 510
 est, quam rationem et mentem ad imperandum a natura produc-
 tam in corporis vesanique appetitus servitute versari, contra vero
 appetitum petulantissime usquequaque dominari?, ex qua quidem
 praepostera inversaque natura cuncta vitiorum genera profluunt.
 Quod si quo naturae instinctu ad voluptates quandoque provoca- 511
 mur, non alio profecto incitatur, nisi eo, qui nobis cum brutis
 animalibus communis est, quem quidem in nobis, ut in illis do-
 minari necesse foret, nisi excellentior animae pars supervenisset,
 divina quidem et immortalis, quem inmoderatum quenque et bru-
 talem in nobis appetitum et convincere et examinare debet. Quod 512
 si non fecerit, exuta humanae naturae persona caeteris animanti-
 bus nequaquam differemus. Ad haec variarum gentium ritus bar- 513
 barbarum, inquam, et ab omni ratione destitutarum in medium af-
 ferebat, quibus summam Veneris dicebat fuisse licentiam, ex qui-
 bus quidem gentibus, si memoria repetieritis, non Hebraeas, non
 Graecas et non Latinas, quibus peculiari quadam syderum indul-
 gentia in rebus divinis et humanis recte sapere concessum est,
 sed omnem profanae barbariae fecem numeravit, quando heae non
 modo hoc tempore, sed fortasse nunquam de vera salute recte
 sensere, quippe quae bestiarum more in hoc usque tempus vivunt
 et nullum rationis usum recte servarunt. Non enim Hebraeos in 514
 medium protulit, qui adulteros lapidibus ad necem usque compe-
 tebant, non Latinos, qui adulteros abominari solebant, non Sabi-
 nos, qui pro raptis virginibus eo usque certarunt, quo usque raptus
 in legitima matrimonia et hostes in concives transtulerunt; non 515
 Romanos, qui non modo matronas pudicitiam servare, sed vino
 impudicitiae fomite abstinere voluerunt; non Tyrrhenos, qui pu-
 dorem non pluris, quam religionem extimavere; non Patavinos,
 qui matronarum frugalitate mirifice delectati sunt; non Germanos, 516
 qui intra vigesimum annum, quicumque mulierum notitiam habe-
 rent, si Caesari credimus, in fedissimis et turpitudine reputabant;
 non Cymbros, quorum mulieres, priusquam sese in hostium ser-
 vitutem assererent, vario ac inimiti genere mortis sibi lethum con-
 sciverunt; non Graecos, qui pro rapta Helena Europam et Asiam 517
 in decendale bellum compulerunt; non Seras, quibus lex est nec
 occidere nec fornicari nec adorare simulacra nec furari; non Indos
 et Bactros, ex quorum genere Brachmanes sunt ab omni maligni-
 tate penitus alieni, quippe qui neque simulacra colunt neque cede
 neque temulentia coinquinantur; non Parthos, qui ne corrivalem 518
 quidem Iovem tolerarent; non Arabes, qui thuriferas quoque silvas
 edituri uxorum concubitu sese abstinere; non Amazonas, quae
 nisi servandi generis sollicitudine ducerentur, perpetuam sibi pu-
 dicitiam conscivissent. Fuere hii quoque maxima ex parte barbari 519
 et ad eos pudoris iura penetrarunt, quae si caeteri fere omnes
 barbari contempsere, bruti, quam homines videri maluerunt. Recte 520

igitur Bardesanes Caldeorum excellentissimus sensisse visus est, nam, homo nascitur, inquit, alitur, crescit, comedit, bibit, dormit, senescit, moritur, quae omnia sibi cum caeteris animalibus sunt omnino communia, quippe quae sola natura feruntur. Leo carnem vescitur, feno ovis; formica natura duce hyemem suspicatur et idcirco futuris alimentis orrea complet; apes mella legunt ac miro artificio cellas aedificant, quas hyeme habitant. Ex quibus facile intelligi potest animalia rationis expertia suapte natura ferri, soli autem homines, quamvis et natura quandoque ducuntur, mentis tamen, quae naturam supereminet, et orationis sunt compotes, quae a mente proferuntur. Quod quidem praecipuum quoddam et caeleste donum est, quo munere freti non semper natura feruntur, ut animantia caetera, neque unus est omnibus cibus neque universis vestitus unus neque mos neque lex neque cupiditas neque unus denique vivendi modus, quia, ut Pindarus ait, τέρπον δ' ἐν ἀνθρώποις ἴσον ἔσσεται οὐδέν, id est, dulce est in hominibus nihil fore equale. Singuli nanque homines pro voluntate sua nulli obnoxiam servituti vitam sibi eligunt. Qui autem exuta bestiarum natura veram induit humanitatem, caelesti mentis lumine duci debet et domita libidine summum bonum altius contempletur, quod sola rerum humanarum voluptate impediti consequi non valemus. Hoc autem praestare poterimus, si prophetae verba sequamur. Signatum, inquit, est super nos lumen vultus tui, domine, dedisti laetitiam in corde meo. Et rursus: In lumine tuo videbimus lumen. Disces igitur hinc, mi Galeotte, non barbarum gentium amurcam in exempla duci oportere, quandoquidem autoritate sapientum et non obscenitate barbarorum persuadere solemus. Subiecisti his divini Platonis documentum, qui communes uxores in sua republica esse iubebat, sed illud non addidisti, quod ipse subiecit, non tamen quibusvis, inquiens, mulieres communiter subiicimus, sed principum potestati rem totam committendam arbitramur, ut, quemadmodum pecunias publicas digne distribuunt, sic mulieres quoque fortibus viris et pro cuiusque dignitate partiantur. Videbat enim Plato nil aliud rempublicam, quam privatae utilitatis rationem facilius ac saepius posse subvertere, contra autem una dumtaxat concordia communique charitate fore inmortalem. Ut hec igitur inconmoda evitaret, communes liberos, communes denique parentes esse voluit nec idcirco impudicitiam introduxit, cum generali tempore singulis singulas mulieres pro dignitate cuiusque tribuendas esse censuerit neque libidinis explendae causa, sed generandae prolis gratia viros et mulieres admisceri patiat. Sed duas Plato respublicas instituit, alteram quoquo modo impossibilem, quae quidem haec est, de qua verba fecimus, alteram vero, quam humanae vires praestare iam possent. Longum his et argutum epichiremma subieceras, dum ex antiquorum opinione amorem inter prima rerum principia referebas, qui licet divinitus vera dixerint, tu tamen omnia tanquam profanus Epicurus invertis et in pernitiam interpretaris. Deus enim omnipotens unicum rerum om-

te quaque concupiscentia complevit. Quod si prudens natura non 557
 cavisset, fuissent nimirum homines phenice rariores. Addebas prae-
 terea miram corporis et animi culturam ex amore proveniente, 558
 quod exemplo tuo Bucephalaeque Sarmaticae affirmare tentabas,
 quantum in se utilitatis habeat et culturae isthaec Veneris amara
 dulcedo; neque id inficiari poteris, quem non modo Italia prae- 559
 ter dignitatem viderit delyrantem, sed Pannonia quoque ridiculoso
 calore deriserit aestuantem et, hinc quem quaestum feceris, tu ip-
 se scis, quem si fateri non suppuerit, nihil praeter rei detrimen-
 tum, iacturam temporis, caecitatem mentis et dei contemptum te 560
 comparasse fateberis. Non cultura corporis, sed animi magnificienda
 es, qui, si iustitia timoreque dei excolatur, perpetuam hinc laetitiam
 assequetur. Tu interea Bucephalam et nos sacrosanctam ecclesiam
 Christi sponsam amemus et die noctuque decantemus. Uter autem 561
 amor prestantior sit futurus et utilior, exitus ipse definit. Nite-
 baris ad haec ob nimiam hominis ac faeminae cognationem et
 mutuuum utriusque appetitum ostendere utriusque amorem neque
 prohiberi neque vinci posse. Iam te hoc non latere debuit, quod 562
 in superioribus saepe diximus appetitum ac delectationem hanc ob
 magnam corporis et animae cognationem a natura nobis esse in-
 sitam et animantia tantum ac plantas natura duci, nos autem, cum
 in his, quae sunt naturae, vel nihil vel parum mereamur et prop-
 ter mentis divinitatem aliquid supra naturam sapere datum sit,
 non modo hunc improbum appetitum ratione duce superare pos-
 sumus, verum etiam et multa divinitus operari fas est. Molles enim 563
 sunt et effaeminati, neque hii viri appellari debent, qui ferarum
 more libidinoso trahuntur appetitu atque sese olidis voluptatibus
 dedunt, quorum quidem vita miserrima est, quando id appetunt,
 quod maxime delectat, et id delectat, quod perniciosum est et ab-
 ominabile, in quibus et gustus ita deperditus est, ut nihil sibi
 sapiat, ut in egritudinibus accidit, nisi quod occidit et interimat.
 Ingeris ad haec enthymemata multa, quae non plus falsitatis in- 564
 ferunt, quam ridiculi, quae quidem, ut par est, silentio praeteribo.
 At illud sotticere non possum, quod non minus temere, quam as-
 severanter protulisti, amantem quenque in hac vita esse faelicem,
 in altera vero minus fore miserum. O sententiam tali Epicuro di- 565
 gnissimam, o dictum tabulis aureis incidendum! Confiterer, Me-
 dius Fidius, te recte sensisse, si de salvatoris nostri ac divinae
 virginis Mariae amatoribus loquereris, quorum numinibus rumor
 est te esse infestissimum, et iccirco nullius faelicitatis, nisi faede
 miseriae et aeternae calamitatis, compos esse potes. Contra vero 566
 his numinibus sua sponte dicati hic miseri esse nequeunt et post
 mortem evadunt omnium beatissimi. Quod quidem et in divo Mat- 567
 thia divaque Beatrice licet intueri, utpote qui pro pietate in deum,
 pro fide, integritate, pro inaudita beneficentia in genus humanum,
 pro inusitata denique clemencia et incredibili mansuetudine, pro
 incomprehensibili virtutum omnium cumulo et praeefulgentissimo
 splendore sanctitatis hic vitam agunt beatissimam, quia tanquam

solem et lunam mortales omnes intuentur, et, cum his diutius
 caelestis aula carere non potuerit, sub omnipotentis dei solio tan-
 quam duo fulgentissima sydera divino consulto statuentur. Tibi 567
 autem, Epicure, qui in ceno voluptatum es obrutus, cui neque tam
 suavem et perpetuam beatitudinem intelligere fas est nec quicquam
 recte sapere licet, id tandem constare deberet in rebus brevibus
 et caducis nullam posse consistere faelicitatem. Quid enim solidae 568
 beatitudinis voluptas afferre potest?, quae brevi momento deperit
 et gravem secum penitentiam trahit? At esto diuturnior? Num
 ignoras virentem pulchritudinem defluere ocius, quae causa est
 amoris, immo vesaniae et stoliditatis? Haec autem cum defecerit, 569
 furentem quoque amorem deficere necesse est. Praeterea mortes
 accedunt et egritudines, quae pulchritudini nimium solent insidi-
 ari; fetida quoque et turpia diutius amari nequeunt. Sed conce- 570
 datur amare, dum vivas, quamvis defluente iam aetate et tepe-
 scente iam sanguine desit amandi facultas. An amantes dixeris
 sese post mortem mutuo amatuos, quamvis animae cum concep-
 tis habitibus e corporibus effluent? Illud tandem te latere non 571
 deberet: exutas corpore animas neque exteriores neque interiores
 sensus, qui materiam corpoream sapiant, post se trahere posse,
 quibus singularia sentimus, noscimus et recordamur; neque hanc
 amicam neque illam quisquam neque tu Bucephalam tuam tanta
 corporis mole levatus tunc valueris reminisci. Dices fortasse, si 572
 tantum quandoque sapias, per species divinitus infusas illa quo-
 que singularia cognosci posse. Fateor, inquam, animas hoc modo 573
 post mortem ad particularium rerum quandoque descendere cogni-
 tionem, sed illud ignorare minime debueris: beatas animas incom-
 prehensibili quadam dei indulgentia profusaque largitate infusis
 speciebus adiutas ea noscere particulatim, quae ad sua gaudia faci-
 ant, contra vero reas divina saeviente iustitia ea cognoscere sin- 574
 gulatim, quae miseriam augeant et dolorem; neque tamen putes
 utrasque singularia cuncta cognoscere, quod quidem nisi deo fas
 est angelisque per deum, quippe qui per unam infusam speciem
 singularia multa cognoscunt. Ex his igitur tibi nosse licet huma- 575
 nae obscenitatis amatores contemptis numinibus in Tartarum
 devolvi ibique paenis affici sempiternis et, quos amaverint, assi-
 duo execrari et eo magis, cum ibi nec caro sit ulla singularis nec
 corporis pulchritudo, qua sese antea oblectarint. Item dicebas, quod 576
 si casu forte contigerit amantium alterum superos, alterum inferos
 petiisse, necesse fore aut hunc ad superos aut illum ad inferos
 devolare. O propositionem Galeotto nostro dignissimam, qui tan- 577
 tum immunitatis amantibus tribuis, ut ab omni miseria liberos es-
 se credas; qua quidem in re, nisi te opinio tua frustraretur, quan-
 do gymnasium es libidinum amplissimum, mortalium fores om-
 nium beatissimus. Nam, si duo fuerint mutuo amore deperditi,
 neuter horum ad superos evadere poterit. Sin alter penitentia et 578
 castigata libidine resipuerit et resipiscendo beetur, alter vero ob-
 stinata mente circa paenitentiam ad mortem usque flagraverit, in-

memor dei propriaeque salutis profecto tunc neque hic ad inferos descendere potest, ne qua miseria coinquinetur, neque ille ad superos, ne qua beatitudine sublevetur. Quod autem liberas et expeditas animas esse clamitas, magna tibi est ubique delyrandi concessa potestas. Quippe cum relegate ad inferos animae, quamvis suapte natura libere et solutae esse et nullo loco coherceri deberent, tamen omni per scelus amissa libertate et loco et paenis redduntur obnoxiae, quod non ex loci igneique corporis potentia provenit, quandoquidem humiliora in nobilioribus nullam habent potestatem, sed ex alicuius superioris substantiae virtute, quae reos spiritus ignibus alligat tenebrisque coercescunt sempiternis; atque id ipsum in daemonibus quandoque videmus, quos anulis et imaginibus ac huiusmodi rebus arte magica alligatos esse noscimus, unde maior et his et illis oritur indignatio. Apud antiquos enim spectare licebat, qui daemones in statuis proloquentes et, si consulti fuerint, respondentes audiebant et, quia nondum salvator mundi venerat, cuius adventu daemonum conciderant potestates, varia nomina suis oraculis indiderant: hoc Dodoneum, Delphicum illud, hoc Hammonis, Iunonis illud et Themidos iusserant appellari. Si igitur daemones, quibus excellentior natura fuit, et corporibus et locis divino iure coercentur, quid de noxiis dicemus animis, qui corporeis ignibus alligantur, non ut his vitam praebeant, sed ut hic divinae iustitiae iussu paenas luant? Proinde tibi persuade, mi Galeotte, post mortem amantium alterum altero beari posse. Addis ad haec, qui caelestia deserant et humanis se voluptatibus dedant, commiseratione dignos fore, quod hac altius intelligendi inopia laborent, eosque Iovis filios appellari, qui contemptis rebus humanis divinas appetant. Nescis enim clementissimum deum splendorem sui solis super bonos pariter et malos demittere unaque vocatione ad se omnes convocasse atque neminem beatitudini destinasse, nisi quem sponte sua summum bonum affectaturum ab aeterno praevidit, item cuique boni et mali factam esse optionem et in optando insitam potioris cognitionem. Quare his nugis et gravi divinoque iudicio non evades, quin improbitatis tuae paenas exolvās. Quod autem insitas cunctis animalibus amicitias inimicitiasque esse dicis et vim amoris ad palmarum usque robora penetrasse, ad conservandam quanque speciem id a natura tributum esse non inficior et, ne humanum genus intereat, id quoque nobis datum est. Sed, sicut omnia propter hominem et ad eius usum procreata sunt, in quibus eum dominum indulgentissima natura statuit, ita temperantius eum excellentiusque vivere opus est, quem, nisi legitimo iure coniugii in procreandis liberis, in caeteris rebus oportet esse continentem. Quod autem, sicut videre mulierem, ita et tangere licere dicebas, non est par licentia visus ac tactus, quando multa videre licet, quibus iure frui non possumus. Expositum enim in foro apud argentarios aurum spectamus, quod tamen possidere non possumus. Ad haec ex omni fere causa veneream libidinem cuique licere aiebas. Num ignoras

concupiscentiam in obsequio rationis contineri oportere, mulierem
 quoque inseparabili coniugio esse dicatam neque in alieno agro
 serere licere? Quod autem de perpetua obiicitur continentia, iam 591
 non te praeterire deberet eam tanquam extremum luxuriae opponi,
 sed aequae, ac medium, propterea, quod medium in virtutibus non
 secundum quantitatem accipitur, sed ut recta ratio postulat. Id autem 592
 extremum vitiosum foret, si quis a coniugali toro omnino ab-
 tineret neque unquam uxori debitum exolveret. Quod si omnes
 perpetuam virginitatem servarent, an iccirco vereris humanum ge-
 nus interitum? Immo, id si possibile foret, credas deum hoc 593
 ipsum continuo reparaturum. Utinam tanta divinitus in genus hu-
 manum deflueret caelestium copia gratiarum, ut perpetua regnaret
 ubique virginitas! Nam aut sine pruritu libidinis conciperemus in 594
 prisca primi parentis praevilegia restituti aut faenicis more reparar-
 emur, quando nihil impossibile apud deum. Addebas ad haec, 595
 cum libidini fuerit satisfactum, cuiusque animum fieri expeditiorem,
 quod si magis implicitum dixisses, multo melius sensisse videris.
 Sed, si amoris inconmoda, de quibus supra diximus, pectori 596
 inhaeserint, sat in hac re tibi responsum reputabis. Timorem in-
 super non parvum pro remorata diu Venere suscitabas exemplo-
 que cardinalis Gaditani castissimi profecto iuvenis nos percellere
 tentabas. Utinam, mi Galeotte, mihi quoque hic ipse casus acci- 597
 disset, quia non inter regales epulas, sed inter caelestes ambrosias
 accubarem, ubi neque sitis ulla neque fames accipitur neque mi-
 seria ulla sentitur, sed omnia iam sua beatitudine expleta faelicis-
 simo perpetuoque aevo fruuntur. Non omnibus datum est tam 598
 praeclare mori, nisi iis, quos tu fortasse Iovis vere filios appellasti.
 Ego vero id potius dicere ausim perpetuam castitatem non solum
 animum beatum, sed corpus quoque reddere inmortale, quia, quem
 sanctissimae virginitatis contemplatio nutrit, ab omni labe videtur
 alienus. Mens enim cum corpore pariter stabilitur miraue sincae- 599
 ritate munitur, quod sanctissimorum hominum, qui servata virgini-
 tate in heremo vitam sine aliquo morbo duxerunt, exempla testan-
 tur. Ioannes enim Baptista, quo ex mortalibus inter natos mulie- 600
 rum nemo maior natus est, sanctissimusque Hilario inter gravem
 inedia et victum angustissimum nullam corporis egritudinem
 cognovere. Socrates nimia abstinentiae observatione nullum morbi 601
 genus obivit idemque Paulo et Hieronymo ac innumerabilibus aliis
 accidisse legimus. Nihil enim maiores et instructiores morborum 602
 cohortes, quam incontinentissima vita et diuturna crapula parit,
 quippe quae longe plures, quam gladius, interficere solet. Contra 603
 vero unamquamque humoris malignitatem continentia reducit in be-
 nignum vitaeque asperitas superflua quaeque atterit et quanque
 peccandi materiam resolvit. Sub Amasi rege dicitur Aegyptus fuisse 604
 maxime beata et in ea urbes, quae incolerentur, tunc illic viginti
 milia numero fuisse, cuius quidem rei lex illa causa fuit, quam
 Amasis tulit primus, ut singuli quotannis apud provinciarum prae-
 sides demonstrarent, unde viverent, et, qui hoc non faceret aut non

demonstraret se legitime vivere, morte mulctabatur, quam deinde Solon ab Aegyptiis mutuatus Atheniensibus tulit. Sed quis pudico 605 virgineoque homini formidolosus morbus esse potest, quem deus incolit servator animarum verusque omnium egritudinum curator? Ex quibus facile patet ex assidua continentia nihil egritudinis esse formidandum. Inter extremas denique rationes tanquam aliqua tan- 606 dem verecundia ductus, quamvis eam in omne tempus perdidisse videre, eam subiicere voluisti, quod si quis ipsam Veneris obscenitatem abomineatur, potest tamen caeteris, quae eam anteunt, libere uti voluptatibus, quas amoris lineas sive gradus, ut lubet, appellare poteris. His autem periculis sese credere, quantae temeritatis sit et audaciae, ipse exitus ostendit. Nam multi, cum per 607 visum et colloquium amoris sese crediderint, cum sese vincere confidunt, mox turpissime succumbunt, qui, dum volunt habere, quod vincant, sic cupiunt assequi, quo pereant, atque, dum triumphum quaerunt, in perpetuum opprobrium incidunt nescientes inter caetera mortalium certamina sola dumtaxat praelia castitatis esse durissima. Quis enim ignem gremio feret, qui non aduratur? 608 quis prunas superambulat, cuius pedes igni non laedantur? An id ignoras incautus, quod uno saepe momento vulnus accipitur, quod vix longo deinde tempore curari potest? Non illud tibi succurrit, 609 quod in evangelio salvator edocuit? Qui videt mulierem ad concupiscendum eam, iam maecchatus est. Num illud idem per prophetam admonuit? : Mors intravit ad animas nostras per fenestras nostras. Et sanctissime quidem id nobis traditum est, nam, quic- 610 quid aut videndo per oculos aut audiendo per aures aut loquendo gustandove per os mentem nostram subiverit, concupiscentiam incenderit rationemque interverterit, per fenestras aequae ac vera mors ad nostras animas introivisse dicetur. Quare divinitus illud 611 admonemur: Omni custodia serva cor tuum et averte oculos tuos, ne videant vanitates. Nam, sicut, si quis ore carbones apprehenderit, non laedetur, si statim eiecerit, ita, si visis rebus, quae pruritum suscitant, repentina repulsa detur, nulli profecto nocumento animis esse poterunt. Proinde repellenda sunt haec lenocinia ven- 612 neris ac nostrae libidinis, immo perditionis elementa. Nam, quae gratum in corde hospitium non invenerint, continuo abeunt nihilque ibi possunt struere insidiarum. Quod eo facilius praestare poterimus, si oculos nostros semper ad deum intentos habuerimus, qui cunctis nos laqueis facile liberabit. Quam plurima demum 614 antiquorum exempla intulisti, ut amoris turpitudine honestiuscula videretur, quorum si casus et exitus amarissimos tecum recensueris, eorum certe omnium autorem amorem fuisse iudicabis, quibus multo melius cum fortuna sua foret actum amore caruisse, quam amando una cum iactura nominis paenas quoque corporis pendisse. Sed illud iniquo animo tulerim te plerosque viros falso 615 esse criminatum, ex quibus caeteris ommissis Platonem tantum referam, quem astra vehementer arsisse dicebas, cui si quis inesset pudor et relligio, quamvis de caeteris maledicendi tibi aliqua

fortasse ansa dabatur, divum tamen philosophum omni castitate
 praeditum, nunquam tangere debuisti. Nam, si elegantissimo
 adolescentis ingenio quandoque delectatus est, nullo sibi vitio detur
 praeclaram indolem sine nephario scelere coluisse. Qua enim vitae
 sanctitate fuerit, non solum ex antiquissimis scriptoribus, qui de
 principe philosophorum multa scripserunt, sed ex suis dictis col-
 lige, quippe qui in octavo legum libro, quicumque bene beateque
 vitam agere volunt, eos monet, ut non modo maris, sed innuptae
 quoque mulieris nephandam libidinem caveant neque aliis, quam
 suis admisceantur neque spurios illegitimosque filios procreent
 neque genitale semen irreligiosius pellicibus dedant. Item in nono
 legum non solum eum, cui cum puero, sed cui cum muliere in-
 nupta consuetudo est, capitale sanxit; adulterum quoque a viro
 impune occidi posse lege statuit. Ad haec in primo legum maris
 et faeminae coniunctionem legitimam et a natura datam esse cen-
 suit ad dulcissimam liberorum propagationem. Contra maris cum
 mare et faeminae cum femina commistionem non modo vitium na-
 turae infestissimum, sed detestabile et nefandum luxuriae genus
 esse iudicavit, quin etiam quenque ab omni faeminea tellure, in
 qua quod seminatum sit, oriri nolit, se abstinere severissime iubet.
 Ex quibus omnibus sat tibi constare potest haec non nisi sanc-
 tissimi castissimique viri esse verba. In universum igitur, si cae-
 teras responsiones confutationesque meas memoria complecti ne-
 quiveris, his paucis et breviter et habunde nugis sat tuis respon-
 sum esse putato. Veteres duplicem amorem posuisse, alterum,
 quem vehementer approbas, nimis pueriliter sentientem nullaque
 ratione sese regentem et insipientium tantum pectoribus insiden-
 tem, libidinis luxuriaeque comitem, praelerea impudentem, obsce-
 num, turpem et sceleratum ac demum morte ipsa detestabiliorē;
 alterum vero honestum, verecundum, modestum, constantem et be-
 atum, item castitatis continentiaeque custodem, observatorem vir-
 tutis ac benigne animis aspirantem et hunc sanctissimum, lauda-
 bilem expetibilemque esse assero. Quod si his addidero, quae de
 amore in Fedro divus Plato definit, habunde tibi satisfactum pu-
 tarim. Duos ibi amores introducit, alterum terrestrem atque vulga-
 rem, caelestem vero alterum ac prope divinum. Hunc igitur appe-
 tendum censet, illum vero tanquam perniciosum summo studio evi-
 tandum. Tu autem, Epicure, qui ad hunc turpem et improbum
 referenda omnia censes, quam graviter erres, non tam haec regia
 numina, quam tua conscientia ac exitus ipse testabitur. O ingen-
 tem hominum caecitatem, o intollerabilem improbitatem, o auda-
 ciam nulla venia redimendam, o deperditam faeditatem! Anima,
 quam Christus salvator noster pretiosissimo suo sanguine redemit,
 per faetissimam libidinem propter unius momenti delectationem a
 sceleratissimo peccatore daemonibus traditur et ad sempiterna sup-
 plitia relegatur. In qua quidem execrabili voluptate cito defluit,
 quod delectat, et perdurat sine fine, quod cruiat. Quo autem pacto
 his licenter indulgendum sit, non facile video; tu autem, Galeotte,

qui omnia licentissime facis, cum improbitatis tuae paenas pen-
 dere caeperis, tunc impudentissimae licentiae tuae frustra reco-
 gnita veritate paenitebit. In explendo autem hoc amplissimo ventre
 tuo et satianda gula tibi aliquantulum habenas relaxarem, nisi 630
 haec libidinis fomenta cognoscerem. Libidinis, dixi ?, immo intem-
 perantiae caeterorumque vitiorum haec est fecunda materies. Quod 631
 si credere nequiveris, quid primum parentem ad prolabendum ad-
 egerit, tecum ipse consydera, qui quidem, cum pruriente gula duc-
 tus alieno suasu de vetito pomo degustarit, in caetera deinde mala
 deiectus est et ita deiectus, ut malorum omnium nostrorum origo
 inde profluxerit. Cacadaemon quoque princeps suspectam salva- 632
 toris nostri divinitatem tentaturus a gulae lenociniis fecit initium
 dicens: Fac, ut lapides isti panes fiant. Neque te praeterit, Gale- 633
 otte, Massagetis cibo ac vino captos in insidias Cyri concidis-
 se, Spargapisem Tomyridis reginae filium, ubi vino laxatus didicit se
 in malo esse, a Cyro implorasse, ut vinclis solveretur, statimque
 solum se ipsum interemissem ratum ebrietatem captivitate turpi- 634
 orem, cum haec fortunae, illa propriae culpa adscribatur. Nec ig-
 noras in convivio locupletum apud Aegyptios parvulam alicuius
 mortui imaginem verum maxime imitantem circumferri longitu-
 dine cubitali aut bicubitali et ita dici: Pota et oblectare talis post
 mortem omnino futurus. Quod ad coercendam gulam dictum esse 635
 reputa, quando in ea regione vites desunt et vino dumtaxat or-
 deaceo utuntur. Quin etiam Persas temulentos in Macaedia a
 mulieribus obtruncatos. Ex quibus omnibus manifestum esse debet 636
 gulae voluptates ac ventris indulgentiam omnium esse vitiorum
 elementa. Itaque satis superque iam tibi ex his, quae diximus, con- 637
 stare potest virginitatem et pudicitiam maximas esse virtutes neque
 eas in opinione consistere neque nos voluptatibus licentius uti
 oportere, ut asserebas, quibus faelicitati nostrae nihil adversantius
 inveniri potest, quas non solum cum illicito ac turpi amore repel-
 lendas ostendimus, sed rite ac recte tua dicta confutavimus. Gale- 638
 ottum autem ad necem usque cedendum dimittemus, quippe qui,
 sicut servi, qui ad templum Herculis in Aegyptum confugissent
 seque capta sacra nota deo tradidissent, tangi non poterant, ita
 divo condamnatae Matthiae dicatus et intactus et flagrorum immunis
 dimittatur. Quamobrem in hoc saeculo nobis sobrie, caste relli- 639
 gioseque vivendum est, ab omni intemperantia et libidine pro vi-
 ribus abstinendum, veneficae momentanaeque voluptates forti animo
 repellende, humanarum amor illecebrarum nobis exuendus est, quod
 facile fieri poterit, si in clementissimum salvatorem nostrum, si in
 sanctissimam eius matrem exuberantissimum castitatis et pudici-
 tiae fontem semper animos intendemus, si pretiosissimam redemp-
 tionem nostram quotidie contemplabimur, si animas nostras, filii
 dei tabernacula, servabimus impollutas, si denique regem et regi-
 nam, duo mundi sydera, duo cuiusque sanctitatis exemplaria ante
 nostros oculos quotidie statuemus certatimque curabimus imitari.

BEATRIX REGINA, REX, LADISLAUS, FRANCISCUS, 640
GALEOTTUS INTERLOCUTORES.

BEATRIX REGINA: Gratulor tibi admodum, sapientissime 641
Ladislai, quod hac egregia disputatione non sine magna gloria
nomen tuum amplificasti et opinionem nostram non tam de vitae
probitate, quam de rerum cognitione conceptam honorifice confir-
masti neque puras eorum, qui adsunt, mentes his Epicuri praesti-
giis passus es inverti. Nam, cum in voluptate sordida summum 642
ille bonum collocarit, quae nihil in se laboris habet et difficul-
tatis, contra vero, ut Pyndarus inquit et tu multorum philosopho-
rum autoritate demonstrasti, αἰεὶ δὲ ἀμφ' ἀρεταῖσι πόνος, id est,
semper circa virtutes labor est, copiose quidem et ornate omnia
cum maxima auditorum utilitate et delectatione solvesti. Quare te 643
verum religionis propugnatorem, defensorem veritatis, virtutum
omnium praeceptorem et praestantem denique castitatis et pudici-
tiae assertorem perpetuo praedicabo et iccirco me tibi non parum
debere ingenue fateor. Sanctissimam autem doctrinam tuam opti- 644
mosque mores non solum fide et observantia colam, verum etiam
hanc victoriam, quam pro convicto petulantissimo Epicuro com-
parasti, aliquo munere honestabo. Proinde poculum hoc aureum 645
gemmatamque phialam et pontificia vestimenta accipe in perpetuum
defensatae honestatis monumentum.

LADISLAUS: Et regii est animi et divini quam maxime in- 646
genii tui, munificentissima domina, tuorum animos variis munerib-
us ad laudem excitare, quo fit, ut non modo honoris, sed virtutis
quoque nostrae auctor esse videare, et, cum haec omnia bene
merendo cures, tibi uni gratia est habenda et tibi soli referenda
laus. Nos enim tuo numine adiuti aliquantulum Epicuri os ob- 647
struximus, quippe qui non aliter, atque coclea, sese recondit et,
tanquam facto repentino sydere, iam dudum obmutuit. Munus autem
hoc vestrum inter antiqua stemmata referendum et officiosa fide-
litate et perpetua memoria celebrabo.

FRANCISCUS: Dic post longa silentia nunc, quaeso, Matthia 648
vir fortissime, qui a maioribus nostris una cum fratribus nunquam
degenerasti, quid tibi plus attulit voluptatis, an Turchorum victo-
ria, quam superiore anno cesis hostium decem milibus e Dalma-
tia una cum Lupo strenue rettulisti? An hodierna Ladislai tui glo- 649
ria, qui perniciosum Epicurum reconditis et acerrimis argumentis
confodit, multa divinitus de voluptate disseruit, cui quicunque mo-
dum, commilitones mei, imponere nesciverit, nullum ostendet sibi
cum bestiis esse discrimen. Nam ex quinque sensibus omnis animi 650
corporisque voluptas oritur, quae, si inmodica fuerit, non nisi tur-
pis et improba esse poterit: Sed, quae nimia ex gustu tactuque pro-
venit, ea gemina voluptas omnium sapientum iudicio caeterarum
faedissima iure censetur. Haec enim, cum cibi sit et Veneris, cum 651
belluis homini videtur esse communis, in qua quicunque fuerit oc-
cupatus, in pecorum numerum referetur et incontinens dicetur et

intemperatus, caeterae vero, quae ex tribus aliis sensibus promanarunt, hominum tantum sunt propriae. Audite de his, quid aureus ille loquitur Aristoteles : διὰ τί κατὰ τὴν ἀφῆς ἢ γεύσεως ἡδονὴν ἐγγενομένην ἔαν ὑπερβάλλωσιν, ἀκρατεῖς λέγονται, οἷτε γὰρ περὶ τὰ ἀφροδίσια, ἀκόλαστοι τοιοῦτοι, οἱ περὶ τὰς τῆς τροφῆς ἀπολαύσεις. τῶν δὲ κατὰ τὴν τροφήν, ἀπ' ἐνίων μὲν τῇ γλώττῃ, ἀπ' ἐνίων δὲ ἐν τῇ λάρυγγι, ἤρχετο ἔχειν, διὰ τὸ τὰς ἀπὸ τούτου γενομένας κοινὰς εἶναι ἡμῖν καὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις· τῶν δὲ οὐσῶν κοινῶν αἰσchrῶν εἶναι τὸν αὐτίκα ἡττώμενον λεγόμενον καὶ ἀκρατῇ καὶ ἀκόλαστον διὰ τὸ ὑπὸ τῶν χειρίστων ἡδονῶν ἡττάσθαι. τῶν δὲ αἰσθήσεων πέντε τὰ ἄλλα ζῶα ἀπὸ δύο μόνον ἡδεται, κατὰ δὲ τὰς ἄλλας ἡλὸς οὐχ ἡδεται καὶ κατὰ τὸ συμβεβηκὸς τοῦτο πάσχει, id est, quicunque in voluntate, quae ex tactu gustuque gignitur, superexcedunt, incontinentes dicuntur, circa venerea vero intemperati; tales etenim sunt, qui circa nutrimenti voluptates versantur. Quae autem secundum nutrimentum in lingua gulave consistunt, heae quidem appetuntur et, quae hinc fiunt, nobis cum aliis animalibus sunt omnino communes. Communes autem, cum turpes sint, turpissime sunt; quae circa tactum, a quibus quicunque superatur, incontinens et intemperatus appellatur. Cum autem sensus quinque sint, caetera animalia duabus dumtaxat voluptatibus delectantur, aliis autem stolidus non delectatur aut modice laborat. Quapropter inmodicas reicite voluptates et eas quam maxime, quae perniciosissimae praedicantur, quamvis assiduo belli labore facile superabitis. Tu autem, Ladislae, hac argutissima disceptatione tua nostrum tibi animum, quando domi forisque sapis neque minor litterarum, quam armorum cum sanctissima vita tibi disciplina inest, perpetuo devinxisti.

REX: Sed ad Beatricem liberalissimam redeamus; suo mea domina perfuncta est officio neque nos dedecet eius quoque beneficentiam aemulari. Num Galeottus noster, qui tam pertinaciter et argute veritatem oppugnare ausus est, indonatus abibit? Non minoris quandoque est ingenii falsa tueri, quam vera defendere. Sylla quoque maledicum poetam sine munere non passus est abire, ne quam detrahendi haberet ille facultatem. Proinde modiali poculo, Galeotte, donator.

BEATRIX REGINA: Profiteor me longe maiore gaudio, rex, hodie affici, cum fratrem non minus strenue cum philosophis, quam cum Turchis depugnare videam et utrique nostrum divina benignitate, qui a splendore tuo lumen mendicamus, ea praestitisse licuerit, quae neque te neque familia nostra sint indigna.

LADISLAUS: Quicquid diximus, pater, e sapientiae tuae fonte hausimus tibi que uni gratia est habenda.

GALEOTTUS: Verum est, quod dici solet, quod unumquodque animal proprio alitur alimento: melle vescuntur apes, iumenta pabulo, veneno serpentes, maledicentia denique Galeottus. Sed obmutui confusus sapientissimi antistitis grandiloquentia. Quod si Astyagis exemplo de me supplicium sumere libuerit, qui magos somniorum interpretes, quorum suasu Cyrum ille dimisit, patibulis

affixit, aut Persarum more me humi vivum defodere placuerit, dummodo conmessatum et madidum infodiat; omnia Harpago 664 tolerantius supplicia subibo, qui sui filii carne incautus expletus supra vires humanas et conditionem aequissimo animo omnia toleravit ac se haec non iniuste pati crudelissimo Medorum regi respondit. At ego pro paenis inmeritus tali munere donor, pro quo gratias ago immortales.

REX: Iam hora sera est. Vos autem, qui disputando mihi 665 mirifice satisfacistis, quia hac disceptatione demonstratum est virginitatem et pudicitiam esse virtutes, reliquum profecto foret, ut, quod libenter audivero, mihi ostendatis, an istae sint caeterarum virtutum excellentissimae, ut olim mihi semper persuasi. Quare, 666 praestantissimi convivae, hanc disputationem in crastinam caenam differemus et, huc omnes invitati ut redeatis, vehementer oro, si quid Beatricis vestrae iocunditati ducitis esse tribuendum.

FRANCISCUS Adestote, quaeso, omnes, doctissimi viri, ut 667 divo patri ac sorori inserviamus, quando mira hodie voluptate compestis, praesertim, cum iam dudum edocti simus, quamvis id antea litteris cognoveramus, cardinalem Aragonium germanum nostrum ecclesiastici senatus consulto in Pannoniam et Germaniam legatum et propontificem designatum cras hic affuturum, qui, cum excellenti rerum omnium doctrina polleat, de tam praestanti questione disserere ac exoptatissimae sororis et partibus et voluptatibus inservire sibi non erit ingratum. Interea valete et plaudite et cras ad regale convivium reditote.

LIBER II.

REGINA BEATRIX, REX MATTHYAS, CARDINALIS ARAGONIUS 1
ET FRANCISCUS FRATER.

REGINA BEATRIX: Faelicitatem nostram et magna regis 2 gaudia adventus iste tuus nimis auxit, mi dulcissime cardinalis, cum hoc aspectu tuo cuncta nostra desyderia expleas, quibus nos saepe afficit Italia. Nam, dum te videmus, divum in te patrem et 3 fratres intueri videmur universos et a te sigillatim cum omnes res Italiae, tum nostras licet cognoscere et quam maxime verus iste domus Aragoniae parens et princeps invictissimus te et verbis et memoria quotidie repetit, cuius pientissimam maiestatem te ita re-visere et aequum est et pium.

REX: Vera nunc fatur haec nostra domina, mi Ioannes, 4 quando adventum tuum iam diu exoptavimus, cum vestra consuetudine magnopere delectemur, videmus enim te a divis avis atavisque tuis minime degenerare et non modo humanarum, sed sacrarum quoque rerum te regnum decere cognoscimus, nam imperator es Christi optimus et, cum opus fuerit, domi forisque te sa-

pienter fortiterque geris. Sat me Beatrice mea beatum existimaram, ⁵ nunc vero cum ea tam faustos fratres sortitus a divina benignitate cumulatissima beatitudine me auctum existimo, quae quidem omnia visitatione vestra facitis iocundiora et, cum liberi desint, hac vestra pietate me redditis non orbatum et hinc frequentati amplexus causam ipse conii cito.

CARDINALIS: Tua nos, dive pater, excellentissima pietas et ⁶ inaudita mansuetudo cogit, ut contempto maris Adriaci furore in remotissimas terras te revisere festinemus, quod et sponte facimus, ut par est, et Ferdinandus pater nostram charitatem adauget, qui, si liceret, ab amplexu tuo nunquam divelleretur, et, quod per se fieri nequit, per filios rescire studet, qui usque adeo et maiestate tua gloriatur et tuarum rerum gloria laetatur, ut hac fausta necessitudine tua foelicitatem suam caeterarum gentium regibus anteponat. Accedit suavissimae quoque sororis charitas, cuius aspectu diutius carere non poteramus, cuius quidem faustissimum nomen nunquam sine profluentibus lachrymis e paterno ore prodiiisse visum est, quando haec unica paternae quietis et iocunditatis ⁸ basis esse solebat. Quare, cum utriusque maiestas nos paterna charitate assiduo prosequatur, ne a nobis quidem id fieri posset, quod ipsi officio posset esse satis. Sed Francisco nostro aliquando cogimur invidere, qui tantae maiestatis consuetudine fruitur.

FRANCISCUS: Nimirum fraterculi tui faelicitati iure fortasse ⁹ invidendum est. Nam divae sororis illecebris Italiae desyderium obliteratur et divi regis indulgentia paterna hic mihi pietas resarcitur: in media Pannonia altera mihi resurgit Italia, pro matre soror est, in cuius gremio et natus et nutritus sum, pro Ferdinando magno invictissimus sanctissimusque Matthyas datus est. Ad haec tantum dignitatis et honoris accessit, ut neque id aetas ¹⁰ neque ingenium tolerare queat. Adolescens enim in Fredericum imperatorem potentissimum et veteranum ductavit exercitum, munitissima oppida expugnavit, victoriam retulit. Nam, quicumque sub ¹¹ ductu et auspiciis sanctissimi regis pugnam iniverit, illi semper indubitata victoria esse debet. Iustas fovet belli causas, legiones habet omnium gentium validissimas et Christum optimum maximum, pro cuius fide quotidie pugnat, perpetuum habet adiutorem, in cuius dextra tantum divini numinis esse voluit, ut Matthyam perpetuum sui nominis defensorem ac bellatorem invictissimum esse iupserit. Quare non inmerito Francisco tuo invideri posset. Sed de his hactenus. Nunc vero, cum rex et regina de rebus Ita- ¹² lis multa noscere gestiant, quantum utriusque maiestatis nutu intelligere possum, dic, age, quaeso, sacrosancte frater, quid pater agit, quid sanctissimus pontifex, quid bellicosissimus Alfonsus Calabriae dux, quid maximi potentatus?, qui gravissimis bellis agitantur. Nam post haec ad disputationem festinandum est, in qua hesternae die Ladislaus et Galeottus praeclarissime se gessere. Diva ¹³ nanque soror in superiore convivio hanc in medium proposuit quaestionem tribus continuatis conviviis disputandam, utra potior

esset, virginitas an pudicitia coniugalis, et, cum heri Galeottus insurgeret veluti Epicurus has dicens non esse virtutes, sed licere omnibus licenter uti voluptatibus, cunq̃ue mira sententiarum gravitate et verborum elegantia a Ladislao iam convictus foret, qui has virtutes esse disseruit et gravissimas, regina iussit, ut in convivium hodie referatur, an istae omnium virtutum excellentissimae debeant haberi. Cras vero, ni fallor, utra ex iis praestantior esse videatur. Quare, si iis duobus numinibus nostris spectatissimisq̃ue conviviis rem gratam pro instituto tuo facere contendis, dic, age, in primis de Italiae rebus, deinde, si tuae sorori studes, ad quaestionem hanc animum, sacrosancte, converte, frater.

CARDINALIS: Maiestati utriusque et convivis satisfaciendum est, frater suavissime, sed utinam ingenium et oratio mea his rebus par esse posset, quando de Italia multa relatu digna sunt et haec difficillima quaestio dulcissima sorore nostra videtur esse digna. Quin et prestantis est ingenii in regali convivio, ubi corporibus satisfactum est, ingenua disceptatione animos oblectare et modo de rebus bellicis, modo de virtutum praestantia et aliqua divinarum rerum contemplatione disputare, quod et in Italia saepe nos factitamus et huiuscemodi studio saepe domi soror oblectari solebat. Regiae quoque maiestatis est huiusque quam maxime gravissimam curarum molem hac ingenua recreatione levare. Deficerent enim animi et ad interitum prae nimia cura corpora redigerentur, nisi ingenuis plerisque studiis relaxarentur. Quare, ut iubetis, a patre initium faciam.

IOANNES CARDINALIS ET MATTHYAS REX.

CARDINALIS: Cum mordaces regiae mentis curas et gravissimas fluctuantis animi molestias mecum ipse voluto, princeps invictissime, non mediocris quandoque Ferdinandi patris me commiseratio subiret ac regiam quanque conditionem miseram esse ducerem et me regio sanguine natum in tutissimam Petri naviculam e tanto naufragio evadentem fortasse faelicem affirmare possem, nisi tam eximium virorum genus a divina sapientia selectum esse putarem, ut gentibus iura daret, populos regeret et humanum genus sub iustitia et aequitate disponderet. Pater Neapolitanum regnum haereditario iure initum et apostolici collegii auctoritate comprobatum ut sub ditione sua retinere posset, tot annos cum Gallis et fluctuantissima regaliū principum coniuratione pugnavit, ut nunquam arma deposuerit, donec universo pacato regno, confectis ad unum hostibus, extincta ubique Gallici nominis factione post gloriosas multasq̃ue victorias tuto in sede regia quiescere licuit, quod cum post annos circiter sex gloriose praestitisset, mox tanquam filius pietissimus ad suae parentis Italiae pacem animum convertit, ut, quam maxima ex parte propitiam suoque nutui conspirantem habuerat ac neminem alium peregrinum regem exoptantem, maxima quiete et tranquillitate donaret; atque tantum

deinde ocii per Federicum Urbinatem induxit, ut arma non deposita, sed sepulta viderentur aut in meliores usus forte translata; qui, cum semper sub ductu auspiciisque Ferdinandi patris mira cum fidelitate Aragonium ductarit exercitum, almam usquequaque pacem servare nitebatur. Dum haec ita gerebantur, ecce novae efferuntur belli causae. Veneti, qui partim horthodoxae fidei 22 charitate, partim amplificandi imperii cupiditate longum cum Turcis bellum iniverant, cum parum strenue Euboeam amisissent ac dolo Ciprum occupassent, post exhaustas vires exinanitumque aerarium diuturno bello, ut ubique exclamabant, defatigati cum inmanissimo Christianorum hoste turpe fedus icerunt et, cum hac se Chimera expeditivissent, ad sollicitandam Italiae pacem et dissolvendum sacrosanctum Aragoniae fedus animos convertunt, subducunt Florentinos et cum his adhuc tenellum Mediolanensium ducem in suam societatem asciscunt. Florentini, cum ob Paziorum 23 civium seditionem in metropolitam Pisanum sanguinemque sacrum magna patrata cede saevire perrexissent, Sixtum pontificem maximum ad ulciscendas iniurias compulerunt; quibus quidem una cum Mediolanensibus ob soluti federis dignitatem bellum est a pontifice regeque nostro pariter indictum. Ex eo tempore paternae 24 sollicitudines et curae redintegratae sunt et maiorem in modum auctae. Alfonsus vero frater nullo belli labore domitabilis ex eo 25 die ita mentis corporisque quietem amisit, ut obdurato pectore se bello amplius abstinere nequeat neque nisi Galeatus in castris dormire possit, cum ingentibus copiis contendit in Aetrum, quotidianis incursionibus provinciam devastat, vicos aedificiaque succendit una cum Federico duce, qui ecclesiasticis copiis imperabat; multa oppida expugnat, Castellinam arcem munitissimam, 26 quae ante id tempus nunquam hostili manu capi potuit, praeterea montem, quem Imperialem appellant, et Collem munitissimum oppidum in aedito loco situm vi cepit, ad octavum lapidem Florentiae castra posuit ad portas usque discursans. Dum haec in Aetru 27 ria cum Urbinato nostro frater gerit, labefactatis magna ex parte Florentiae viribus pater per Iulium Aquavivensem Genuenses in fidem suam allicere contendit et per Robertum Severinatem Lyguriam Galliamque Cisalpinam infestat, ut Insubres cum Florentinis pariter oppugnati in pristinam regis societatem redeant a Venetisque desiscant. Quod cum facere coacti forent, vix sacrosancto red- 28 integrato federe, ecce Teucris magna classe Hydruntum adoriuntur, mox Cheronsum et Iapigiam discurrentes omnia igni ferroque devastant, Hydruntum incautum et nulla munitione tempestivoque auxilio fretum magna vi oppugnatum capiunt; usque adeo ab imitissima barbaria in urbe saevitum, ut etiam multo plus, quam excogitari possit, inauditae crudelitatis sit patratum; sacra 29 deorum simulacra fede disfracta et conculcata pedibus, vexilla sanctissimae crucis unco tracta, imagines salvatoris nostri virgis cesae et in foro concrematae; quae argenteae aureaeque erant, 30 mox conflatae et in barbara numismata redactae; virgines inge-

nuaeque matronae in parentum virorumque conspectu stupratae turpiter et pollutae; infantes e matrum amplexibus erepti parietibus illidebantur; oppidani ad unum cesi omnes; summum antistitem cum universo sacerdotum collegio contrucidarunt, sed eum pelle exutum aiunt, aliqui medium fuisse discerptum referunt; sanctissima delubra in stabula redacta. Quid plura?, quando sine lachrymarum profluvio tantam infidelium inmanitatem prosequi nephas est, ut uno verbo dicam, neque diis neque hominibus quicquam remissum est. Iapigia tellus pro indignitate tanti sceleris tunc tota contremuit; cadavera ex urbe evecta et in cumulum redacta (res enim est memoratu digna), quia pro Christi fide occubuerant, neque contabuerunt neque oboluerunt, sed una cum patentibus vulneribus exarruerunt mirumque odorem spirarunt in verum sacrosantae fidei testimonium. Ad haec frater, qui in Aetruia faeliciter rem gerabat, paternis litteris edoctus cum duabus legionibus in Apuliam copiis exhaustam longis itineribus contendit, captam urbem repperit, castris hostium ob aquarum inopiam appropinquare non potest. Barbari expeditis equis regionem incursitant, quorum velocitate freti ante ora nostrorum equitum ad terrorem saepe emicabant, mox refugiebant et sic cathaphractorum equitum pugnam ad extremam usque laxitatem eludebant. Itaque novum pugnandi genus ad coercendam barbarorum audaciam Italos invenire oportuit, quod a validissimis cohortibus Pannonicis, quae a diva maiestate vestra in soceri auxilium ad Hydruntum usque missae sunt, perdidicimus. Quo quidem tempore pater terra marique ingens bellum curare cobeatur neque deerat Sixti beatissimi domini nostri promptissimum auxilium precesque divinae; frater vero tantos labores tantaque pericula in ea obsidione toleravit, ut, nisi pro sanctissima fide pugnasset, minime resistere potuisse crederemus; die noctuque circuire castra, revisere stationes, sollicitare excubias, instruere aciem, munire castra, barbarorum insidiis prospicere, cuniculos agere, struere turres, novo quotidie aggere hostibus appropinquare, ad maenia testudines agere, in urbem saxa ingenti machina iaculari, musculis vineisque hostes infestare; saepe cum accenso solus maenia lustrabat, crepitantibus undique catapultis et prae se cadente comite solus in castra redibat, erumpentibus saepissime ex urbe barbaris cum his quotidie pugnabat et non minus imperatoris, quam militis officio utebatur, aemulabatur saepe barbarorum inmanitatem et ex captivis plerosque palis praefigere Turcorum more, nonnullos cedere ex transverso et ita barbaram crudelitatem saepe coercere. Hydruntum autem ex parte maris Itala classe circumvallatum, ex continente vero altissimo aggere obductum et non minus Italis viribus, quam auxilio vestro in regiam potestatem redactum est; quod ubi duce fratre Alphonso gestum est, praesidio ibi imposito Neapolim rediit et de barbaris gentibus honorifice triumphavit. Nondum triumphi pompa transierat, quod de vexatione Ferrariae cognitum est et maximos belli apparatus a Venetis in dies fieri, delectum maximum haberi, classem

ingentem et actuaria navigia parari, contra Herculem Ferrariae ducem suos fines munire, obcludere Padi aditus, oportunis locis turres erigere, sollicitare auxilia, ad Ferdinandum socerum scribere, ut auxilia festinet, pontificem rogare, ut suam cum Venetis controversiam recognoscat, ius dicat utrisque, praeterea supplicare, ne civitatem sub apostolica tutela diu viventem ab ambitiosissimo Venetorum potentatu iniquissime premi patiatur. Pontifex, quia 42 egre tulerat Florentinos a Ferdinando patre grato animo in gratiam receptos, ratus nondum pro caesis sacerdotibus sat paenarum exolvere et iccirco graviter indignatus in partes Venetorum sese declinavit. Sacrosanctae Italiae societas iam conspicans hoc modo 43 Ferrariam graviter infestari posse Fredericum Urbinatem ad defendendam Ferrariam mittit; qui, cum unum circiter annum eam a Venetorum impetu protexisset, non sine perpetuis Aragoniae familiae lachrymis et ingenti totius Italiae fietu in iustissima propugnatione cum immortali gestarum rerum gloria octogenarius diem obiit. Ad revocandum a Venetorum patrocinio pontificem Alphon- 41 sus invito patre in Latium prorumpit, ad urbem festinat, ad decimum lapidem castra ponit, Anxuris arcem occupat, nonnulla castella oppugnat, imprimis Marinum oppidum in ditionem accepit, per patentem regionem discurret, ex ea parte neminem ex urbe Roma exire patitur; nos quoque pontificis factione vexati non 45 multis ante diebus invitis collegis ex urbe exivimus et interposita aliquantisper sacrarum rerum cura ad tutandum paternum regnum properavimus ac deposito cardineo pileo galeam subire coacti sumus, ut maritimam regionem a Veneta classe protegeremus. Ad haec Constantius Sforzia Tiphernum occuparat, Umbriam infestabat, ubique laborabatur in Italia. Mox pater, ubi pontificis animum placavit, 46 quod Alphonsum filium maxima in Latio agitantem denegatis auxiliis et conmeatibus caeterisque, quae bello usui esse solent, eo usque redexit, ut cum parva manu a magna hostium multitudine vinceretur et ita vinceretur, ut cruentam hostibus victoriam relinqueret plusque sibi victo, quam victoribus laudis et terroris victoria illa compareret, pontificem continuo cum apostolico collegio in pristinam societatem revocavit. Redintegrato federe Alphonsum Romam accersitus ad 47 pontificem contendit, a quo honorificentissime receptus perpetuus ecclesiae propugnator creatus est ac Romani exercitus imperator. Hac suprema dignitate donatus a pontifice continuo Ferrariam mittitur, quam ab hostibus terra marique gravissime premi intelligebat. Festinat Alphonsum in Galliam; urbem repperit gravissima 48 obsidione premi. Cuius adventus tantum terroris hostibus intulit, ut ne quid ultra capere quiverint; animi vero Ferrariensibus rediti, qui antea prorsus consternati fuerant. Deinde, ubi urbem frumento, copiis, turribus, aggere praesidioque munivit, ut hinc hostes averteret, Bergamum, Brissiam, Veronam potentissimas Venetorum urbes aggreditur, campos discurret, oppida multa diripit, vicos incendit et hoc quottidie bello exercetur, cui si in bello Gallico socii potentatus vera obsequia praestitissent et quam maxime

Mediolanensium copiae, iam de imperio, quod in Gallia Transpadana Veneti habent, fuisset actum. Quid plura? A Florentini belli principio in hunc usque diem ne horam quidem unam sine belli cura, strepitu hostium, sine tumultu militum, sine sollicitudine castrorum fuisse visus est et, quo pacto tot labores, tam continuatas vigiliis, tam graves molestias, tam catenata pericula praeliaque tolerare possit, non modo nos, sed universa admiratur Italia.

REX: Ne nimis quidem mirum est, Ioannes suavissime, si Alphonsus noster tam indomita fortitudine, tam singulari sapientia, tam secundis denique successibus in Italia tot annos bella gerit; siquidem ex Alphonso avo progenitus est, quo neque sapientiore principem neque regem iustiore neque religiosiore dominum neque heroa fortiozem neque regem moderatiozem virum neque magistrum rei bellicae excellentiozem quenquam vidit Christiana respublica; in quo, de superioribus quaecunque memoratu digna leguntur, intueri licebat, quo non solum Italia Hispaniaque parens, sed universa exultat et gloriatur Europa; ex vero Ferdinando natus, quo ex regibus nemo sapientior, cuius consilium sat cuique foret ad id, quod ubique est gentium, subigendum gubernandumque. Quid igitur ex tam diva officina depromi potest, quod non sit ubique praestans et eximium? Sed quid Fridericus frater? ane pari ingenio et virtute decertat?

CARDINALIS: Fredericus quoque, ne degeneret, pro virili parte contendit; qui, quamvis, ne iuventam ingrato ocio tereret, apud Suevos, Gallos et Cymbros est aliquandiu diversatus, tamen ob insidiosas Italiae factiones a patre in Italiam revocatus magnum et prudentem in omnibus rebus diligentiae suae demandatis animum praetulit et superiore quam maxime anno. Nam, cum pater classem ad coercendam Venetorum audaciam comparare cogeretur, qui superiore anno maritimam regni partem triremibus infestarent, eum maximae potentissimaeque classi praefecit, quam trajecto freto Siculo circumactaque Calabria in mare Adriacum introduxit, mox premunitis regni portibus maritimisque oppidis ipse instructa classe pelagus medium pervolans in Anconitanum portum desedit inimicorum classem ibidem expectans. Interea Flaminiam, Venetiam, Illyricum Dalmatiamque discurrit; negotiatores multi usquequaque capti, immo prae oculis Venetorum in eorumque portu est acta praeda. Quare usque adeo Veneti sunt animo consternati, ut, quamvis e navalibus onerarias longasque naves educerent, nusquam tamen homines reperirent, qui sponte licet magno promisso stipendio classem conscenderent; Gotolanica enim turba ubique reformidatur. Deinde, ubi tandem Veneta classis comparata est, nunquam in hostium conspectum prodire voluerunt, donec Fredericum ex Anconitano portu solvisse exploratoria navicula acceperet, qui cum ad vastandas igni ferroque Dalmatiae insulas traecisset, hi subinde maritimam Italiae oram praeterlegunt. Triremes erant duo de trīginta, naves vero onerariae duo viginti, triremes vero pontificiae regiaeque, ut a Ioanne Venerio metropolita Ragusino Romam scrip-

tum est, qui eas e Chymerico promontorio dinumeravit, circiter quinquaginta. Frater autem infestata Dalmatia cum integra classe imminente iam hyeme in Brundusii portum se recepit non parum laudis ac gloriae adeptus, quod mare Adriacum, cuius omne ius Veneti sibi vendicant et iccirco quotannis demisso anulo desponsant, eis invitis, immo abactis pervolarit. Nunc vero patris observat imperium, a quo optima in rebus ei opera navatur.

REX MATTHIAS ET IOANNES CARDINALIS ARAGONIUS. 62

REX: Non ingratum est mihi haec de Frederico audivisse, que, quamvis litteris antea cognovi, tamen, quia placent bis audita, gratiora fiunt. Sed de nostris hactenus. Nunc vero, de Sixto beatissimo patre nostro si quid adieceris, erit quam gratissimum, de quo nulla assidua percontatio mihi potest esse satis, et, si quid de suis addideris, non erit iniocundum.

CARDINALIS: Non dedecet neque ingratum est de sanctissimo pontifice patre nostro haec audire, de quo non nisi fausta et faelicia dici possunt. Nemo enim unquam faelicior neque sapientior neque omnium rerum disciplina et experientia exornatior magister Petri naviculae praefuit, quando mira cum sapientia et sanctitate tanquam verus dei vicarius cuncta disponit; imprimis urbis Romae templa reparat, quae superiorum pontificum negligentia collapsa fuerant sordidoque situ defecerant; urbem, quam resarctam lateritiamque acceperat, instaurat marmoreamque reddit. Cum animi ad publicam Italorum pacem intendisset eorumque animos nimia invidia enervatos usque adeo offendisset, ut ad ocium revocari nequirent, in bella adurgente necessitate prolapsus est, ut castigatis pacis Italiae inimicis reliquos pietatis et ocii amatores in sanctum et quietum pius pastor ovile cogeret, et, quia non magis divinarum contemplatione, quam gerendarum rerum prudentia pollet, ita cum quoque potentatu hucusque se gessit, ut cuiusque peccata castigarit ac undique supplicia exegerit non indigna. Florentinos enim ob patratam impietatem et effusum sacrum sanguinem gravissimo praelio depressit, Genuenses Mediolanensesque mira arte in obsequio retinuit, fratrum furorem ex eo conceptum, quod Venetorum ipse partes in Ferrariae ducis causa malo suasu fovere ceperat, in Latio compescuit, mox, ubi se collegit, fratrem in gratiam recepit perpetuumque ecclesiae bellatorem propugnatoremque datis insignibus creavit. Venetos a Ferrariensi oppugnatione desistere recusantes, quibus aqua et igni fuerat interdictum, mox indicto bello affligit et castigat eorumque audatiam non mediocriter coerctet. Quae quidem omnia ut efficere posset, vita divinitus diuturna data est, ut, priusquam sua beatitudo rediret ad patrem, perpetua Italiam pace muniret. Sed e familia sua praeclara quaedam praeter caetera evasere ingenia, unum Petri cardinalis sancti Sixti divi Francisci sacris initiati, qui summo pontifici in gravissimis rebus optimam operam navavit, cui tantus erat animus tantumque

consilium et tam praecox sapientia, quod mirabilia nunc ex eo gesta, nisi morte praeventus esset, fortasse praedicaremus. Alterum Hieronymi sui fratris, qui in Flaminia, Foro Cornelii Liviique dominatur, cui tantum inest prudentiae et gravitatis ac tanta animi magnitudo, ut gravissimis Italiae rebus, quaecunque hactenus gesta sint, non interfuerit, sed praefuerit, quae, quamvis aetas non pollicetur, res tamen ipsa una cum experientia testatur. Tertium autem Raphaelis ex sorore nepotis, cardinalis titulo sancti Georgii in Velabro donati, cuius tanta est gravitas, mansuetudo, comitas intempestivaque sapientia, ut, cum haec omnia preferente indole Sixtus summus pontifex in eo futura intelligeret, adolescentem nondum sextum decimum nactum annum cardineo pileo donarit, in apostolicum collegium admiserit, agri Piceni legatione exornarit, quin etiam superiore anno camerarium pontificium designavit et nunc in curia omnia fere suo ductu geruntur. Praeterea hoc dicere auserim, quod, si in acerbissimis Romae curiae rebus urbanisque seditionibus Raphaelis mansuetudo probitasque abfuisset, res Romana miserrime successisset. Est illi quoque Iulianus coniunctissimus e sorore nepos, qui, cum non momentaneae, sed perpetuae consulat dignitati, pontificiae voluntati quandoque non obsequitur, cum avunculo libere loquitur et cum suis eum nimis videt indulgentem, magna quidem licentia corripit et obiurgat; cum eo saepe in graves incidit altercationes, cum aut non Italiae paci ac federi videt intentum aut alieno suasu in seditione urbana in alteram partem magis declinare conspicatur; qui si vixerit, tanto ingenio et prudentia esse videntur, ut multo maiore cum successore, quam cum avunculo sit auctoritate futurus. Item Ioannes praefectus urbis Senegallie dominatu donatus, frater eius, vir tanto ingenio, virtute et probitate praeditus, ut non solum urbis praefecturam, sed ecclesiastici exercitus imperium promeruisse videatur. Habes igitur, dive pater, quanto brevius fieri licuit, res Italas et pontificis suorumque fortunam.

MATTHIAS REX, IOANNES CARDINALIS ARAGONIUS.

REX: Quid cardinalis noster agit? valetne et Pannoniam illustrat?

CARDINALIS: Optime valet atque ope et auctoritate vestra, item virtute sua dignitatis locum nactus amplissimum ibi vires ingenii patefacit, ibi consiliorum aciem explicat, ibi probitatem sapientiamque suam aperire conatur, autorem suae dignitatis exornat et summo pontifici est quam gratissimus. Qua prudentia et animi magnitudine foret, in legatione, qua in expeditione in Turcos ad Hydruntum honorificentissime perfunctus est, cum perpetua gloria sui nominis ostendit, ubi mira diligentia, studio singulari, charitate ardentissima, sapientia summa usus est. Qua exhortatione consternatos animos erigebat, qua verborum suavitate miseros, ad quos pestis illa pervenerat, consolabatur, qua vehementia nutantes

animos confirmabat, qua celeritate in excitandis principibus et in comparandis his, quae bello usui forent, utebatur, ne brevi quidem oratione referri posset. Quid plura? non modo apostolico collegio, 84 ubi cum laude munus agit, sed universae Pannoniae, ubi prius dignitatis suae fundamenta iecit, et honori et usui est non mediocri.

REX: Non iniocundum est, quem excolendum sua virtute ce- 85 pimus, eundem opinioni nostrae cumulate satisfacisse. Sed, quando pontifex ad grave senium iam diu declinavit, quid speratur?

CARDINALIS: Incertum est et impossibile manticinari, quem 86 nobis sit allatura divina benignitas. Propter virtutem id plerisque sperare phas est, sed, cum privatae quaedam rationes nonnullis obstant et humilitatem semper deus amarit, unus est, qui nunc tale fastigium sperare potest, Malphitensis, inquam, e patritia Cuborum familia natus, qui usque adeo clemens, bonus, humilis, comis et officiosus, ut publicum sit omnium profugium. In qua quidem di- 87 vinatione hac potissimum ducor coniectura, quod sola probitate et humilitate duce praeter omnium opinionem huc emerit et, quem tam propere ad sublimem fata dignitatem extollunt, suprema fa- 88 stigia facile sperare potest. Deus quoque, nisi cum plebem suam punire decrevit, commodiorem ecclesiae suae gubernatorem praeficere solet, quem quidem patrem Italiae maxime salutarem, si sorti- tiri phas erit, non nisi pacem, iustitiam ac rerum omnium copiam e tali pontifice nobis sperare licebit.

BEATRIX REGINA ET CARDINALIS.

89

BEATRIX REGINA: Si tibi satisfactum est, pater, liceat mihi 90 quoque paucis percontari fratrem, quid regina mater et quid Hippolita nostra, item, quando de cardinale tuo dictum est, quid cardinalis noster Oliverus Neapolitanus agat, item Senenses Piculominei, ut, cum iucunda fuerint, quaecunque nunciantur, haec etiam grata non desint.

CARDINALIS: Avidissimis id animis accidere solet, diva so- 91 ror, ut nimio diu desyderio vexati, cum ad concupita pervenerint, vehementi saepe laetitia confundantur. Ex quo fit, ut utrisque 92 nostrum concitatissima cupiditas insit interrogandi respondendique, siquidem vos simul multa noscere et nos multa referre cupimus et festinamus. Regina cum liberis bene valet ac patri quam gratis- 93 sima usque adeo morigeratur, ut declinantes eius annos iam quaedam suavissimae consuetudinis comitatusque prestantia remorari conelur; in regendo saepe regno molestias levat, multa negocia expedit, subiectos civili animo admittit eisque mirifice gratificatur; nemo tristi vultu ab ea discedere visus est; ubique Aragonium 94 decorum mirifice servat, in nos autem filios, qui eam pro matre colimus et veneramur, usque adeo pia et officiosa, ut non alteram parentem agnovisse videamur. Ac id ipsum de Sforziade Hippolita 95 dicere possumus faustissima Alphonsi fratris coniuge, cui tantus animi vigor et magnitudo ac inest tanta peritia litterarum, ut Francisco

Sforzia magnanimo et invicto principe dignam filiam facile reputaris. Nam, ubi gerendis rebus satisfactum putat, semper aut aliquid lecitat aut commentatur et docta ingenia saepe sollicitat. Cuius quoque filius ab ineunte pueritia ob excellentissimam indolem Campano principatu ab indulgentissimo avo donatus tantam spem suscitavit in armis, tantam virtutis et gloriae amplitudinem pollicetur, ut, cum eum spectes, plures, paterna pace dixerim, in eo Ferdinandos intueri videare. Doctus est equis insidere, adurgere, aurigare, infesta hasta congregi, tractare arma, cesim punctimque ferire, praeterea venari, conficere feras et, quod potissimum est, quicquid temporis et regalibus studiis officiisque superest, id omne litteris impenditur, in quibus praeter aetatem proficit et avo mirifice gratificatur, quem si longaevum fata permiserint, Aragoniae domus imperium non modo servabit, sed facile poterit amplificare. Quod de cardinale Neapolitano quaeris, valet plane divina benignitate noster Oliverus, qui sapientia, moderatione, probitate mansuetudineque sua et quadam mitis ingenii excellentia tanti a pontifice caeteroque collegio fieri solet, ut eo carere non posse videatur. Nam in hac urbana recenti seditione, cum urbs acri obsidione ab Alfonso fratre coerceretur, hic pater prudentissimus, cum regius sit alumnus, in magnas redactus angustias non modo obsessio pontifici non suspectus est habitus, sed secedere volenti saepe pontifex dixisse fertur: Cave, ab urbe secedas, dilecte frater, immo sollicitis Romanae ecclesiae rebus adesto neve reputa te mihi in suspicionem venire posse, quando non solum fluctuante Romana republica, sed tranquilla et pacata gratissima sunt nobis ecclesiasticoque senatui consilia tua et rebus Italis quam maxime salutaria, quin, si res ipsa tulerit, Romanam arcem spectatissimae tuae fidei commitemus. Haec ille. Nunc vero ita ab omnibus diligitur et observatur, ut publicus omnium parens et moderator esse videatur.

BEATRIX REGINA: O quam mihi gratum est nunc cognovisse omnia sibi esse integra, cum haec Carrapha familia prae ceteris Neapolitanis optimalibus regiae sedi fuerit deditissima et in gravissimis quibusque periculis neque ope usquam neque consilio neque studiis neque fortunis non solum defuerit, sed ne vitae quidem suae pro regni defensione pepercerit. Et hic reverendus pater a maioribus suis non degenerat, at nobilissimam domum laetius illustrat.

CARDINALIS: Quod de Senensibus tuis Micrandropeis, id est, Piculomineis quaeris, Antonius in Praecutinis regis vicem gerit; dux Malphetanus, vir, ut nosti, magna sapientia, immensa in nos fide ac gravitate singulari, qui iure ac merito semper a patre aucta dignitate dilectus est et fausta bis sua affinitate donatus non solum pientissima avunculi Pii memoria summi condam pontificis de Aragonia domo et Christiana republica tam bene meriti, sed suis quoque meritis, cum regiae fidelitati nunquam facere satis sibi videatur. Quin et Andream Mattheum excellentissimum sibi generum delegit, Iulii Hydrovei, id est, Aquavivani filium, ducis,

Hercle, fortissimi et arte bellica peritissimi, qui superiore anno in lapigia ad Hydruntum magna prius Turcis illata clade per insidias inter confertissimos hostes fortissime occubuit. Hic igitur Iulio patre dignus et regios mores et maiorum magnanimitatem refert, omnibus optimis disciplinis intentus, mira affabilitate, magna animi moderatione et, quod in iuvene est quam maxime spectabile, compositis moribus et sedata quaque concupiscentia. Tantum praefert gravitatis, ut senile in iuvene decorum recognoscas, cui si debitas vitae metas decurrere licuerit, Aquavivana profecto domus habebit et per quem instaurari et illustris Iulii morte se consolari posset. Sed quid de Senensi cardinale dicam, quem vere omnis continentiae, virtutis, venustatis et modestiae una cum Olivero nostro exemplar possumus appellare? Nihil est in viro, quod non sit omni ex parte laudabile. Accedit doctrina, consilium, gravitas, sapientia, religio ac tanta denique animi moderatio, ut nihil unquam dixerit gesseritve, quod reprehendi potuerit. Verus est dei servus, verum sanctitatis exemplum, vera humanarum artium officina, verum studiosorum omnium profugium. Quid plura? totum in eo nepote Pium licet intueri, quem, si Parcae vivere patientur, ne pontificem quidem, cum opus fuerit, orbata ecclesia mendicare videbitur. Prospexit nanque dius ille Pius, quem sacro suo pileo donaret, quem in apostolicum collegium introduceret, qui, quodcunque temporis sibi superest, partim divino officio, partim sanctissimis litterarum studiis impendit et, quod caeteri voluptatibus indulgent, hic sapientiae et sanctitati comparandae tribuit.

FRANCISCUS: Suavissima audiendi delectatio mihi silentium confirmavit, frater. Sed quid de vicecancellario nostro patre optimo? De Italis tantum fit mentio, de nostris vero Gotolanis obticetur.

CARDINALIS: De multis profecto frater mentio fieri posset, sed nunc res quasdam tantum magis affecta ac et cognitu necessarias interrogati rettulimus; atque hic imprimis rite commemorandus esset, sed, quando pro amplitudine dignitatis suae sat rumor ipse nunciat et quotidianis vos litteris de validudine statuque suo commonet, hanc rem te non rogaturum arbitrabar. At pater iste valet et, ut magis valeat, quotidie studet et, ne grave senium obrepat, omni studio conatur. Vitam, qua potest, arte fovet et remoratur annos. Nam, postquam omni virtutum genere et quaque gestarum rerum gloria immortalitati satisfecit, cuperet, quantum posset, sua gloria perfrui. In cardineo nanque collegio non immerito princeps habitus de Christiana republica nititur bene mereri, paterno statui favet, Gotolanam denique regionem illustrat, cuius quidem vita et Romanae ecclesiae et Italiae videtur esse usui.

FRANCISCUS: Vera refers, frater, et utinam id faxit divina benignitas, ut longaeva vita gloriaeque dulcedine perfruatur, nam in rem nostram nuncupata vota succederet.

REGINA BEATRIX, FRANCISCUS, CARDINALIS, VARADIENSIS
EPISCOPUS. 118

REGINA BEATRIX: Satis superque ultro citroque de rebus 119
Italīs dictum est. Nunc, Francisce mi, te nostrae disputationis me-
morem esse velim et, quid in hoc litterarum certamine tuum va-
leat ingenium, quod in re militari saepe laudabiliter ostendisti, cum
fratre tuo viro doctissimo continuo periclitare.

FRANCISCUS: Ex his iam intelligo, regina, te non tam pro- 120
positae questionis explanationem, quam aliquam ex fraternis nugis
animi quaerere relaxationem, quando maiestatem tuam meum non
latet ingenium neque imperiti est adolescentis de tam gravibus
rebus disputare, quae non solum veterana studia, sed longa quo-
que postulant experimenta. Iubes etiam id acerrima disputatione 121
asseverari, quod ne facile quidem et demonstrari et persuaderi
potest. Haec enim duo numina, quae veneraris in terris, pudicitiam, 122
inquam, et virginitatem, ex quibus non modo decorum, sed vitam
quoque matronalem constare affirmas, caeteris virtutibus et con-
tendis et iubes anteponi, quod quidem cum meum ingenium tibi
praestare nequeat, vereor, ne ad ridicula divertatur animus, nisi
fortasse frater, qui summa scientiarum cognitione pollet, hac in 123
re tibi conmode suffragetur. Ego vero interrogantis potius discipuli
personam subire, quam partes argutissime disputantis agere pos-
sum, quod eo libentius faciam, ut pro meo in te officio et hoc
quam maxime tempore, quo fraterno adventu te tantopere exilara-
tam conspicamur, scite videar supparasitari.

CARDINALIS: Facis, ut addecet, lepidissime frater. Faustae 124
sorori, cui omnia debemus, morigerandum est et sacrosancti quo-
que patris maiestas, quantum ex suo nutu intelligi potest, iocunda
disceptatione nostra delectari cupit.

REGINA BEATRIX: Si dicto celerius mandata mea praestare 125
soles, dulcis animula, et exceptationi nostrae cumulate satisfacisti
semper, aggredere forti animo cum reverendo fratre disceptationem
hanc, quo gaudia nostra cumulatiores reddas. Talis enim discepta- 126
tio inter fratres dulcis est et ingenua ac gratissimo spectaculo non
indigna. Non ignota nanque mihi est utriusque ingenii dexteritas
et praestantia, etsi hesternae contentione defatigatus est. Adest Va- 127
radinus noster, cui non solum rerum sacrarum inest ingens et alta
cognitio, sed cum vitae probitate summa humanitas ac generosa
animi magnitudo coniuncta est, qui partes quandoque tuas fovere
poterit. Quid enim excellentius, Francisce mi, quam rei bellicae 128
litteras admiscere et inter arma saepissime intonare, quippe quae
neque in castris pernoctare recusant neque labores vigiliasque re-
formidant neque augustalia nostra fugiunt, sed admissa multum
conmodi afferunt et ornamentum? Proinde da operam fratre duce et 129
Varadino comite, ut, quod mihi semper ipse persuasi, caeteri sen-
tiant virginitatem, inquam, coniugalemque pudicitiam iure caeteris
virtutibus esse antefendas. Quod etsi generositati tuae videatur incon- 130
gruum, vestra tamen in me studia ob hanc rem exploratiores habeo.

FRANCISCUS: Velim, nolim, divae sorori morem gerere 131
necesse est, quando haec animula corpusculumque totum suo nu-
mini penitus est adiudicatum. Sed quid, Varadine, faciemus? Irritandum 132
est hodie doctissimi fratris ingenium; num hodie facile
patiemur has faemineas matronalesque virtutes virilibus anteponi?

VARADIENSIS: Etsi, generose fili, id durum et difficile vide- 133
tur, tamen, cum sanctissima regina virtutes has pro potenti numi-
ne semper habuerit, unde ipsa quoque omnium mortalium iudicio
inter deas relata est, quamvis adhuc cum deo suo diversetur in
terris, vereor partim cogente veritate, partim adurgente cardinalis
patris argutia, qui plurimum suadendo potest, ne tandem convin-
camur. Sed, age, rem forti animo aggredere. Varadinus tibi nus- 134
quam aberit. Si quae tibi est armis, eadem est et litteris non in-
iqua victoria, non parum spei tibi habendum est.

FRANCISCUS ET IOANNES CARDINALIS.

135

FRANCISCUS: Virtutes has duas regina caeteris iubet ante- 136
poni, reverende frater, quod quo modo fieri possit, non facile vi-
deo neque virginitatem et pudicitiam iam mihi persuadere possum
invictissimae fortitudini imprimis esse praeferendam, quippe quae
omnium iudicio plurimum in se habet splendoris et dignitatis,
contra illae duae feminarum sunt tantum et sanctimonialium, pe-
riculorum quidem expertes et laborum, unde splendor et dignitas
aliqua oriatur. Nam, ut Pyndarus inquit, ἀκίνδυνοι δὲ ἀρεταὶ οὔτε 137
παρὰ ἀνδράσιν οὔτ' ἐν ναυσὶ κοίλαις τίμιαί, id est, virtutes, quae
periculis carent, neque terra neque mari honorem ferunt. Atque 138
imprimis illustrissima est fortitudo bellica et ingens illa animi cel-
situde, qua iubente iure et postulante sanctissima fide intrepidi
arma capimus, prophanis hostibus occurrimus, sacram rempublicam
defensamus, barbarum furorem coercemus, inmanissimam crude-
litatem ulciscimur, Christianum imperium propagamus, pro Christo
sanguinem effundimus et pro nomine Iesu, quod est super omne
nomen, mortem obimus et quandoque tanquam intrepidae victi-
mae trucidamur, cedimus, dissecamur ac demum truculentissime
obtruncamur neque pro eo mori reformidamus, qui pro nobis mori
non renuit, qui pro nobis omnes cruciatus, dolores et langores
pertulit, qui pro nobis exinanivit semet ipsum, qui denique pro no-
bis omnes mortes subiit, ut ab omni denique morte nos eriperet
et non modo eriperet, sed nos secum cohaeredes et dei filios sta-
tueret. Quenam fortitudo maior inveniri potest, quae constantia 139
promerentior, quae virtus excellentior, quae probitas ad promeren-
dam divinitatem accomodatior celeriorque? Atque, ne mentiri vi- 140
dear, id in Ioanne vaivoda duce invictissimo et Matthia sanctissi-
mo suo filio rege nostro omnium, qui sunt, qui erunt, qui fuerunt,
excellentissimo cognoscere licet, quorum alter frequentatis tot cla-
dibus Turcorum rabiem afflixit, alter tot barbarorum spoliis onu-
stus, tot victoriis illustratus, tot triumphis denique decoratus vita

omnium imperatorum beatissima fruitur, quando dei amicus est et Christianae reipublice unicus ac verus propugnator, quem iure populi colunt, gentes venerantur, reges verentur, Turci reformidant, Scythae hoberiunt, Itali adorant et Romana denique celebrat ecclesia.

BEATRIX REGINA: Concitatissima ut frater utitur dicendi vehementia et militares animos quam venuste ad certamen litterarum transfert, pater? 141

REX: Addecet, quodcunque facit; ita gratiis est referlus omnibus et eutrapelia admodum perquam venusta. 142

FRANCISCUS: Quin etiam faelices quoque veteres reputarim, qui quodam animi robore inmortales evasere, quamvis verae sapientiae expertes extiterint et iccirco nulla solida beatitudine potiantur; faelicem Herculem, Thesea Perithoumque; faelicem Peleum, Iasona, Meleagrum; faelicem Hectorem, Paridem et Aenaeam; faelicem Achillem, Ulixem, Aiacem et Diomedem; faelicem Agamemnona, Menelaum Pylumque senem et Horestem; faelicem utrunque Pyrrhum, Lycurgum, Leonidam, Epaminundam et Aratum; faelicem Themistoclem, Milciadem, Alcibiadem et Periclem; faelicem Amilcarem, Hanibalem et Adrubalem; faelicem Alexandrum; faelices quoque, quos Macaedonica fortitudo illustravit, Ptolomaeum, Cleomenem, Antipatrum, Nearchum, Antigonom, Cassandrum, Lysimachum, Eumenem, Seleucum et Amintham. Cur primum Iovi Feretrio Romulum opima spolia rettulisse dicimus et Quirinum parentem gens Romana veneratur, nisi quod Aëronem Cenensium regem ad singulare certamen provocantem forti animo devicit? Cur Horatium Coclitem in summo patriae periculo contra totam Aetruriam acerrimo pectore pugnantem quotidiana memoria repetimus, qui disiecto ponte defensata patria incolumis renavit ad suos? Cur Coeliam virginem inter viros annumeramus, quae in obsidem Porsenae tradita, consensu aequo et traiecto Tyberis ad suos rediit? Cur Cornelium Cossu Romuli aemulatorem, magistrum equitum perpetuo exemplo commemoramus, qui Lartem Tolumnium Fidenatum ducem primo congressu in acie interfecit, ut laesam populi Romani maiestatem ulcisceretur? Cur Marcum Marcellum, qui pari virtute Viridomarum Gallorum ducem manu propria interemit deque Gallis et Paenis iure triumphavit? Cur Titum Manlium, qui tribunus militum Gallum provocatorem Sulpitio dictatore occidit capitique suo detractum torquem imposuit? Cur Valerium Corvinum vestri generis autorem et Scipionem Aemilianum sub alienis auspiciis pari virtute certantes? Cur Caium Sempronium Fabiosque ac fortissimam Romanae iuventutis audaciam? Cur caeteros Scipiones, Crassos et Catones? Cur Valerium Flaccum tribunum tertiae legionis, Pedanium centurionem ac Iulium Aemum Peligne cohortis praefectum ad Punicum vallum sua robora ostentantes? Cur Quintum Cotium Achillem quoque cognominatum, qui duos Caetiberos iuvenes illius gentis invictissimos singulari certamine superavit? Cur Detios, Brutos, Camillos ac Dru-

sos apud omnes aetates iure celebrandos? Cur Attilium decimae 153
 legionis Caesaris militem Cynegyri Atheniensis pertinaciam imita-
 tum, qui in Massiliensi pugna decisa dextra, quam in navim hos-
 tium iniecerat, leva continuo puppim apprehendit nec prius dimi-
 care destitit, quam navem profundo demerserit? Cur Marcum Scae- 154
 volam Iulii quoque Caesaris centurionem indomitum, qui adversus
 Pompeium fortiter usque adeo pugnavit, ut nunquam a pugnando
 destiterit, donec super ingentem hostium stragem, quam ipse fe-
 cerat, corruerit ac transfosso femore eruloque oculo vulneribus cen-
 tum et viginti confectum corpus aspexit? Cur duos in bello Gal- 155
 lico eiusdem imperatoris centuriones Titum Pullum et Lutium Vo-
 renum, qui, cum ex obsessis castris aemulatione laudis et pari ar-
 dore animi egrederentur et pro vallo certarent, alter alteri saluti
 fuit? Cur Sicinium Dentatum bellatorem strenuum Achillemque Ro- 156
 manum iure cognominatum, qui nulla aversa cicatrice dehonesta-
 tus, adversis vero quinque et quatragesima, insignis coronis aureis
 octo, muralibus tribus, civicis quattuordecim, obsidionali una, item
 torquibus tribus et octuagesima, armillis centum et quinquagesima,
 hastis duo de viginti falerisque viginti quinque donatus octies ex
 procatione victor, cum imperatoribus denique suis triumphos no- 157
 vem egit? Cur Marcum Sergium omnibus fortasse non inmerito
 antefendum, licet pronepotem Catilinam habuerit, qui secundo sti-
 pendio dextram perdidit, duobus stipendiis ter et vicies vulneratus,
 neutra manu ac pede satis utilis, bis ab Hannibale captus, bis vin-
 culorum eius profugus, in viginti mensibus nullo non die in cate-
 nis aut compedibus custoditus, sinistra manu sola quater pugnavit
 facta sibi dextra ferrea eaque religata preliatus Cremonam obsidione
 liberavit, Placentiam propugnavit, duodena castra hostium in Gallia
 cepit? Cur Milonem Crotoniatem in Olimpiade primo coronatum, atle- 158
 tham quidem indomitum? Quid Ventidium denique Bassum civem A-
 sculanum et triumphante Strabone eum quoque puerum ante impera-
 toris currum sinu matris vectum?, qui duce virtute comiteque fortuna
 Romae singulos rite magistratus obivit ac consulatum pontificatumque
 gloriosissime gessit et de Parthis tribus praeliis ab eo fuis primus
 omnium Romanorum triumphavit ac obita denique morte publico
 funere honestatus est. Cur igitur haec omnia tam praeclara?, nempe, 159
 quia, si quid fortiter gestum est, id pleniore ore laudatur, contra
 vero, si quid timide, id inter probra videtur esse maximum. Ex
 quo fit, ut sola quam maxime fortitudo laudetur solaque timiditas
 mollietatesque victuperetur. Salamin fusa Persica classe, quam maria 160
 ulterius tollerare non poterant, sempiternam Themistocli et univer-
 sae Graeciae gloriam comparavit. Plataeae Pausaniam illustrarunt,
 qui Mardonium gravissima strage superavit. Thermopylae Leonidam 161
 Spartanorum ducem inmortalem effecere, ubi Spartani sexcenti
 iam triduo magna continuata cede ducis hortatu in quingentorum
 milium castra Persarum tandem irrupere non spe victoriae ducti,
 sed mortis ultione, neque a pugna ante destitire, quam fuere hos-
 tilis sanguine demersi. Marathon quoque perpetuam laudem Athe- 162

nis comparavit, cum ibi Milciades cum Atheniensium decem milibus Platensibusque mille exercitum Persarum adortus, in quo militum erant centum milia decemque milia equitum, ingenti caede afflictit. In Leutris vero quantum laudis Epaminundas Thebanus sibi vendicaverit, caesae Lacedaemoniorum copie ac fractae Spartanæ vires testari possunt. Sed, quantum splendoris et dignitatis fortitudo pariat et quam maxime militaris, hinc collige, quod, quaecunque ex veteribus ac novissimis praeclara monumenta spectantur, huic quam maxime virtuti dicata esse videmus. Quot Romæ trophea triumphalesque arcus spectare licet? quot statuas imaginesque maiorum, eas quoque omnes habitu fere militari? quot numismata, quae recondita hodie inveniri solent?, quom omnia fere aut victorias referant aut triumphos aut fortia facta. Quid aliud tituli marmoribus incisi aut epigrammata veteribus sepulchris addita, quotquot ubique deteguntur, invidente vetustate referre student invictae fortitudinis exempla? Quid de triumphali arcu trophaeisque avitis dicere ausim, quae prorsus mihi somnos non aliter atque Alcibiadi Milciadis in Maratone tropheum ademere? qui, cum repudiatis conviviis nocturnis iam vigiliis indulgeret et rogatus, cur id faceret, respondit: Milciadis trophaeum mihi somnum abegit. Accaepe in divo Alphonso avo meo plures extitisse virtutes, ex quibus quidem nulla praeter hanc triumphales arcus dicari sibi meruit. Haec enim virtus est, quae sola defendit omnium ornamenta virtutum. Nam aequa consilia custodit, ad gloriam suscitatur, animos ad pericula munit ac nullo timore affici nullaque ignominia dedecorari patitur. Hæc quidem armati regna defendimus, respublicas propugnamus, protegimus bonorum innocentiam malorumque audaciam coercemus. Quas ob res, cum in virtute hac plurimum sit splendoris et gloriæ ac plurimum in se habeat virilitatis, non facile video, quonam modo virginitas coniugalisque pudicitia, ut regina iubet, caeteris virtutibus anteferri possit.

CARDINALIS: Non parum, eloquentissime frater, et ingenium et orationis tuæ vehementiam admiror, sed, quando in Pannonia apud sororem divam et in castris apud invictissimum sapientissimumque regem educatus es, qualem Aragonia domus postulat, facile prodire potuisti. Neque fortitudinem inficior permultum in se habere decoris neque virginitatem et pudicitiam aliquam dare licet fortitudine vera carentem. Sed illud tibi diiudicandum est nonnulla esse subornatae genera fortitudinis. Nam, cum in elato animo pertinacia et imperandi cupiditas innascatur, multi sunt, qui nimia pervicacia obfirmati, et nonnulli, qui dominandi amore allecti fortia facta peragunt neque vere fortes appellari queunt. Et hoc genus hominum saepe perniciosum est, quando vi potius superesse contendit, quam iustitia servare paritatem, atque non virtutis amore, sed studio vanæ laudis ad magna gesta suscitatur. Sunt et alii, qui longa experientia fortes esse didicere neque tamen fortes appellari debent, ex quo genere milites esse solent, qui

longa rei bellicae disciplina pericula facile subeunt. Item neque pro
 fortibus habendi sunt, qui inmoderato quodam affectu pericula ad-
 oriuntur, ut amantes furiisque perciti, quoniam deposito furore ni-
 hil audent; neque hii, qui verecundia quadam adacti aliquid peri-
 culi adeunt, qui dimisso pudore non adirent; neque qui spe aut
 aliqua futuri boni expectatione suscitantur; neque qui Iovis cor-
 ruscationes, fulmina ac caetera supra hominem terribilia huiusce
 generis aspernantur, quippe qui insania quadam nil timere cogun-
 tur; neque qui fortitudinem sine iustitia colunt, sine qua nil pot-
 est esse laudabile, et, quae subeunt, pericula non ad communem,
 sed propriam utilitatem referunt. Sed hi fortes dicti sunt, qui,
 quando opus est et ubi oportet ac boni denique gratia pericula
 forti animo subeunt, res item humanas voluptatesque corporeas
 despiciunt et labores ac inconmoda tolerant patienter. Quae qui-
 dem omnia si in his, quos fortes appellasti, rite requisiveris, pau-
 cissimos invenies, quos vere fortes nominare queas. Nos autem
 fortitudinem a virginitate non seiungimus, quia nihil est aliud ipsa
 virginitas, quam contra feda vitia immaculata animi fortitudo cum
 divina charitate coniuncta mentem cum corpore servans impollu-
 tam. In his, quos fortes appellas, est nimium fortuna dominata et
 vetusta illa fortitudo nihil visa est sapere divinitatis, quando na-
 tura duce praestari poterat. Castus vero animus ac nullis volup-
 tatibus improbis obnoxius multum in se divinitatis habet, qua hu-
 manam quanque fortitudinem antecellit. Illud tamen sic habeto,
 frater, multo difficilius esse insitarum extinguere incendia volup-
 tatum, quam fictos Alcide labores et praeclara quaeque facinora
 praestare totumque redigere in ditionem suam orbis imperium. At-
 qui virtus, ut ait Aristotiles, circa difficilia versatur et, quo quod-
 que difficilius, eo excellentioris videtur esse virtutis. Quod cum
 virginitas et pudicitia praestare videntur, non modo fortitudini,
 quae, ut dixi, plurimum in se splendoris habet et ornamentis, sed
 virtutibus caeteris iure videtur esse anteferenda. Accedit ad hoc,
 quod sinceritatem simplicitatemque divinam nulla virtus expeditius
 ac propius aemulatur. Andronicus autem, quamvis fortitudini fidu-
 tiam, tolerantiam, magnanimitatem, virilitatem, perseverantiam, ma-
 gnificentiam et andragathiam, id est, virilem bonitatem, quam stre-
 nuitatem plerique interpretati sunt, recte subiecerit, his tamen om-
 nibus castitas videtur esse praestantior. Incipe igitur, lepidissime
 frater, haec duo virtutum numina reverentius colere, nam, cum ad
 summum perveneris iuventutis, per te ipse testaberis, quanta molis
 sit propriis concupiscentiis moderari.

FRANCISCUS ARAGONIUS ET CARDINALIS FRATER EIUS. 187

FRANCISCUS: Haud facile tibi cedere herbamque dare vi-
 deor in hac re, cum iniquo animo feram rebus bellicis talia ante-
 poni, sed rationibus convictum idem confiteri non pudet. At num
 in aliis id audeas affirmare?

CARDINALIS: Audebo equidem faustamque sororem vere 189

sancleque sentire vobis ostendam.

FRANCISCUS : Heu, quam vereor, ne mihi os sit hodie fraterna arte sublitum. Iam iam militaria matronalibus ornamenta cedunt et, quando antiquorum more instituti sacrosanctam mulierum pudicitiam tantopere veneramur, nostras in hac re partes laedi equo animo patiamur. Sed idem in caeteris virtutibus vere dici nequaquam affirmarim. Iustitiam, quam divus Matthias Ferdinandusque pater tantopere veneratur et observat, divinarum humanarumque rerum moderatricem, tanquam deam unicam caelo terraque potentem, si tuis patiar deprimi argumentis, reverende frater, admodum addubitandum est mihi, ne inbecilli defensione mea piaculum committatur, quando sine tanto numine neque regnum neque imperium neque societas ulla mortalium potest esse diuturna. Itaque tantum virtutis numen e summo loco deiici ac tuae cedere castitati hoc non solum me, quem sapientiae tantum fateor observatorem, sed caeteros quoque convivas, qui omnium iudicio sapientissimi reputantur, pro rei indignitate magna molestia afficit. Iustitia nanque habitus electivus est circa omnia, in quibus studiosus ipse versatur, ius suum unicuique tribuens pro dignitate. Haec autem, cum duplex sit, communis quidem et particularis; communem legitimam appellant, particularem vero in commutativam distributivamque partiuntur. Illa vero, quae legitima dicta est, rempublicam respicit, leges sanxit, communi saluti consulit et universam denique virtutum molem congeriemque temperat et disponit; particularis vero privata consyderat officia et utraque alienis commodis semper studet, quando sola haec ex hiis, quae in actione consistunt, virtus est ad alios, cuius profecto munus est omnibus prodesse, quibus potest, et nocere nemini; et, cum caeterae virtutes propria comoda curent, haec autem aliena, hac sola viri boni nominamur, qua quidem si humanum genus foret orbatum, nihil profecto haberet, quo ulterius perduraret. Haec autem, cum inter aequum et iniquum et plus et minus utique versetur caeterarumque virtutum vera media meiat, omnium iure virtutum moderatrix et regina esse censetur. Haec enim in corpore cuncta disponit, concupiscentiis et affectibus moderatur et, cum in voluntate consistat, cui libera est eligendi potestas, eam ita recte instruit et informat, ut veri et non apparentis boni faciat appetentem rationique sola appetitum reddat obtemperantem. Quare non inmerito caeteras virtutes in se continere videtur, immo omnium videtur esse mater, quam Euripides parique iudicio Aristoteles Lucifero Hesperoque non inmerito censuit admirabiliorem. Nam haec prima rationem abacta mentis cecitate serenat et verum animo vigorem suggerit. Proinde non patiar neque, qui sententiae meae favent, facile vobis audient tam venerandae parentis maiestatem hac iniqua praesidentia incestari.

VARADIENSIS : Non minus militari, quam litteraria decertatione valet Franciscus noster, quem non inmerito mundi delitias appellamus. Nam, cum subsidio sibi quandoque opus fore putaremus, et spem nostram superat et consilium opemque dare potius,

quam accipere potest. Proinde, Pannoniae gentis dux faustissime, 203
bono animo caetera prosequare, quando de fortitudine iustitiaque
mirabilia referre ocepisti.

FRANCISCUS: Ne inutilia quidem sunt adiecta calcaria et 204
adolescenti quam maxime haec incitamenta laudis bene spera, nam
non facilem victoriam hostibus relinquemus. Quod ex ore tuo hoc 205
anno saepius hausi, id mihi succurrit, cum divi Matthiae regis
iustitiam aequitatemque referres. Orphei nanque carmen erat, quod
si fratri obiecerō, non in parvas angustias se redactum esse sentiet.

CARDINALIS: Dic, age, frater, amabo et quam ocysissime, si 206
in rem tuam id dici posse vides.

FRANCISCUS: Iustitiam, quam virginitati tuae subiicis et pu- 207
dicitiae, non solum caeteris hominum officiis, sed ipsi deo Or-
pheus praeponendam iudicavit, quando supra sacrum omnipotentis
dei thronum residet e caeloque mortalium vitam despicit, impro-
bus mores corrigit, leges ponit et iniqua dirigit. Sed mellifluum 208
audi, quaeso, Orphea divina verba resonantem: "Ὅμμα Δίκης μέλπω
πανδέρκεος, ἀγλαομόρφου, ἥ καὶ Ζηνὸς ἀνακτος ἐπὶ θρόνον ἱερὸν ἵζει
οὐρανόθεν καθορώσα βίον θνητῶν πολυφύλων, τοῖς ἀδικοῖς τιμωρὸς
ἐπιβρίθουσα δίκαια, ἐξ ἰσότητος ἀληθείας συνάγουσ' ἀνόμια, πάντα
γάρ, ὅσσα κακαῖς γνώμαις θνητοῖσιν ὀχεῖται, ἥoc est, Oculos Iu- 209
stitiae cuncta videntis et splenditerae, quae Iovis regis supra
sacrum thronum residet, quae diversorum hominum vitam e caelo
despiciens, quae iniustos aequis paenis afficit, quae ex vera aequi-
tate inaequalia corrigit, omnia enim, quaecunque malis mentibus
a mortalibus vehuntur, diiudicat solaque mentes punit, quae plus
appetunt, et caetera. Quod si theologo Graecorum poetae non cre- 210
dideris, diu Platonem audias virtutem hanc ita definientem: δι-
καιοσύνη ὁμόνια τῆς ψυχῆς μερῶν πρὸς αὐτὴν καὶ εὐταξία τῶν τῆς
ψυχῆς μερῶν πρὸς ἀλλήλας τε καὶ περὶ ἄλληλα, ἕξιν διανμετική τοῦ
κατ' ἀξίαν ἐκάστω, ἕξιν, καδ' ἦν ὁ ἔχων προαιρετικός ἐστὶ τῶν φαι-
νομένων αὐτῷ δικαίων, ἕξιν ὑπηρετική ὀρθῶν νόμων, id est, iustitia 211
est animae concordia erga se ipsam ac partium animae inter se
recta dispositio, habitus cuique tribuens secundum dignitatem, ha-
bitus, secundum quem, quicunque se habet, quae sibi videntur iusta,
eligit; item est habitus, qui rectas leges suggerit. Iam potes summi 212
philosophi autoritate conmoventi et de iustitia sentire relligiosius
virtutumque parentem, ut par est, caeteris anteferre, quod ut fa-
cias, et antiquorum exempla docent et experientia ipsa discere po-
tuisti. Nasamones ita numen iustitiae venerantur, ut non per alios 213
deos iurent, nisi per eos viros, qui iustissimi atque optimi apud
eos fuisse dicuntur, illorum sepulchra tangentes. Tanta servandae 214
iustitiae cura Romanis olim fuerat, ut non solum legibus, quas ab
Atheniensibus acceperant, in duodecim tabulas relatis domi mores
vitamque componerent, sed, ne hostibus iniqui forent, in quos
maior fortasse licentia permitti poterat, faciales patremque patratus
creavere, qui Numae instituto, cum Fidenatibus bellum ob incur-
siones et latrocinia rex indicturus esset, ex optimis domibus pri-

mum electi sunt per omne vitae tempus pro sacris habiti, qui
 sancto legatorum officio ab his, qui adversum populum Romanum
 aut rapinis aut iniuriis hostili mente convenerant, pignora fracto
 faedere iure repetebant, dictique feciales, quod fidei publicae in-
 ter populos servandae praeerant. Nam horum erat officium curare, 215
 ne bellum iniustum externis inferretur nullumque bellum suscipe-
 retur, nisi pium et aequum id ante iudicassent indicatumque rite
 indixissent, item de laesis federibus iudicare et, si socii equa po-
 stulent, ea reddere laesis, sones postulantibus tradere, iniurias le-
 gatorum recognoscere, pie federa custodire, desito bello rite fedus
 icere, pacem inire et non iure initam irritam habere, imperatorum
 iniquitates, si quid iureiurando spoponderint promiserintve, rite
 expiare. Quin etiam Romani, iustissimum illud genus hominum, 216
 ut religiosius hanc virtutem observarent, non solum, ne quid in-
 iuste facerent, sed, ne quid inique dicerent, admodum veneraban-
 tur. Inimicos enim, quos perduellis appellare solebant, ut mitius
 nominarent, hostes nuncuparunt, quando apud priscos tale nomen
 peregrinum significabat. Et ille, inquam, vere iustus est, ut ait Plato, 217
 qui verum et bonum dicit, neminem decipit, sed omnibus prodest,
 quibus potest, contra vero, ut idem inquit: ἐσχάτη γὰρ ἀδικία ἐστὶ
 δοκεῖν δίκαιον εἶναι μὴ ὄντα, id est, extrema quidem iniustitia est
 iustum videri et non esse. Haec praeterea virtus usque adeo ope- 218
 rosa est et tantum in se habet difficultatis, ut multum sibi temporis
 requirere videatur, ut Sophocles ait: χρόνος δίκαιον ἄνδρα δείκνυσσι
 μόνος, κακὸν δὲ κἄν ἐν ἡμέρᾳ γνούς μίᾳ, id est, solum tempus virum
 iustum ostendit, malum autem in una die noveris. Quicunque vero 219
 se talem praestare potest, ab omni miseria videtur alienus. Nam,
 ut Salamon inquit, iustorum animae in manu dei sunt et non tan-
 get illos tormentum mortis; fulgebunt iusti et, tanquam scintillae
 in arundineto, discurrent, iudicabunt nationes et dominabantur
 populis et regnabit dominus illorum in perpetuum. Haec igitur 220
 regia virtus est, qua solium regium firmatur, populi reguntur, ci-
 vitates augentur, divina religio viget et salus denique publica et
 privata comparatur, quam virtutum sive parentem dixeris sive re-
 ginam, utrum verius appellaveris, non facile iudico. Num ipse pu- 221
 tas Alphonsum regem ad capescendum Italiae regnum quondam
 invitatum Hispana classe ac tantis viribus munitissimas arces et
 tot potentissimas urbes expugnare potuisse, nisi iustitia prius,
 quam armis Renatum regem ille superasset? Gerebantur gravis- 222
 sima ab utroque rege bella, sanctissimus tamen ille noster avus
 tam severam ubique iustitiam retinuit, ut sine timore captivitatis et
 praedae ex opidis omnes prodirent, colerent agros, castra frequen-
 tarent, inter equos et arma greges et armenta pascerentur, agre-
 stes feminae castra tuto cum virginibus adirent, cibaria et varia
 gulae irritamenta tabernacula circumferrent, neque tamen opidano
 cuiquam, ne villico quidem ulla illata est iniuria et, quamvis in
 pagis et opidis milites saepe pernoctarent, nullius tamen unquam
 faedata est pudicitia; pro manipulo saepe frumenti ac surrepto 223

vomere, quia contra regis edicta fecerint, nonnulli milites laqueo
 suspensi sunt et gravi plerique ignominia affecti. Nam iustissimus 224
 ille princeps de vi, latrociniiis et furtis severissime ius dicere so-
 lebat; nunquam adduci potuit, ut sontem gravem aut caedis et
 insidiarum reum impunitate donaret ratus nulla virtute nos diis 225
 immortalibus, quam iustitia, propius accedere posse. Quare tantum
 promeruit immortalitatis, ut, quando id impudentiuscule possum
 affirmare, e iunioribus neminem habuerit Europa, quem gloriabun-
 dae posset obiicere vetustati. Ferdinandus quoque pater, cum pa- 226
 rem iustitiam et mentis integritatem tanquam haereditario iure a
 divo patre delegatam retineret, quamvis perturbatam regni posse-
 sionem iniverit a Gallis interceptam, divina tamen benignitate duce
 et hac virtute comite meruit pacatissimum et obtemperantissimum
 possidere. Non enim credendum est, cum omnes regni principes 227
 in eum obstinatissimo animo coniurassent, eum in florentissima
 omnium nationum Italia, omnium artium disciplinarumque magistra
 unquam sibi imperium comparaturum, nisi iustitiae futurus esset ob-
 servator scelerumque punitor acerrimus. Atque id ipsum in hoc 228
 serenissimo patre nostro divo Matthia quotidie possumus intueri,
 qui Ungaros ex Hunnis et Sythis inmanibus oriundos et non modo
 ferinis hisdemque crudis, sed humanis quoque carnibus vesci so-
 litos dei omnipotentis imperio regere iussus ineffabili quadam ae-
 quitate iustitiaeque sua ita mites, iustos relligiososque reddidit, ut
 nunc non solum barbaros, sed Latinos quoque virtute et probitate
 praecellant. Hic enim vere Aristidem, cui ab Atheniensibus Iusti 229
 nomen est inditum, quod nemini ante illum contingit, et quem
 Plato praetermissis caeteris clarissimis viris, qui Athenis floruerint,
 solum extimatione, laude admirationeque dignum iudicavit, quando
 non minori studio ex paupertate, quam ex trophaeis gloriam as-
 sequi contendebat, et, quamvis in cunctis publicis muneribus uno
 omnium inimicissimo Themistocle uteretur ac illius artibus exul
 patria cessisset, oblata tamen sibi eadem male merendi facultate
 officium decorumque suum retinuit, longe superasse visus est. Nam, 230
 etsi, cum Greci belli gerendi causa pecuniam conferrent Aristidem-
 que peterent, cuius aequitati quam maxime confidebant, ut eo
 autore census singulis civitatibus describeretur, integerrime iustis-
 simeque suo officio satisfecit et ita satisfecit, ut eum omnes sum-
 mis laudibus extollerent, hic tamen in rebus multo gravioribus,
 quando pro Christiana republica quotidie pugnat et vires habet
 longe maiores, maiora iustitiae opera consumavit nec tantum auto-
 ritatis Aristidi ab Atheniensibus, quantum nostro regi a Christian-
 nis potentatibus tributum fuit. Quamvis Themistocli se salutare 231
 consilium reipublicae invenisse iactitanti et iccirco a populo po-
 stulanti, ut sibi daretur, quo cum rem communicaret, hic iam col-
 lega datus, postquam cognovit illum de incendenda Lacedaemoni-
 orum classe apud Cytheum cogitare, ad cives processit rettulitque
 Themistoclem, ut utile consilium, ita minime iustum animo vol-
 vere, qua quidem iniquitate iusti viri testimonio non probata re-

pente concio soluta fuit. Quod si quis cum nostris principibus aut
 Seleucum Locrensem aut Tharundem Tyrium, item Pycetacum Mi- 232
 tileneum conferre voluerit sive Fabritiis, Brutis, Torquatis Curiis-
 que eum comparaverit, longe insigniora de his et legi et spectari
 possunt iustitiae monumenta. Sed, ubi Aragonium utriusque His- 233
 paniae regem praetermittimus, si haud dedecet suorum quandoque
 laudes et exempla referre, quippe qui, cum ab avis attavisque re-
 gibus non legatam solum, sed insitam iustitiam et quasi divina
 largitate accumulata possideret, praeter paternum Siciliae et ci-
 terioris Hispaniae regnum ulterioris quoque imperium adeptus est,
 quod virtute partum et pacatum usque adeo iustitia et severitate
 munivit, ut contumaces saepe populos et tyrannos unico apparitore
 coherceat ac puniat, saepe portis regio iupsu vimineo vinculo al-
 ligatis omnes obcludat atque nemo inde prodire audeat. Tot nati- 234
 onibus imperat, tot regnis dominatur et insulis, ut cum animi
 magnitudinis, tum iustitiae suae sit laus omnis ei iure tribuenda.
 Lusitanos fudit caeterosque Hispaniae duces confregit ac demum, 235
 ut extremam Europae regionem omni prophana barbaria liberaret,
 nunc barbaro regi Christiani nominis inimico e Mauritania oriundo,
 qui in Betica regione dominatur regnumque munitissimum hinc
 editissimis montibus circumseptum, hinc mari mediterraneo obduc-
 tum possidet, bellum indixit et iam multis expugnatis opidis uni-
 versam Beticae regionem in dictionem suam redigere contendit,
 quando Maumectanum nomen orthodoxae fidei infestissimum non
 modo diutius in Hispania tollerare non potest, sed omnem ei-
 icere nititur infidelitatem. Noe atque Abraam inter primos iustis- 236
 simi reputati sunt, quia in his fides primum apparuit. Quanto ius-
 tiores tot Christianissimi domus Aragoniae reges, tot sanctissimi
 Pannoniae principes de catholica fide optime meriti iudicio sunt
 omnium habendi, alteri nanque ex Hispania, alteri e Pannonia,
 Maesia ac Scythia barbaram infidelitatem certatim eiicere conan-
 tur. Hac igitur ratione divinam providentiam multis ante tempo- 237
 ribus et hoc vel maxime tempore mutua affinitate Aragoniam cum
 Corvina domo coniunxisse arbitrator, ne regendis imperiis sanctissimae
 deesset iustitiae seminarium. Carneadem autem philosophum, qui 238
 nullam dicebat esse iustitiam et, si qua foret, eam summam esse
 stultitiam, quoniam iustus sibi noceret, alienis commodis consu-
 leret; homines quoque iura sibi pro utilitate sanxisse varia pro 239
 moribus et apud eos pro temporibus saepe mutata, item ius na-
 turale nullum esse atque homines caeteraque aninantia ad pro-
 prias utilitates natura duce ferri sceleratissime locutum esse censeo
 et, si ita fortasse senserit, inter philosophos non habendum. Ius- 240
 tum enim, qui neque saucio equum in prelio abstulerit neque e
 tabula naufragum in naufragio deturbarit, ut saluti suae consulat,
 stultum reputavit. Si quis enim omnia ad praesentis vitae com-
 moda referat, nunquam poterit de iustitia recte iudicare. Tanta 241
 est iusti innocentia, ut mori malit, quam alienae obesse saluti et,
 quando nullius mali conscius est praemiaque immensa respicit et

aeterna, neque timet unquam neque pro aliena salute, si recta ratio postularit, pericula ulla reformidat ratus tantam esse iustitiae vim, ut, cum oculos in caelum substulerit, a deo se confidat omnia imploraturum. Quanto melius Venusinus ille noster Flaccus 242 sensisse visus est: Integer vitae scelerisque purus noneget Mauris iaculis nec arcu nec venenatis gravida sagiptis, Fusce, faretra. Quamobrem, sacrosancte frater, si pro praestantia et dignitate sua 243 est quaeque pensitanda virtus, si cuiusque comoda examinanda sunt, profecto nullam iustitia excellentiorem neque utiliore inveniēs. Quod si mentem revolveris, ne fortasse quidem sororias virtutes huic antepones.

VARADIENSIS: Magica est nostri ducis oratio, qua quidem 244 audita non aliter, ac Protheus, in varias formas mutari videor. Iam dudum fortem et nunc iustum caeteris antepono; iam iam fortis nunc iustus videri malim. Si cardinalis aliter me sentire coget, me Thessalis carminibus distrahi arbitror.

CARDINALIS: Te latius, Francisce dulcis, vagari iam placitum est, cum de iustitia laeter optima quaeque predicari, atque illud imprimis fuit periocundum te exuto iam paludamento in toga tam scite et strenue depugnare. Neque tua dicta de virtute ista in- 246 ficiari velim neque ullis hanc infirmarier argumentis, cum eius laudibus nil satius esse videatur. Atqui, ne disceptatio nostra confun- 247 datur, magnam scito inter virtutes esse affinitatem neque alteram sine altera posse constare et quanque tamen versari circa peculiare subiectum, iustitiam autem omnium communem esse parentem, quippe quae aut hominem ad propria erga se instituit officia aut aliena. Si ad propria, tunc temperantia oritur, quae sensuum motus redigit in rationis obsequium, si ad aliena, tunc, aut quid agere aut quid pati oporteat, ostendit, si pati, hinc fortitudo, quae quidem est malorum consyderatio et eorundem firma perpexio, si agere, hinc eodem quoque nomine iustitia, quae reddit unicuique, quod suum est, unde virtutum est magna faecunditas. Nam, si deo 249 satisfacit, religionem parit, quae summa quoque pietas nuncupatur, si parentibus, pietatem, si propinquis et inferioribus, gratiam, si superioribus, observantiam, si inimicis, vindicationem, si in sermone in alios, veritatem, si in iudicando, integritatem, si in caeteris quoque rebus, innocentiam et perpetuam probitatem. Proinde collige, si de communi iustitia, quae virtutes caeteras amplectitur, frater, ipse loqueris, cum castitas ad temperantiam revocetur et temperantia huic virtutum omnium parenti subiiciatur, tunc incongrue rogabilur, ultra praestantior. Sed decentius postulabitur, ultra maior 251 sive capacior. Nam et totum dicimus sua parte maius itidemque in corpore id sua parte maius et, sicut in eo absurdum est interrogare, quae pars est corpore praestantior, cum partes omnes toti subiiciantur, ita incongruum est petere, an virginitas et pudicitia sit communi iustitia excellentior. Atque, sicut apposite quaeritur, quae 252 pars in corpore praestantissima caeterarum vel ultra praestantior, ita, an castitas sit particulari iustitia potior sive potissima caetera-

rum. Si igitur de communi iustitia loqueris, cum nihil sit se ipso
 prestantius, hanc non dicemus illa esse praestantiorē; si de sin-
 gulari loqueris, castitas singulis est anteferenda virtutibus. Quod ut
 in animum inducas, sic habeto. Virginitas sive pudicitia iustum vi-
 rum facit. Nam nemo iustitiae sanctitatem initiari potest, nisi cas-
 tum et pudicum prius animum habeat sibi ipsi nunquam repu-
 gnantem et rationis imperio obtemperantem, quod virginitate pudici-
 citiae duce fieri solet. Ex quo colligitur has iustitias esse potiores.
 Neminem enim iustum inveneris, qui castum animum non servavit.
 Quin etiam hae non modo tempore, quando in animos hominum
 iustitiam introducunt, ut supra demonstratum est, sed suapte na-
 tura videntur esse digniores; atque hinc accipe coniecturam. Ex
 antiquis viris iustos poteris commemorare quam plurimos, in pri-
 mis Socratem Apollinis oraculo mortalium sapientissimum, ex Ro-
 manis Scipionem Nasicam virum optimum a senatu iudicatum,
 praeterea Cecilium Metellum caecum, quos quidem omnes nulla
 miracula edidisse legimus. Ad haec inquires, quia illorum iustitia
 non erat cum vera religione coniuncta. At virgines illae Vestaes
 quanto stupore populum Romanum affecerint, cum historias lecti-
 tare soleas, non ignoras, quarum altera Tutia insimulata stupri hau-
 stam cribro aquam integram ex Tyberi in templum Vestae retulit,
 altera tenui cingulo alligatam navim, quae Bonae Deae simulacrum
 e Pesinonte avexerat quamque limo retentam Romanus populus
 loco movere nequiverat, inde confestim eduxit. Et istae quoque
 praeter aeternum ignem nullum numen agnoverant. Hinc ergo po-
 tentiam reputa castitatis et iam dudum haec duo sororis numina,
 frater, incipe venerari, quae si caeteris, quae tibi insunt, virtutibus
 addideris, vere Pannonia cum Italia te mundi delitias appellabit.
 Accedit ad hoc, quod e iustitia pietas et aequitas tanquam ex uno
 fonte imprimis promanare videntur, quarum altero deo, hominibus
 altera adhiberi debet; haec religionem, humilitatem illa parit. Pi-
 etas autem, ut Hermes Thysmegistus inquit, nil aliud est, quam
 vera dei notio, quem quidem cognitum religiosius adoramus. At
 quid aliud est vera religio, quam mens pia et immaculata omni-
 potenti deo dicata? Haec enim est vere victima, hoc est acceptis-
 simum deo sacrificium, hoc verum dei templum, quod quidem
 opus, quanto rarius est caritate sua et quanto laboriosus difficul-
 tate, tanto excellentius iudicandum est. Quare, veneranda soror,
 opinionem tuam, quo altius ipse contempler, eo veriore esse in-
 telligo. Multi nanque praestantes viri illustrissimique principes,
 quamvis magnam in regendo iustitiam praestitere et de omnibus
 bene mereri conati sunt, casti tamen omnes esse nequiverunt.

REGINA BEATRIX: Non tam gratus mihi fuit adventus iste
 tuus, quo nihil gratius esse poterat, quam hoc, quod ipse facis,
 dulcissime frater, quando partes meas admirabili quadam ingenii
 subtilitate defendis neque ab hoc vafro callidoque germano pateris
 inculcari, qui meas quandoque sententias pervacacius oppugnat et
 dum pertinaciuscule suae non parum tribuit saepe calliditati, lepi-

diuscula quidem confutatione mea dicta castigare contendit. Proinde divinae clementiae par gratia iam agatur, quod optimum hodie depugnatorem ille nactus est, cui cedere saepe cogetur. 263

FRANCISCUS: Si, quales in acie vires mihi rex ipse suppetit, tales nunc in hoc litterario certamine animus mihi forte subgereret, profecto non tam facile neque reginae neque fratri cederem, neque his invitus cogerer assentiri, unde iam dudum ridendi materiam capient, sed, quantum mihi bella detrahunt litterarum, tantum fratri sacra ocia aggerunt. Sed, quando pulchrum est manibus cedere Herculis, adhuc fratrem sollicitare pergamus, ne tam facilem victoriam neque tam subitam relinquamus. 264 265

REX MATTHIAS, FRANCISCUS, IOANNES CARDINALIS ARAGONIUS. 266

REX: Num tam praeclara ingenia peperit Aragonia, quae et armis et litteris prestare videntur et potissima duo mortalium ornamenta sibi compararunt? Nos autem utrisque debere fatemur, quando et pia commendatione nos honestant et arguta disputatione delectant. Quare proseguendum est nec est aliquid interpellandum, ne tam solida hodie voluptate defraudemur, qua nulla potest esse maior, cum nobilissima Aragonie domus ingenia tam strenue depugnantia videamus. 267 268

FRANCISCUS: Nil utilius est, quam cum viro docto disputare, quo cum rudis quisque facile eruditus videri potest. Nanne dux ille viam aperit neque comitem in foveam cadere patitur. Fortitudinis et iustitiae partes, frater, ostendisti, unde varios mihi oppugnandi patefecisti aditus. Dic ergo, quaeso, an magnificentiam et liberalitatem his virtutibus subiicere audebis?, nam, si nihil meae proficerent rationes, ipsum profecto magnificentiae nomen suapte maiestate illaesum esse oporteret, quando a magnitudine et excellentia nomen accepit. Magnificus enim circa sumptus operaque magna versatur omnia cum dignitate agens et ratione. Preclara namque opera statuit eaque vel ad deorum honorem vel ad publicam privatamque hominum utilitatem voluptatemque collocat. Magnificus enim templa erigit, theatra ponit, gymnasia aedificat, porticus ambulatoriaque producit, effodit naumachias, ludos edit, colossos erigit et obaeliscos, populo dat epulum et viscera, rationes eumque gravi ammonae caritate sublevat, caenobia dicat, xenodochia molitur, delubra exornat, ingentia donativa templis apponit, pyramides struit et mausolea, hospites grato animo accipit ubertimque donatos dimittit, in magnis reipublicae angustiis subvenit, amicis ample largitur, miseriae succurrit, dat congiaria missiliaque spargit, in nuptiis vero caeterisque rebus, quae ad suam faciunt dignitatem, splendidus et lautissimus neque histrionibus et mimis neque metricibus et lenonibus neque parasitis et morionibus dat, quibus quodcunque datur, sine decore amittitur et dando eorum procacitas calamitosaque petulantia provocatur; plus, quam caeteri homines, publicae utilitati et ornamento studet, plurimum etiam con- 269 270 271 272 273

sulit immortalitati; non tam dando laetatur, quam accipiendo tristatur; de aliis benemereri mavult, quam alienis officiis obligari; se ad decorum suum et ad utilitatem alienam natum esse reputat et praeter hominum gratiam nil sibi aliud parare studet. Cum est 274
 aliquid magni facturus, imprimis sui et sumptus et operis denique rationem habet neque Megarensium insolentiam imitatur, qui, ut magnifici viderentur, cum scaenae pellibus tegi solerent, purpurea velaria facere sunt ausi, qui praeteritis magnificentiae metis pro insipientibus et stultis habiti sunt. Neque Neronis et Eliogabali 275
 stultitiam emulatur, quorum alter regiam struere perseveravit, qua urbem totam occuparet et cives ex urbe eiceret, qui quatrigenis in punctum sextertiis aleam lusit et aureo praeterea rete, funibus ex purpura cocchoque connexis et soleis mularum argenteis Canusinatisque mulionibus utebatur nec non et comaxacum et cursorum 276
 armillata falerataque turba. Alter plataeas Lacedaemonio porfireticoque lapide in palatio stravit, in lucernis pro oleo balsamum exhibuit, de croco, cum summos viros ad prandium invitasset, sigma stravit dicens se pro dignitate fenum exhibere; vehicula gemmata et aurata habuit, cum argentata eborataque et aerata fastidiret; neque 277
 calciamentum neque anulos unquam iteravit; naves caris mercibus onustas in portu demersit; excrementa auro, urinam in myrrinis onychisque excepit. Ad haec, si magnifici cessasset officium 278
 neque Memphiticae pyramides spectarentur neque imprimis illa maxima, quam Chemmis Aegyptiorum rex edificavit, cuius altitudo altius, quam in sex iugera attollitur, quattuor est laterum, quorum quodlibet ab inferiori parte iugera septem continet, ad quod quidem opus prae ceteris admirabile trecenta et sexaginta hominum milia olim deputata vix viginti fere annis absolverunt; neque altera 279
 a Chabreo filio erecta, in cuius aedificatione plus, quam mille et sexcenta talenta, quando hic cibus est opificum, pro oleribus tantum expensum est; neque tertia a Rodope meretrice facta, Aesopi fabellarum philosophi conserva, que tantas opes meretricio quaestu comparavit, ut pari magnanimitate ceraret; neque Pharos insula, 280
 inquam, vi a rege Ptholomaeo facta, quam octingentis talentis constitisse tradunt, ut imposita in ea face nocturno tempore nautae facile vada praecaverent; neque labyrinthus Aegyptiacus, Creticus, Lemnius Italicusque a Porsena Aetruscorum rege Clusi aedificatus, inextricabiles quidem omnes, e quibus exitus sine lini glomere inveniri non potest; neque cernere esset altissimos Aegypti puteos 281
 fossasque neque pensiles hortos et urbes neque Zizici delubrum neque turrim eptaphonon septem vocibus per ecco resonantem neque Caesareos arcus neque superbissima templa neque Pantheon Iovi ultori ab Agrippa dicatum neque magnificas basicas neque fora neque circos neque amphitheatra neque obeliscos neque trophaea neque porticus et thermas neque rura marmorea neque achadaemias et balnea ac vetustissima Baiani sinus aedificia neque montes in usum suffossos neque lacus, vivaria et constrata maria. Magnificus enim magnanimitate sua deo propius accedere conten- 282

dit neque exiguis virtutibus detinetur, sed maxima quaeque anhelat et laboriosa. Quam decens igitur et equum sit maiestati tanti nominis faemineam praeferre castitatem, tu ipse iudicato. Accedit et liberalis, qui, cum circa magnos sumplus versari non possit, nec eo secius beneficentia sua pro virili parte de omnibus bene mereri studet. Dat enim pro facultate sua, et quibus et quando oportet, ac demum boni gratia; neque prodigus est, ut Livius ille Drusus, qui tribunus plebis, cum Latinis civitatem, plebi agros, aequitibus curiam, senatui iudicia permisisset, professus est se nemini quicquam ad largiendum praeter caelum et cenam reliquisse. Quod quidem genus hominum, cum consumpta pecunia non habet, unde dare possit, ad rapinas animum converlit. Nam et Migulsum Mauritaniae principem ob regis similitudinem profugum captus pecunia prodidit et Adherbalem obsidem Numidarum regis filium domi suae recepit, ut occulte a patre redemptionem expectaret. Neque tamen arcta ducitur parcimonia, ut in avaritiam decidat, sed in amicos officiosus est, dat calamitosis, religiosus est et in deum sacerdotisque pro facultate sua largus Cimonemque Atheniensem imitatur, qui amotis undique suorum agrorum septis omnibus civibus egenis peregrinisque hominibus poma impune sumendi potestatem faciebat ingensque convivium domi parari iubebat non splendore, sed potius copia excellens, ubi pauperibus cibum sumere licebat; in forum proditurus familiares iuvenes secum ducebat pulchra veste munitis, quibus imperabat, ut, si quem natu grandiore sordide ob egestatem vestitum cum Cimone congregientem viderent, vestem cum illo continuo permutarent; item, si quem in foro virum indigna oppressum miseria conspicerent, quam proxime accedentes illi clam in manibus pecuniam deponerent; atque hic primus urbem Athenarum diversoriis ornavit, platanos in foro plantavit, aethaemiam, quae arida et inculta fuerat, irriguum lucum reddidit atque purissimis alveis umbrosisque ambacris excoluit, quare non inmerito Gorgias Leontinus Cimonem inquit divitias comparasse, ut uteretur, et usum fuisse, ut honorem assequeretur, quamvis inter magnificos potius, quam inter liberales annumerari mereatur. Tali igitur beneficentiae an sterilem debeas antepone virginitatem, tu ipse decernito.

VARADIENSIS: In horam argutius dux noster insurgit et habundatiore congredditur oratione, cui tam cito exempla succurrunt gravesque sententiae et accita verba praesto adsunt, ut non minus ducem, quam oratorem egregium habeamus; perstringit aciem et iudicia auditorum et ita suadet, ut omnia credere cogamur. Contra vero, cum confutantem cardinalem audimus, in aliam sententiam trahimur.

CARDINALIS: Acerrime nos, frater, oppugnans et variis artibus circumvenis, ut sororum dogma subvertas. Magnificentiam et liberalitatem mirifice extulisti, quod partim a te factum esse reputo, quia te ipse intelligo deditissimum, partim, ut huic sanctissimo parenti studere videare, quippe qui tam profusa et ingenti

magnificentia delectatur et tam pia in deos, in calamitosos, in literarum amatores prodigalitate utitur, ut caeteri principes admirantur et populi denique obstupescant. Quod etsi est a natura sibi tributum, tamen haec virtus a superioribus Pannoniae regibus haereditario quasi iure delegata est. Cum beatissimi regis Stephani sanctitate decertat, Sigismundi profusissimi principis magnificentiam superat et Alexandri denique Magni nomen salubriore illustrioreque beneficentia obscurare contendit. Maiores nanque sui divino cultui deditissimi, cum decimas, ut Mosaica lege iubemur, deo offerre oportere consyderarent, ut gratiores divinae clementiae forent, primam regni partem deo adiudicarunt, ex reliquis vero alteram praefectis militaribus tribuunt, alteram sibi vendicarunt. Rex vero noster in eadem relligiosa munificentia permansit eamque mirum in modum auxit. Quicquid enim ex victu et Christianae fidei defensione superest, id omne divino cultui dicat et immortalitati, basilicas aedificat amplissimas, mausolea erigit, cellam Iesu Christo liberatori sacravit, quam tanta aureorum argenteorumque vasorum copia tantaque gemmatarum fialarum praestantia, quae sacerdotibus usui et ornamento esse solent, tot signis et tabulis, tot auleis purpura auroque contextis, tam prestanti cantorum ordine, tam diverso musicorum organorum genere exornavit, ut cum caelesti aula hyerarchiaque certare videatur. Atque hic videmus, quicquid ibi esse reputamus. Praetermitto musarum sacellum, hoc est, bibliothecam Ptholomaeide uberiores, Dannubii navale, armaria fecundissima, apodecteria, quae Xerxis opes excederent, item suppellectilem, abacum omnium excellentissimum, in quo non modo calices, chrisendeta, archetipa, anaglypha gemmataque pocula, praeterea argenteas amphoras, scyphos, cantaros infinitaque vasa cunctorum pene animalium genera referentia, quae in regali convivio per aulam diffusa admirabile ferarum spectaculum praebent hominibus, sine stupore spectare poterit, sed ne ordines quidem quisquam facile dinumerarit. Nam hinc leones et apros, hinc ursos et panthaeras, hinc tygres et hydras, hinc pardos et aquilas cuique spectare licet nec desunt auratae sellae, tensae, currus lectique argentei, item desudatoria, vasa instrumentaque popinaria cuncta ex puro argento confecta. Nec desunt tabernacula ex serico auroque constructa, onerata gemmis lapidibusque pretiosis, quibus eburneae sunt columnae discintillantibus undique lapillis exornatae. Dimitto castra innumerabilibus circumvallata carris insignesque equitum ordines, quos Romanum aerarium alere nequivisset. Praetermitto regiam superbissimae aedificia atque rerum omnium in convivando ubertatem. Quae quidem omnia quicumque spectarit, facile tempestate nostra Xerxis, Assueri, Darii et Alexandri gazas apud hunc dominum nostrum recognoscere poterit, quandoquidem animus habet humanis viribus ampliores, cui nulla praecleara mortalium opera videntur esse satis, sed, quanto caeteris mortalibus ipse praestat, tanto excellentius fidem expectationemque gentium superare conatur. Quare in hac peculiari virtute pro asserenda ve-

ritate et sororiae opinionis defensione, si divas aures fortasse lae-
 sero, veniam imprimis censeo postulandam, quamvis dulcissimae
 reginae aliquid tribui et quandoque concedi regiae comitatis et
 mansuetudinis esse videatur. Nunc autem, ut respondendi demum 304
 viam inveniam, magna fateor esse magnificentiae merita et libera-
 litatis, ex quibus sanctissimum elemosinae nascitur opus. Nam, si 305
 elemosina ex munda mente procedit, ita homini videtur esse fe-
 neratoria, ut pro uno, quod dederit, centuplum accipiat et vitam
 denique ineat sempiternam. Quare dominus locutus est: Date et
 dabitur vobis; date elemosinas, et omnia mea vestra sunt. Haec 306
 autem, cum misericordiae sit alumna, unde nomen accepit, nisi rite
 et recte fiat, vim parvam aut nullam habet, quandoquidem, cum
 multa sint eius genera, quae cum prestiterimus, non solum vivos
 adiuvant, sed defunctis prosunt, non modo in exorientibus sitien-
 tibusque explendis et caeteris egenis adiuvandis versa'ur, sed in cor-
 rigendo, monendo recteque docendo consistit atque illud excellen-
 tissimum est misericordiae officium, cum ignoscimus inimicis,
 cum in nos comissa ex corde dimictimus, cum officio potius,
 quam vindicta vincimus. Misericordiae primum est officium im- 307
 primis sibi dare, hoc est, animae suae misereri. Nam, qui odit
 animam suam apud deum, misericors sibi esse non potest, im-
 mo crudelis, quia, si tibi hostis fueris, quem tibi fidum inveni-
 es? quamobrem has virtutes, ex quibus elemosina nascitur, ma-
 gnas esse non negarim, sed illud te latere non debet non par-
 vam in his virtutibus gloriae partem sibi vindicare fortunam. Quid 308
 enim magnificus erogabit, quid splendoris habebit, qui dabit libe-
 ralis, quod misericordiae complebit officium, si fortunam iniquam
 habuerit, si dandi facultate caruerit?, ex quo fit, ut non parvam
 sibi partem fortuna vendicet. Accedit et diversa finis intentio, quon- 309
 iam ad splendorem proprium et ad futilem quandam praesentis
 huiusce saeculi gloriam plerique hec utriusque virtutis opera ret-
 tulere, fundamenta vero virtutum, quae in charitate iacta non fue-
 rint, nil solidi premii promerentur. Quid enim pyramides et antiqua 310
 aedificia ad momentaneam quandam gloriam extructa in se splen-
 doris habent?, nisi quod una cum miseris auctorum animis in
 perpetuum interitum concidere aut vetustate collapsa miserabilia
 quaedam vestigia retinent ad breve tempus interitura. Xerxes, qui 311
 structo ponte mare constravit, montem Athon perfodit, siccavit flu-
 mina, maria classe complevit indomitumque Neptunnum aurea com-
 pede vinxit, dum magnifica opera molitur, in tam miseram turpi-
 tudinem redactus fuerit, ut piscatoria cymba amissa classe revehe-
 retur in Asiam. Darius Persarum rex capta matre, uxore familia- 312
 que tota et amisso tandem exercitu miserrime obiit; victor quo-
 que magnificentissimus veneno confectus mediam aetatem superare
 non poluit. Sed parva fuisset miserae et repentinae mortis ipsa 313
 iactura; illud miserrimis ingemiscendum est, quod, quamvis am-
 plissimos conatus obierint, incassum tamen labores et operas effu-
 dere, quia neque hic neque in altera vita profecisse videntur. Ther- 314

mae autem et trophaea, amphitheatra coclearesque columnae, praeterea statuae, obaelisci molesque Romanae quid solidae faelicitatis autoribus reddidere?, nimirum nihil, quando ad fastum, ad saeculi vanitatem, ad populi voluptatem, non ad perpetuam autorum utilitatem illa omnia facta sunt. Stulta nanque veterum superbia in honore ac fama finem ultimum collocabat et, cum vera dei cognitione careret, quid aliud appeteret, intelligere non poterat. Quod si summum bonum in deo, qui sempiternus est et vera faelicitas, statuisset, ipsa quoque apud deum faelix et perpetua fuisset, sed, quia in rebus terrenis spem posuit universam, pari quoque fragilitate corruiat atque animae in tenebris et nomina consumptis invida velustate monumentis in perpetua obscuritate degunt. Quare vetus illa magnificentia et liberalitas, quam tot laudibus effers, quia non fuit cum veri dei charitate coniuncta, quem penitus ignorabat et pro deo sibi inanem gloriam famamque statuerat, non modo pro virtute non est habenda et pro ea, quae sit maxima, sed pro miserabili stultitia reputanda est. Si autem fuerit cum divina charitate coniuncta, non tamen castitatem antecedit. Nam sine fortunae bonis utraque nihil operatur; castitas vero per se sine externo aliquo adminiculo immaculatum corpus animamque conservat, quo nihil deo gratius esse potest. Quod si illam dixeris quamvis non in actu, tamen in habitu esse posse, iam te non praeterit virginitatem et pudicitiam esse multo difficiliorem. Nam reluctantem naturam intemperatam puritatem suam nititur retinere. Ad liberalitatem vero et magnificentiam, quando ad humanitatem nati sumus, natura duce oblata facultate trahimur et movemur. Ex quibus collige, generose frater, magnificentiam et liberalitatem sororiae castitati iure anteponi non posse.

VARADIENSIS: Vera sunt, quae a cardinale dicuntur, mihi Francisce, magnificentiam et liberalitatem divina charitate carentem falsam in se dumtaxat gloriam continere, sed, si fundamento charitatis superstructae virtutes ille fuerint, multo solidiorem cum splendore faelicitatem afferre solent, quod in hac faustissima et clementissima regina nostra intuemur, quae, cum omnium magnificentissima sit et magnificentiae suae relligiosam charitatem adiecerit atque, ut nihil denique celsitudini suae deesse videretur, has tres virtutes divina quadam castitate muniverit, in tantum perfectionum omnium cumulum evecta est, ut nihil in orbe maius neque praestantius neque admirabilius spectari queat. Nam ingentia misericordiae opera, quae quotidie molitur, non spe laudis et humanae gloriae, sed ardentissima dei charitate commota facit, quod si futurae dumtaxat laudis cupiditate faceret, elatum et superbum quandoque animum indicaret. Sed illum omnium superat stuporem in tanta magnificentiae amplitudine tam humilem semper et mansuetum animum retinere. Si spectes magnifica opera, si elemosinarum pompam in die aspicias, sui repente animi amplitudinem cogaris admirari; si serenum vultum, si angelicam comitatem, si salutiferam ilaritatem, si ornatissimam et perquam mellifluam ora-

tionem, si caelestem humilitatem, si refulgentem denique maiestatem tanta inisericordia et venustate premitam contempleris, neque humilior quicquam neque mansuetior neque mitius neque spectatioribus salutaribus videri potest. Ubi illud fortasse cardinali nostro, 325 si pro tempore liceret, obici posset (sed non est a disputatione longius divertendum), quod a regina nostra servatur, hoc est, in tanto rerum fastigio et magnificentiae culmine tantam retinere humilitatem, quod fortasse laboriosa castitate non videtur esse difficilius, magnificentissimorum regum aequat opera. Ipsa tamen est 326 Vestali virgine mitior, humilior; humilem, dixi? immo castior atque longe religiosior, quam verum dei tabernaculum reputes; suave Christi salvatoris domicilium cum eat, eam quotidie spectas divina verba resonantem. Haec enim deo duce Pannoniam miseriam pro- 327 fusissima beneficentia sublevat, haec templa exornat, haec divino cultui impensissime studet et, cum sanctissimi viri sui munificentia certat, neque aequo animo patitur muliebre a virili magnificentia superari.

REGINA BEATRIX: Disputantium in rem nostram defluxit 328 oratio, pater.

REX: Faciunt perhumane, immo sapienter, ut, si quid forte 329 facimus, fiamus laudando in posterum ad magnifica opera promptiores. Non enim imprudentis est ingenii de his saepe laudare, 330 quae fieri cupimus, et tam scitis quandoque hortationibus non parum fortasse debemus, quae a fidelibus animis veniunt, quippe qui non blandiri, sed hortari hac arte student. Sed Franciscum alia molientem audiamus.

FRANCISCUS, CARDINALIS ET VARADIENSIS. 331

FRANCISCUS: Omnia confutas, frater, et mihi memet alium 332 videri cogis. De magnanimitate quid dices?

CARDINALIS: Idemtidem, quia divinae sororis verum est dogma. 333

FRANCISCUS: Magnanimitatine id antepones?

CARDINALIS: Anteponam, Aedepol, et iure, quin tu continuo 334 dissere.

FRANCISCUS Nulla virtus est, quae ad honorem et immortalitatem nos magis erigat, quam animi magnitudo, qua quidem freti difficilima quaeque fortiter aggredimur neque ulla difficultate remoramur, quin etiam, si mortis periculum offeratur, non deterremur, cum nemo sapiens in comparanda laude mortem reformidet et nihil praeter turpitudinem vereatur. Quid enim pastorem 336 Romulum, quid Iulium Caesarem privatum profecto civem, quid Optavianum ac Vaspasianum, quid Traianum, Antoninum et Severum, quid Alexandrum et Maximinum, quid Probum e Pannonia oriundum civitate Syrmienti, quid denique nostrum regem et Ioan- nem fortissimum patrem eius ad praeclara studia laudis praeter animi excelsitatem concitavit, qua ad excellentissimum quenque dignitatis gradum pervenire confidimus? Heu, quotiens humane 337

vires in medio saepe curriculo defecissent, nisi haec virtus animos addidisset, quod quidem in rege nostro, in quo omnium virtutum amplissima exempla spectari possunt, intueri licet. Puer enim regnum inivit omnium, ut sua pace dixerim, fluctuantissimum et non solum intestinis factionibus enervatum, sed externis infidelium bellis assiduo vexatum, in quo quidem pacando defendendoque nisi magnanimitas ipsa succurrisset, omnia profecto perditum iri septemtrionalis plaga vidisset. Hac enim generosissima virtute praeditus Thurcos continuatis cladibus affecit, barbaricam crudelitatem coercuit, Maesiam propugnavit, Boemiam in obsequio et Christiana fide retinuit, Dalmatiam Liburniamque servavit, Germanicam ingratitudinem vindicavit, utrasque Pannonias et opibus auxit et creberrimis denique triumphis exornavit. Quam quidem animi magnitudinem si perseverantia pari parique robore ac spiritu possem aemulari, neque Aragoniae neque huic pientissimo patri filium indecorem me confiderem praestiturum. Quare, quicquid ubique gentium aut spectatur aut legitur laude dignum, hinc, mihi crede, sumpsit exordium, ex quo fit, ut magnanimitatem regiam profecto virtutem et ipso nomine excellentissimam post castitatem haberi nolim.

VARADIENSIS: Probe dux ipse loquitur. Nam quo pacto nautae in media tempestate resisterent, quomodo milites in confertissima pugna perdurarent, quomodo homines in periculis et laboribus permanerent, nisi hac virtute prius praemuniti forent? quot annos dius Alphonsus, ut Gallis regnum adimeret sibi adiudicatum, assidua in Italia bella gessit? quot Ferdinandus rex tanto patre dignus, ut legatum sibi regnum relineret, belligerare coactus est?, cui si animi magnitudo defuisset, neque recuperasset amissum neque recuperatum retinere potuisset, de quo illud imprimis vere praedicari potest tam excellenti ac indomito esse animo, ut neque vinci rebus unquam potuerit adversis neque secundis nimium laetari, sed in utraque fortuna aequum semper et eundem animum praestitisse, quod et populi praedicant et iure principes admirantur.

CARDINALIS: Non ignorare vos arbitror, doctissimi viri, quanque virtutem ex dignitate finis metiri nos oportere et, cui praemia ampliora sunt, eidem dignitatem inesse maiorem; neque vos praeterit magnanimitatem circa laudem honoremque versari, qui a bonis et laudatis viris dari solet. Si virtutis brevis est finis et anceps, qualem honorem esse dicimus, qui in potestate honorantis est et exhibitus iam perpetuus esse non potest, irritam quoque virtutem illam et parvi momenti fore putandum est. Si pro comparanda laude honoreque et non iccirco, ut deo placere studeas, res magnas adire voluisti, pro exigua mercede laborem irritum suscepisti et res tanti est habenda, quanti sua premia videntur esse. Exigua igitur est virtus, quae exigua premia promeretur. Cum autem castitatis premia perpetua sint et aeterna, quae nihil aliud molitur et curat, nisi ut mentem deo reddat immaculatam, immensae quoque illam dignitatis esse iudicandum est. Quid

enim maioris animi esse potest, quam audere, duce divina gratia inter tantas humanae vitae sordes mentem candidam nitidamque servare et ab omni turpitudine alienam? Magnanimitatis vero cum praemium sit honor, quod in aliena potestate situm est, praeterea breve neque perpetuum neque aeternum, ex hoc fit, ut castitate inferior esse videatur. Non enim pro fluxis mortalibusque premiis insudandum est, si inter summos et beatos viros numerari volumus, sed pro his, quibus perpetuo frui valeamus. Inanis enim est et transitoria huius mundi gloria, quam nisi in divinis rebus statuamus, nostrae spes nos miserrime frustrabuntur.

FRANCISCUS ARAGONIUS ET IOANNES CARDINALIS
FRATER EIUS.

FRANCISCUS: Acerrime cuncta subvertis epichiremmata nostra, sapientissime frater, et ita quaeque resolvis, ut implicitum quoque curram, quem in Ammonis templo, ut aiunt, explicuit Alexander, ipse facilius enodare queas. Sed, an tibi omnia pari modo succedant, mihi videre certum est. Amicitiam si castitati praetuleris, iniquum fore iudicium reputabo. Quod si ita iudicaveris, vereor, ne pro tot subversis confutatisque hodierno die rationibus meis te reginae assentatorem potius, quam veritatis assertorem appellare cogamur. Divina maiestas, cum alte genus humanum fingere decrevisset, ut id commodius fovere videretur, amicitia praemunivit, qua quidem introducta in mundum mutua sese homines charitate refovent, et, cum variis rebus humana vita indigeat, cum nemini sat omnia suppetant et multis egeat, qui multa habet, nobis est amicitia data divinitus, qua duce et bonum et utile delectabileque amamus. Id enim amabile, quod bonum est. Hinc autem triplex oritur amicitiae genus. Alterum boni virtutisque gratia, quod studiosorum est. Nam, cum simili simile admodum sit appetibile, studiosus a studioso diligitur et mutua benivolentia uterque redamatur. Alterum genus utilitatis est gratia, quod ab indigentia saepissime proficiscitur. Tertium vero delectationis, quod in voluptate collocatur. Quae quidem tria humanae sunt glutina societatis, ex quibus unum tantum est firmum et durabile atque legitimum, quod in virtute situm est, caetera vero mutabilia sunt et infirma. Sed, quod studiosorum est amicitiae genus, virtus sequitur et cum utilitate delectatio. Nam virtus neque delectationem sequitur neque utilitatem, sed virtutem haec utraque sequuntur, quamvis et studiosi mutua sese delectatione afficiant neque mali malis, ut ait Euripides, sunt iniocundi. Hinc autem factum est, ut ex aequalitate et similitudine unum sit amicitiae genus, quod studiosorum est idemque perfectissimum, alterum ex inaequalitate proficiscatur, quod indigentia ipsa factum est et utilitatis causa. Hoc autem amicitiae genus diviti cum inope intercedit, qui egestate ductus, ut suae consulat utilitati, opulentum adit et locupletem, quamvis inequales esse videantur, terramque, ut ait Euripides, imitatur, quae

arefecta hymbres appetit, ex quo fit, ut inter contraria utilitatis causa saepe oriatur amicitia. Quin etiam cum iustitia ausim aequare amicitiam atque alteram esse humanae vitae luciferum, alteram vero solem, ex quo omnia officiorum genera ubertim promanare videantur, ut non temere noster Arpinas dixisse iudicetur: Solem e mundo tollere videntur, qui amicitiam e mundo tollunt. Nanque totidem sunt amicitiae genera, quot iustitiae esse possunt. Hac enim sanctissima duce deum imprimis colimus, deinde patriam, parentes, nos ipsos, dominos, magistratus, seniores, praeceptores, item cognatos, amicos, servos, concives, hospites, praeterea coniugem, liberos, nepotes ac caeteros diligimus, quibus cum aliqua nobis communicatio intercedit. Quo pacto quave charitate sit quisque diligendus, evidenter ostendit. Quonam modo pastorem amare venerarique possemus, nisi eam pro suis ovibus animam exposuisse noverimus? quomodo parentes amaremus, nisi ab his natos et tantopere dilectos esse intelligeremus?, quomodo patriam, nisi communem omnium parentem, esse nosceremus? quomodo caeteros pro dignitate diligeremus, nisi sanctae amicitiae ratio in vesceribus nostris semina charitatis ante iniecisset? quo denique modo nos ipsi amare sciremus?, nisi haec assidua dulcisque magistra nos ante docuisset, si veri nostri conmodi amatores videri volumus, animam nostram caeterasque passiones et potentias sibi habere oportere concordēs omnesque affectus cum ratione consentientes, qua quidem concinnitate concordia nulla iocundior et harmonia nulla suavior. Malus nanque animus et eger, ut in morbo laborantibus videre solemus, semper sibi contrarius est semperque repugnat et, cum aliquis delectationem patnaverit, repentina paenitentia ducitur perpetuumque secum bellum gerit expers pacis et ocii imposque concordiae. Haec quoque nos instruit non minus aliena, quam propria, neque publica, quam privata curare comoda, quando solus, qui malus est, φίλαυτος, id est, sui ipsius amator videri potest, quamvis, qui suo dumtaxat conmodo studet, an suis rationibus sat recte consuluisse videatur, non facile video, cum hic αὐτόμισος potius debeat appellari. Nobis est enim die noctuque animo revolvendum nos non solum ad nostram, sed ad communem quoque natos esse utilitatem, malus autem, quamvis sese amet, nil tamen boni in se habere videtur, qui se tantopere amare debeat, ab aliena charitate seiunctus. Quod si forlasse dixeris non esse prorsus opus amicitia, recognosce mecum, si placitum fuerit, humanae vitae miseram indigentiam, quam quidem a natali die auspicamur. Cum gemitu nanque nascimur nudique prodimus in vitam, praetera rudes, inbecilles et indocti et non tam corpore, quam animo inermes, quibus, nisi alienis manibus alamur, nisi alienis praeceptis informemur et aliena denique cultura excolamur, certe neque infirmius quicquam neque miserius neque magis brutum reperietur. Qua quidem in re eo magis nostrae vitae conditio deploranda, quo parens indulgentior caeteris animantibus, nobis vero iniquior nocverca videtur esse natura. Nam

pilis testa, villis, lana, seta varioque tegmento caetera munivit, quin
 et docuit, a natali die quomodo viverent quidve fugerent vel ap-
 peterent instinctuque naturae suis morbis remedia noscerent, contra
 nobis neque parentum magistrorumque cultura neque legum iudi-
 ciorumque supplicia neque variarum disciplinarum documenta vi-
 dentur esse satis et, quod videtur esse longe miserius, edocti in
 ea, quae nocent, temere prolabuntur et, quae prosunt, abominantur
 neque undique instructae desunt viciorum acies, quae assidua op-
 pugnatione nos exercent. In tanta igitur rerum omnium indigentia, 371
 si amicorum fide careremus, certe nunquam ex hac multiplici hu-
 mana miseria nos expedire valeremus. Si servorum saepe fides
 visa est dominis esse salutaris, quid de equalium aut superiorum
 benivolentia dicendum est? M. Antonii servus clarissimi quondam 375
 oratoris verberibus eculeoque affici et candentibus denique laminis
 aduri maluit, quam honestissimum dominum adulterii paena spec-
 tare mulctatum. Philocrates a Graccho domino exoratus, ut prius 376
 sibi caput abscinderet, quam in potestatem inimicorum se venire
 pateretur, interfecto statim domino eundem ense per sua prae-
 cordia adegit, ut et dominum turpitudine liberaret et se dominicae
 mortis autorem propria cede expiaret. Marius quoque et Brutus, 377
 item Cn. Plancus Munatii Planci frater parem servorum fidem
 experti sunt. Panopionis quoque servus, cum proscriptum domi-
 num in Reatina villa abditum inimicorum armis peti intellexisset,
 cum per posticum illum emisisset, sese pro eo supposuit et pro
 Panopione cedi voluit. Sed longe callidior in Antii Restii servo 378
 fides inventa, qui aliena morte periculum domini propulsavit. Ne-
 que puduit etiam fortunam Romanae urbis Vinditii servi fidelitate
 propriam tueri libertatem. Si igitur calamitatis humanae conditio,
 que unicuique homini dominatur, hoc humili mortalium genere
 carere non potuisse videtur, quid de amicorum fide dicemus, qui
 magis ac magis viribus et sapientia pollent? Sed, quando, Thesei 380
 Perithoique ac Piladis et Horestis, item Achillis et Patrocli ami-
 citiae partim Graeciae loquacitate, partim annosa velustate non
 magnam fidem sibi faciunt, dic, age, quaeso, quid Gracchi et Blo-
 sii amore fidelius? quid Pomponio Lectorioque benivolentius, qui 381
 C. Gracchum in corruentium telorum multitudine suorum corporum
 oppositu protexere? quid Lucio Regino amantius, qui Cepionem ami-
 cum carcere liberavit? quid Volumnio et Lucullo coniunctius? quid
 Servio Terentio et Decio Bruto studiosius? quid Damone Pythia- 382
 que divulgatus, qui a Dyonisio exorati Siculum tyrannum in tam
 fidam amicitiam tertium admisere? quid Lelio et Scipione, quid
 Pomponio Actico et Cicerone coniunctius? quid denique nostro
 rege et Pamphilo Nicolao familiaris?, qui non secus, ac Ephe-
 stionem Alexander, suum Pamphilum pro spectata fide et virtute
 sua vehementer amat. Quas ob res cum nihil sit humana condi- 383
 tione miserius nihilque natura mortalium indigentius, quando sum-
 mi viri infimorum saepe adminiculis indigent contraque infimi sum-
 morum auxilia postulant, pro adurgentissima, mihi crede, neces-

sitate divino quodam munere saluberrimum amicitiae numen est in genus humanum introductum. Quod si etiam aliquis dare posset rei nullius egenus, quamvis id impossibile videatur, quia cum aliis nos versari oportet deque aliis bene mereri opus est, huic tamen, si letus et faelix esse velit, necessario habendus est amicus. Vos enim non fugit id verbum in quoque homine non modo necessarium, sed praestantissimum esse, quod de caelo descendit, *ἐαυτὸν γινώσκειν*, id est, se ipsum cognoscere, quod ut assequamur, amico nobis opus est, quo cum loqui possimus ut nobiscum, cum amicus sit alter ipse, in quo tanquam in speculo nos ipsi intueamur nostraque vitia notemus ac nostrum denique decorum recognoscamus. Proinde auream Euripidis duco esse sententiam Horrestis ore prolatam: οὐκ ἔστιν οὐδὲν κρείσσον ἢ φίλος σαφής, οὐ πλούτος, οὐ τυραννίς· ἀλόγιστον δέ τι τὸ πλῆθος ἀντάλλαγμα γενναίου, id est, nihil est explorato amico melius, non divitiae, non tyrannidis; absurdum nanque est multitudinem cum generoso amico permutari. Huic igitur excellentissimae virtuti, qua neque uberius neque commodius neque magis necessarium quicquam inveniri potest, iniquum est hanc tuam castitatem anteponi.

CARDINALIS: Me hac tuae orationis redundantia obruis, disertissime frater, et lacertosa argumentatione non parum adurges, sed, quia non facile velum praetenditur veritati, quin aliquid elucescat, propterea te ulterius ambigere non facile patior. Amicitiam, si recte servetur, commodissimam virtutem esse fateor et in tot partes posse distinguere, in quot iustitia dividi soleat. Sed illud advertendum est, quod, si in totidem partes amicitiam partiare et circa eadem subiecta hanc versari velis, solo dumtaxat nomine ab illa differre videbitur. Dic, age, quaeso, quaenam virtus amicitiae magis complet officium, quam ipsa castitas? Nam, si est amicitia in se ipsum et in alios atque ea vera et firma est, quae est in virtute collocata, quaenam virtus est, quae maiorem in nobis concordiam pariat, quae nos ipsos magis ac deum diligere faciat, quam ipsa virginitas sincaeraque pudicitia? Hac enim virtute praediti non modo pacatum animum ac caeteros affectus in rationis obsequio retinemus, sed purum immaculatumque servamus, qua quidem re tam multus amor nobis cum deo contrahitur, ut et nos in deo et deus in nobis esse videatur. Tam immaculatam sincaeramque probitatem amicitia nulla praestare potest, quandoquidem multos legimus amicos fuisse fidos, quos tamen castos et pudicos non fuisse cognovimus. Quare ea, cum in se plus excellentiae habeat et dignitatis, castitatem non modo amicitiae, sed caeteris virtutibus, frater, aequo animo anteponi patiare.

FRANCISCUS ET CARDINALIS.

FRANCISCUS: Postquam dicta cuncta confutas, antequam ad alia veniamus, virtutes sacras, quas theologicas appellamus, me tibi obicere certum est, ut hodie die videam, an ea sis ingenii acrimonia, ut his audeas preferre castitatem; neque tamen post-

hac te sollicitare desinam, ne fraterculi tui vires reputes infirmiusculas. Quanti religioſa fides ſit habenda, non ignoras, frater, 396
 quae, cum virtus ſit, quae ea creduntur, quae non videntur, ſalutaria opera parit. Haec enim facit, ut in deum pie credamus et credendo diligamus et ſperemus, quae quidem neque ſine ſpe et amore 397
 eſſe poſteſt neque amor ſine ſpe neque ſpes ſine amore. Haec tantum centurioni proſuit, ut compos voti redderetur et, cum crediderit, voluntate ſua ſibi fieret; haec quoque cum crederent, ſupplices mulieres continuo ſalvas fecit. Item tam potens fidei numen fuiſſe memoratur, ut etiam apud antiquos nulla vera ſanctaque fide praeditos miracula tamen edidiſſe dicatur. Vaspasianus im- 398
 perator claudum calce tactum liberavit et caeco illitis ante ſaliva oculis lumen ſtatim reddidit, cum ſuperiore nocte uterque habuiſſet in ſomnis ſe hoc modo liberari poſſe et nimia fide ductus prima luce imperatorem adiret alter calcem, ſalivam alter inſtan- 399
 tiſſime ſupplicaturus. Tutia virgo Veſtalis ſuae deae confiſa aquam cribro hauſit et pari quoque exemplo altera virgo navim tenui 400
 cingulo traxit. Si inter profanos miracula facere fides ipſa non de- dignatur, quid inter Chriſti fideles hoc numen operari poſteſt, ex quo tot et tanta miracula proficiſcuntur, ut homines neque mente neque monumentis complecti queant? Sed illud pretereſſe non poſ- 401
 ſum, quod per Italorum ora vagatur, cum Ioannes Capistranus Iacobusque Aſculanus vir uterque beatiffimus in Pannoniam feſtinaret, ut Ioannis vaivodae fortiſſimi ducis magnanimitatem in Tur- chos divinis orationibus augetet, cumque per Ferrarienſem agrum iter faceret neque pecuniam haberet ſancta illa paupertas, quam pro traiciendo Pado portitori daret, neque durum et avarum hominem exorare poſſet, ut gratuito traiceret, ſancta illa ſocietas duce Ioanne ſtrato in undas pallio deſedit et in adverſam continuo ripam delata eſt. Spes autem virtus eſt, qua aeterna bona 402
 ſperantur, in quibus comparandis cum ſit mira difficultas, niſi ſpes ipſa ſuccurreret, quae nobis animos adderet, pectora premuniret, fortitudinem augetet, in medio ſaepe curriculo deficeremus. Fide- 403
 libus enim illis, qui prophanae olim crudelitatis gladio petebantur, niſi propositae beatitudinis ſpe conſtitiſſent, neque pali quidem ſupplicia neque fornacis incendia neque cruciatus et iugula tollere poſuiſſent. Haec enim virtus eſt, quae maiores noſtros et 404
 quicquid eſt illuſtrium ubique virorum, ſola laudis et gloriae cupiditate mortem ingentiave pericula ſubire coegit. Miles, ut haſta 405
 pura, ut civica, obſidionali muralive corona donaretur, centurio, ut primipilatum aſſequeretur et ad maiorem ordinem ascenderet, legatus legionis, ut palmata veſte equo invectus tryumphum ſequeretur, imperator, ut tryumpho vel ovatione honeſtaretur, omnes denique hac ſpe ducti cunctis ſeſe periculis expoſuere, ex quibus collige hanc virtutem non ſolum nobis, qui aeterna ſperamus, ſed etiam antiquis, qui ſacrae veritatis luce caruere, admodum fuiſſe ſalutarem. Accedit et charitas, quae caeterarum maxima predicatur, 406
 quandoquidem cauſa eſt omnium materque virtutum, quae ſi de-

sit, frustra habentur caetera, si autem adsit, habentur omnia. Charitas enim Spiritus Sanctus est. Haec ceteris virtutibus pretium 467
facere videtur, quippe quae si sine charitate operentur, omnia prorsus earum opera irrita et vana futura sunt. Haec facit, ut deum et proximum pie diligamus, et, quia charitas dilectio est, qua deum propter se diligimus et proximum propter deum, neque deum patitur ex intellectu neque voluntate neque memoria nunquam excidere, quin etiam se deo ita gratificatur, ut nihil apud deum videatur antiquius. Haec patientiam fortitudinemque docet, iustitiam 408
parit et benignitatem, invidiam propulsat et iniquitatem abominatur, superbiam et ambitionem proterit, nihil cogitat iniquum, nullius contumelie vindictam molitur, veritati studet, omnia sperat, omnia credit, omnia substat, nunquam a deo deficit, sed cum deo semper est ac cum eo coniungit, ut illud vere dici videatur: qui charitatem habet, cum deo est et deus in eo. Item haec omnes 409
actiones nostras dirigit in deum, cuius gratia omnia fieri iubet; haec cum ad sperata bona pervenit atque divina fruitur maiestate, tunc fides et spes recedit, quando potitur, quod credidit et speravit; charitas autem tunc ineffabiliter augetur in aeternumque perdurat. An igitur sis ausurus tam praeclaris virtutum ducibus 410
hanc tuam praeferre castitatem, nondum satis compertum habeo.

CARDINALIS: Quanti sit fides, spes et charitas habenda, me 411
non praeterit, argutissime frater, atque imprimis ipsa fides, quae tanti momenti esse solet, ut haec sola iustum hominem facere videatur. Quod quidem Abraam testari potest, quippe qui credendo iustus effectus est. Quare merito id a Paulo Romanis scriptum 412
est: Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum meritum; ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiae dei. Itaque divinitus David locutus 413
est: Beati, quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata. Spes autem certa est expectatio futurae beatitudinis, quae ex dei gratia praecedentibusque meritis provenit, nam sine meritis aliquid sperare non spes, sed praesumptio dici potest. Charitas 414
vero est caeterarum maxima, quae utriusque videtur esse causa, et, ut injectas aquae guttas caminus ignis ardentis statim absumit, ita haec cuncta peccata delet. Sed, cum fides sine operibus mortua sit et sine meritis aeterna sperare extremae temeritatis esse reputetur charitatemque ipsam notis gravissimis pollutam saepe videamus, dicere audemus castitatem, quam nunquam a charitate separamus, puritate et sinceritate sua, ut hiis tribus anteferatur, iure promereri, cum se nullo scelere pollui patiatur. David charitatem habuit et cum spe fidem, adulterium tandem et homicidium 415
patravit, qui si se pudicum servare potuisset, neque in domum gladius foret inmissus neque dolore confectus in cilicio et cinere deflevisset. Quod si fortasse dixeris nihil esse charitate maius, id 416
perfici neque deo placere posse.

FRANCISCUS ARAGONIUS ET CARDINALIS FRATER. 418

FRANCISCUS: Nec iniocunda sunt neque ingrata, frater, 419
 quae de hiis virtutibus rettulisti, neque tempus patitur in his diu-
 tius inmorari, quando cum caeteris quoque castitas conferenda est,
 ut videamus, an faustae sororis opinio in caeteris virtutibus debeat
 approbari. Temperantiam in medium adducerem, qua delectatio- 420
 nis et tristitiae moderatrix esse censetur et prae caeteris virtutibus
 decorum peculiare curare videtur. Nam cuique duplex decorum 421
 servari debet: unum commune, quo fit, ut caeteris animantibus pre-
 stare videamur humanaeque dignitatis excellentia recte servetur;
 alterum singulare et cuique pro natura sua accomodatum, quo a
 caeteris hominibus servata dignitate differe quisque videatur, hoc
 autem Graece πρέπον dicitur. Nam, sicut consentientia inter se in 422
 corpore membra et concinna proportionem conquadrantia pulchri-
 tudinem pariunt, sic dictorum factorumque in quoque moderatio
 in homine suscitatur decorum. Alium enim severitas, alium lenitas
 et misericordia, hunc lepor et comitas, hunc accurata gravitas,
 illum iustitia, hunc pietas addecet. Philippus Alexandri pater cal- 423
 lidus et affabilis, item egregius dissimulator odii nec non et gratie
 simulator, magnus amicitiarum artifex et orator insignis quondam
 astu et prudentia sibi laudem comparavit, contra Alexander magni-
 animitate, benivolentia, liberalitate profusaque magnificentia tan-
 tum sibi nominis vendicavit. Cato parcimonia et severitate, clem- 424
 entia et magnanimitate Caesar; sapientia Lelius, quia utranque
 fortunam aequo animo tolleraret; pietate Metellus, Brutus vero pa-
 triae charitate. Quare, cum praecipua decori excellentia e temperan-
 tia proficiscatur, merito poterat castitate dignior appellari. At tem- 425
 perantiam inquires castitatis esse parentem, quae cum volutatibus
 moderetur, parum ab ea differre dices.

CARDINALIS: Neque de temperantia neque de continentia 426
 et verecundia quicquam obiciendum est, frater, cum pedissecae
 castitatis hae virtutes esse videantur, quam quidem ad temperan-
 tiam reduci posse non negarim. Quod enim utrique sexui plus vi- 427
 detur afferre decori, quam ipsa castitas, quae non inmerito a fau-
 stissima sorore tantopere praedicatur. Plus enim Alexandro deco- 428
 ris defensa uxoris filiarumque Darii pudicitia, quas in tabernaculo
 tam integre casteque servaverat, quam nominis de universi victoria
 Orientis attulisse censetur, quando haec mortem, immortalitatem illa
 prebuit. Non tantum gloriae Scipioni devicta Carthago, quam virgo 429
 capta sancteque servata et sponso gratis reddita perpetuae lau-
 dis attulit. Demetrium ferunt forma et pulchritudine usque adeo 430
 egregia praestantique fuisse, ut, pictorum sculptorumque nemo cum
 similem unquam posset effingere, omnium defatigarit ingenia, nam
 gratiam simul et terrorem, praeterea gravitatem et mansuetudinem
 prae se ferre videbatur, qui si dedisset operam, ut interiora cum
 exterioribus consentirent servataque continentia pulchritudinem cor-
 poris auxisset, nihil spectabilius aetas ille protulisset, sed, cum se
 delitiis ac voluptatibus dedisset, non servato decoro omnium est

habitus regum incontinentissimus. Quid enim turpius ac sceleratius 431
 committere poterat, quam Democlem puerum, quem in desyderium
 perducere non poterat, in balneum usque sectari?, contra quis pu-
 er hoc excellentior unquam suique decori observantior inveniri po-
 tuit, qui, cum talem sibi vim iniuriamque afferri cerneret, sublato
 repente lebetis tegmine caetero refugio carens in ferventem aquam
 balnei sese proiecit atque tali morte se ab omni turpitudine red-
 emit. Hinc igitur disce, nulla alia virtute quam castitate in quaque 432
 persona decorum facilius retineri posse.

BEATRIX, REX, CARDINALIS ET FRANCISCUS.

433

BEATRIX REGINA: Quam pervicax hic meus frater est, pater, 434
 qui nondum opinioni meae cedere dignatur, sed in horam magis
 ac magis instat et nunc nescio, quid aliud altius molitur.

REX: Tale est, filia, generosi animi ingenium, ut in quaque 435
 re nunquam sponte cedat, et presertim, ubi de honore certatur.
 Ambos in pugnam fratres commisisti, qui, si decertare perrexerint, 436
 ut mihi videre videor, multa cognitu dignissima prosequuntur, quia
 non minus erudita, quam liberalia et pervicacia sunt ingenia.

CARDINALIS: Quid cogitas, frater? aliquid forte acrius me- 437
 ditaris?

FRANCISCUS: Parvula exhauriuntur ingenia; nisi aliquantis- 438
 per me collegissem, quid ultra dicerem, nesciebam. Nescio, quid
 iam dudum occurrit, quod quo magis cogito, eo maius oritur dis-
 ceptandi argumentum. Dum in regem iam cum regina mussitan- 439
 tem oculos ipse converto, longam virtutum seriem tanquam exem-
 plaria rerum in eo mihi videor intueri, imprimis mansuetudinem,
 humilitatem ineffabilem, prudentiam, artem militarem, deinde sum-
 mam scientiam cum divina quadam sapientia coniunctam. Mox 440
 cepi egomet mecum continuo cogitare, num tam praeclara virtu-
 tum simulachra post castitatem videntur esse collocanda. Quare ab
 humilitate initium faciam. Non enim solum salvator noster virtutis 441
 huius comoda praedicavit: Qui se humiliat, exaltabitur et, qui
 se exaltat, humiliabitur. Item et illud: Quicumque voluerit inter vos
 primus esse, erit vester servus; sicut filius hominis non venit mi-
 nistrari, sed ministrare et dare animam suam redditionem pro mul-
 tis. Sed cuncta quoque sacra monumenta testantur. Deus cognita 442
 mansuetudine Moysis et humilitate coram cum eo locutus est, quod
 Dyonisius Ariopagita in epistola refert, quam scribit ad Demophi-
 lum: αἱ τῶν Ἑβραίων ἱστορίαι φασίν, ὃ γενναῖε Δημόφιλε, καὶ τὸν
 ἱερόν ἐκεῖνον Μωϋσέω διὰ πολλὴν πραότητα τῆς θεοφανείας ἡξιωμένον
 καὶ εἴποτε αὐτὸν τῆς θείας ὄψεως ἀναγράφουσιν, οὐ πρὸ τῆς πραότητος
 ἐκκλάουσι τοῦ θεοῦ, et subdit: καὶ γὰρ ἦν πρῶτος σφόδρα καὶ ὑπὲρ
 τούτου λέγεται θεράπων θεοῦ καὶ εἰς θεοπτίαν ἀπάντων προφητῶν ἀξι-
 ώτερος, id est, Hebreorum historiae dicunt, o generose Demophile, 443
 sacrum illum Moysem propter multam humilitatem divino aspectu
 dignum habitum et, si quandoque sine divino aspectu scribunt,

non prius sine deo, quam sine humilitate illum fuisse ferunt, et-
 enim perquam humillimus erat et propter hoc prae caeteris dei
 servis universisque prophetis divino aspectu dignissimus fuisse
 dicitur. David quoque omnia humilitate sua promeruit, ut non so- 444
 lum illud ore dei diceretur: Inveni servum secundum cor meum,
 sed ex suo etiam femore dei filius futurus homo nasceretur. Atque 445
 demum purissima et immaculata virgo Maria filii dei dignissima
 parens hac praecellentissima virtute meruit appellari, cum deus
 ancillae suae cognovisset humilitatem. Haec quoque divina virtus 446
 Christum dei filium per carnem humiliatum et in forma servi ad
 mortem usque factum hoberedientem gloriosa resurrectione dei fili-
 um esse demonstravit et post mortem animam praestitit impassi-
 bilem, carnem vero immortalitate donavit. Quid ergo est, quod nos 447
 ab humilitate dehortetur, aut ad superbiam efferat?, quippe qui ex
 qua materia concepti sumus et qua conditione et in quanta mise-
 ria vivere cogimur, si assidua cogitatione agitaremus, profecto ni-
 hil esset, quo aut tumescere aut efferi possemus. Curis et pertur- 448
 bationibus quottidie excercemur et ex caeteris animalibus homo
 solus dicitur inquietus. Quicquid somnus, dolor et sollicitudo no-
 bis adimit, quicquid infantia, pueritia et senectus vilae subtrahit,
 id nos vivere minime reputandum est, si materiae nobilitatem
 examinamus. Quot animalia odorantiora et ipsa materia praestan- 449
 tiora inveniemus, quae neque fedam corruptionem patientur neque
 tam brevem vitam habebunt? Praetermittimus ligna, quae cariem
 non sentiunt, praetermittimus obrusam, quae neque rubigine cor-
 roditur neque igni diminuitur, praetermittimus lapides, qui cum
 pretio materiam pollicentur inmortalem. Si fortitudinem requirimus, 450
 leonem inveniemus et elephantum homine longe fortiolem, si in-
 genium, apes occurrunt proprio instinctu ingeniosiores, si labori-
 osam frugalitatem, formicae. Nobis anima infunditur omnis expers 451
 cognitionis, cui praeter immortalitatem et discendi facultatem, quae
 non parvi momenti est, nihil boni inest. Eat igitur homo et hac
 sua miseria usquequaque gloriatur. Divinitus equidem in parabu- 452
 lis Salamonem, ut caetera multa, locutum esse arbitror. Ubi fuerit,
 inquit, superbia, ibi erit et contumelia, ubi autem est humilitas,
 ibi sapientia. Ex quibus hec colligere licet, cum prima sapientia 453
 sit, ut ait Plato, se ipsum cognoscere, superbiam ex ignoratione
 sui ipsius oriri, humilitatem autem ex cognitione. Ex quo fit, ut
 cum ignorantia superbia et humilitas cum sapientia sit omnino
 coniuncta. Quotiens igitur regem, hunc, inquam, patrem nostrum 454
 tam mansuetum humilemque video et nequaquam se tanta rerum
 gestarum gloria efferentem atque tam benigne omnes admittentem,
 illud extemplo mihi venit in mentem: Hem, nos humunculi contu- 455
 mescimus, inflamur, ex minimis quandoque rebus tam futilem
 gloriam concipimus et ita usquequaque iactamur erectisque crisi-
 stis incedimus, ut non modo hominibus, sed deo quoque intolle-
 rabiles videamur. Imitemur sanctissimae Mariae virginis humili- 456
 lem, quae, cum ad Ignatium Anthiocensem episcopum Ioannisque

discipulum, cuius cordi hoc dulce nomen Iesu litteris aureis impressum est inventum, scriberet, tali inscriptione utebatur: Ignatio discipuloque dilecto humilis ancilla Iesu Christi salutem. Regem⁴⁵⁷ aemulemur, qui, quanto nomen omnium virtutum excellentia latius effunditur, tanto humiliorem mitioremque animum praefert. Destabilem Domitiani fastum semper abominemur, qui in suis diplomatibus patiebatur inscribi: Domitianus dominus et deus vester ita iubet; sed mox insipientiae suae dignas paenas luit. Quare, cum⁴⁵⁸ salvatorem nostrum hanc virtutem in vita semper praedicasse legamus et hanc verae sapientiae comitem videamus, qua quidem in caelum usque efferri possumus, ante hanc castitatem haberi non facile patiar.

CARDINALIS: Lure ac merito virtutem hanc extulisti, frater,⁴⁵⁹ quando haec salvatoris nostri comes fuit in terris et haec omnis sapientiae et faelicitatis non mediocris causa esse reputatur, quae ubicunque servatur, pax ibi regnat et ocium, unde vero eiicitur, hic perturbatio, simultas et discordia cum omni miseria dominatur. Sed illud attendendum est, frater, humilitatem a castitate vires fere⁴⁶⁰ omnes accipere. Impossibile est enim hanc pollutam placere deo et quonam pacto quisquam humilis ac hoberdiens deo esse potest, si feda turpitudine coinquinatur? Atque hinc conicere potes, quantum pretii virginitas cum humilitate coniuncta illi afferat, ut deum⁴⁶¹ coegerit virginis filium appellari. Ex hiis igitur collige nil esse virginitate maius, cum sine castitate humilitas nullius momenti esse censeatur.

EPISCOPUS VARADIENSIS, FRANCISCUS, CARDINALIS,⁴⁶²
 REX ET REGINA BEATRIX.

VARADIENSIS: Duplicem ex nostri ducis et sacrosancti cardinalis disputatione fructum hodie legimus, ex altero virtutum laudes et incitamenta, ex altero veritatem, quam in virtutum praestantia difficile est admodum inveniri. Sed quid, dux noster, disputare cessas? Educ in medium reliqua, quae sunt auditu regio non indigna et cognitu necessaria.

FRANCISCUS: Id continuo faciam, quando vos ita velle sentio, licet incassum, cum frater nulla arte capi possit. Occurrit disciplina militaris, cui castitatem anteponi iniquo animo fero, cum hinc regum ac principum potissimum proveniat ornamentum; nos hic scio pugnam redintegraturos. Nam iam dudum fratrem intelligo rebus bellicis non modo castitatem, sed scientiam quoque esse praelaturum.

CARDINALIS: Quin id me omnino existimato facturum.⁴⁶⁷

REX: Iam prelium, filia, redintegrassit; non statim magni⁴⁶⁸ spiritus desidunt.

REGINA BEATRIX: Non facile patitur Franciscus noster castitatem suis armis anteponi, praesertim, cum suas partes nunc videat laesum iri. Dux est, pater, vestro beneficio creatus, cui Austria olim provincia decreta, ubi cum ductu auspiciisque vestris⁴⁷⁰

grave bellum gesserit opidaeque plurima expugnaverit ac hostes saepe profligarit, tantum concepit audaciae, ut praeter magnanimitatem ac militarem artem caetera pro nihilo ducat, cardinalis vero salubriora stipendia mereri voluit neque suam huic militiam anteponit, unde delectationis augetur argumentum.

FRANCISCUS: Cum de re militari sim verba factururus, egre
471 fero non eas inesse mihi et ingenii vires et dicendi facultatem, ut militiae comoda et ornamenta pro dignitate referre queam, praesertim, cum apud invictissimum principem, verum aequi Martis Minervaeque parentem et apud heroas Pannonios, qui omnia bellicae rei documenta callent, nunc si agendum. Proinde aequis adeste au-
472 ribus ac vestris favete partibus. Nihil inter mortales excellentius reputandum esse duco, quam id, quod humanae vitae est apprime necessarium et quod plurimum utilitatis affert et ornamenti. Id au-
473 tem, cum disciplinam militarem esse videamus, qua nihil in hac mortalium vita commodius esse censetur, non inique fortasse sentire videbimur, si potissimum hominum decus tantopere efferamus. Exacto nanque primo saeculo, quod aureum appellarunt, cum hu-
474 manum genus deterere ocepisset ac libidine et avaritia extuaret, agros passim indefinitos et opaca nemora, quae colebant, paulatim homines deserere caeperunt, mox se in pagos et villas munitaque fossa et muro opida receperant. Nondum artes scientiaeque prod-
475 ierant, sed cupiditas et audacia dominari caepit. Tunc, qui incultam multitudinem regebant quive caeteris sapientiores habebantur, mox arma invenere, quibus et patriam finesque tueri et iniurias propulsare nitebantur. Unde paulatim disciplina militaris emersit,
476 qua quidem quicumque fuerant instructiores, iis reipublicae summa demandari cepit. Hinc autem varia pro tempore reipublicae genera profluxere, nam hinc regna, hinc tyrannis, hinc optimalum pauco-
477 rumque potentia, hinc respublica promanavit. Nemo enim poterat propria retinere neque patria neque liberis neque uxore neque fortunis comode perfrui, si arma, sub quorum tutela pax tranquilla
478 quiescit, olim defuissent. Ex eo igitur tempore regna civitatesque tueri, rempublicam servare, iustitiam protegere, dirigere iniquum, superbiam deprimere, iniurias ulcisci haec saluberrima disciplina
479 cepit. Omnia nanque misceri cerneret et turbare nullumque ius pro dignitate cuiquam impendi, si haec generosa disciplina defuisset.
480 Haec iniurias ac laesa ulciscitur iura legatorum, quod et Fidenates, Tarentini Chorinthique sensere, qui non modo paenas pepen-
481 dere graves, sed eversis quoque urbibus praeclarissimos Romanorum triumphos signis, tabulis, auro, purpura, delitiis, vasis, elephantibusque exornarunt. Quid etiam magis fines tuetur et amplifi-
482 cat imperium, quam haec gerendi belli disciplina? Quod non solum in Romanis, qui e pastorum sanguine nati annis circiter sep-
483 tingentis universum orbem occupavere, et in Assyriis, qui multis ante temporibus imperarunt, item in Medis, Persis, Atheniensibus, Lacedaemoniis et Thebanis Macedonibusque intueri licet, qui mitioribus fuisse moribus, sed in Gothis, quos Getas appellabant, et

Longobardis et Unnis, ex quibus promanavit bellicosae Ungariae nomen, quorum aliqui occupatis Pannoniis et Illyrico in Italiam irrupere et inde digressi in Hispaniam usque penetrarunt, aliqui vero in Italia consederunt; item in efferatissimis quam maxime 484 Turchis, qui e montibus Caspiis effluentes in maiorem Armeniam egressi sunt et per sexcentos ferme annos vastata utraque Armenia populataque Assyria totam minorem Asiam, deinde Graeciam, Peloponesum, Epirum, Macedoniam, Thraciam, Dalmatiam, Cheronenum Sarmaticam et universas Aegaei maris insulas in ditionem suam rede gere et, nisi rex noster barbaricum furorem refrenasset, parum abfuisset, quin totam fere Europam occupassent. Ad haec 485 quid urbes reddit opulentiore s? quid libertatem magis alit et incolumitatem? quid audacius turpitudinem repellit et leges tutius cogit imperare? Haec corpora exercet ac munit, haec auget animos 486 et ad pericula reddit promptiores, haec viros ad laudem et immortalitatem incendit, desidi am repellit et ingratum ocium omnium sane vitiorum autorem, intemperatos et improbos iubet sub lege vivere, patientiam constantiamque docet, praeterea fidem in socios vel Saguntina non inferiorem, perfidiam Punicam proterit et sanctae societatis iura custodit, quin etiam propter incertos belli exitus 487 variosque casus docet utranque fortunam ferre tolleranter, nos mortem potius honestam, quam turpem vitam obire iubet, item fragilis momentaneeque vitae nos admonet, quod Xerxes quoque, qui terrae ac mari se dominaturum esse sperabat, intellexisse fertur, qui, cum ex monte recensuisset exercitum et hinc classem inmensam, hinc copias innumerabiles prospectasset, flevisse dicitur ratus ex his neminem ad centum annos fore superstitem. Praeterea fortunae ludum explicat et hinc habendam misericordiam ostendit, cum Paulus Aemilius Persem Philippi filium Macedonumque regem apud Asi i templum in Samothracia captum a Cn. Octavio legato suo conspicatus repente fleverit et assidere sibi iupserit, quem una 488 icum filiis catenis vinctum aureis duxit in triumphum. Cresus rex opulentissimus a Cyro captus, qui neminem se faeliciorem reputabat, cum incendio destinatus pyram conscendisset, Solonis memor, qui antea eum insidiosae fortunae monuerat, ter, O Solon, exclamavit, ex quo disci potest, quam aequam et benignam mentem ferre oporteat imperatorem. Hinc Siphacis et Iugurthae, hinc 489 Darii exempla repetuntur. Hinc quoque illa docet bellum nullum iniquum neque id invito et inconsulto deo indicendum, quod si religiose sancteque ineatur, indubitata tunc victoriam quisque speret. Accedit ad hoc, quod desipiunt quandoque viri nimia fortunae 490 indulgentia et, cum ad arma perventum fuerit, a magistra rerum omnium experientia edocti resipiscunt et, qui iniqua prius anhelabant, bello castigati in aequitatem facile rediguntur. Cum iura desunt, quid nobis ablata redderet, quid subtracta repeteret, quid in necessitate succurreret, nisi ars bellica talia vindicaret? Plus sibi gratiae, autoritatis et imperii 491 populus Romanus olim, dum armis socios tuelur, dum favet oppressis, dum tyrannorum iniurias reprimi t, dum populis ius

dicit, quam alio quovis modo comparavit. Ex hac gratum prove- 492
 nit obsequium, ex hac decus et imperium. Plus enim dignitatis et
 splendoris praecellentissima haec armorum disciplina possidet, quam
 artes reliquae ceteraeque virtutes. Cur litteratis viris neque hastae 493
 purae neque phalerae neque torques neque armillae neque cor-
 nae neque trophaea neque tryumphales statucae neque insignes ti-
 tuli dedicantur? quia nequaquam tryumphalibus viris et imperato-
 ribus videntur esse pares. Affer in medium pallentium poetarum et 494
 philosophorum titulos, affer insignia iureconsultorum, sive Vul-
 pianus sive Modestinus ille fuerit, affer eorum quoque coronas,
 qui sacra iura tulerunt; ne me quidem putes illos aspernari, qui,
 quando doctissimi fuere, pro magnis sunt habendi, sed nequaquam
 cum militaribus comparandi. Perlege Pompei titulos in delubro 495
 Minervae incisos, ne Caesaris et Alexandri dixerim et Severi. Gn.
 Pompeius Magnus Imperator bello XXX annorum confecto, fuis-
 fugatis, occisis, in deditionem acceptis hominum centies vities se-
 mel octuaginta milibus, depressis autem aut captis navibus octin-
 gentis quatragesima sex, oppidis, castellis mille quingentis viginti
 octo in fidem receptis, terris a Meoti ad Rubrum subactis votum
 merito Minervae. Tryumphi quoque praefatio haec fuit: Cum oram 496
 maritimam predonibus liberasset et imperium maris populo Roma-
 no restituisset, ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Capadocia,
 Cilicia, Syria, Schytis, Iudaeis, Albanis, Hyberia, insula Creta, Ba-
 sternis et super hoc de regibus Mitridate atque Tigrane tryumphat,
 quare illi quoque viri, qui iure magni nominati sunt, hac bellorum
 gloria apud inferos beati esse possunt. Praeterea pacem parit, quia, 497
 ut philosophi motum quietis causam esse dicunt, ita ex bello pax
 alma succedit. Militia est quaedam divinae censure ministra, que
 iussu dei a facinorosis et sceleratis, qui humanae societatis iura
 laeserunt, merita supplicia exigit neque ante saevire desinit, quam
 iniquitates humanas exequaritur. Si quis praeterea fuerit imprudens 498
 et inconsultus, militiam adeat, qui, cum imprudentiae suae pae-
 nas hostibus quandoque pependerit, suis certe sumptibus sese fa-
 ciet cautiorem. Si omnium virtutum et ingenuae cuiusque disci- 499
 plinae officinam quaesieris, pete militiam; hic equitandi sagittandi-
 que magistros invenies, hic ad palum milites, item cursu saltuque
 exerceri, hic cesim punctimque arma tractari, hic sub vineam iace-
 re, hic palaestram agitari, hic litteras in pretio esse, hic vicia pu-
 niri, hic imperia observari, hic coli pietatem, hic vigere religionem,
 hic libidinem castrari et perfidiam trucidari, hic imperitare iustiti-
 am, hic grata pro dignitate obsequia praestari, hic virtutem pro
 meritis donari, hic mirum ordinem, fidem charitatemque servari vi-
 debis. Scipio Aemilianus ad expugnandam Numantiam profectus 500
 eo die, quo pervenit ad exercitum superiorum ducem indulgentiam re-
 mollitum, castra lustravit, omnia voluptatum genera edixit auferri, un-
 de constat eo die duo scortorum milia cum maxima institorum lixarum-
 que multitudine abiisse. Expiata autem militia reparataque virtute mili- 501
 tum acrem superbamque Numantiam funditus evertit. Idem Metel-

lum in Iugurtino bello fecisse legimus. Publius Rutilius consul in 502
 bello, quod in Sicilia cum fugitivis gestum est, Q. Fabium gene-
 rum suum, quia negligentia Taurominitanam arcem amiserat, pro-
 vincia sua decedere iussit. C. Cotta Publium Aurelium Fulvium 503
 Liparatinae obsidioni prefectum, quod eius culpa agger incensus
 et castra pene capta fuerant, virgis ante cesum inter pedites red-
 egit. Q. Fulvius Flaccus censor fratrem tribunum militum, quia iniussu 504
 consulis cohortem legionis domum dimiserat, senatu abdicavit.
 Postumius ac Mallius Torquatus uterque filios, quia paterno in-
 iussu cum hostibus dimicabant, securibus cedi iussit ralus uterque
 multo melius fore patrem filio, quam militari disciplina carere ci-
 vitem. Quintius Cincinnatus dictator Minutium consulatum depo-
 nere coegit, quod castra ab Equiculis obsideri passus erat arma-
 que Romana clausis portis continuerat ac vallo tantum et fossa se
 defenderat. Neque minore severitate Papirius dictator in Fabi-
 um Rutilianum magistrum equitum, quod contra suum imperium
 exercitum in aciem eduxisset, usus fuisse fertur. Scipio superior
 Africanus capta Carthagine, quamvis nihil eo mitius inveniri pot-
 erat, tamen, cum transfugas omnes in suam potestatem rede-
 gisset, Romanos crucibus affixit tanquam patriae fugitivos, Latinos securi
 percussit tanquam socios summa perfidia praeditos. Minor autem 508
 Africanus eversa Carthagine transfugas in theatro bestiis inmani-
 bus obiecit. Ex qua quidem severitate facile intelligi potest, quae
 vitia in castris ali possint. Sed, si quis veterem disciplinam 509
 spectare voluerit, nostri regis maiestatem intueatur, qua domi nil
 mitius, militiae nil severius in delinquentes, perfidos et desidiosos,
 contra in fortes nihil liberalius in ardua belli difficultate audenti-
 us quoque nihil; sua benignitas militem quenque facile coget per 510
 hostium enses et tela vagari; cum aliena culpa oculos igne suf-
 fuderit, nihil iracundius et severius opinaberis. In tanta itaque se-
 veritate neque desidia neque vitium neque scelera aliqua nimis
 pululare queunt. E contrario Severus imperator magna reprehensi- 511
 one dignus est habitus, quod primus milites cum mulieribus ha-
 bitare et anulis aureis uli permisit. Ille quoque primus militare ro- 512
 bur ac vitae asperitatem, item in laboribus obsequium, constanti-
 am et observantiam in duces omnino subvertit, quin et pecunias
 appetere in delitiisque versari docuit, sed non tantum ille bellicae
 disciplinae subtraxit, quantum a nostro est rege iam adiectum.
 Nulla praeterea re inter deos referri, nisi arte bellica, homines me- 513
 rebantur: ut Caesari, Octaviano, Antonino Pio, Antonio philosopho
 et Severo octogisse legimus. Quem quidem honorem, ut Herodia-
 nus refert, quem Antonius Asculanus e Graeco in Latinum tra-
 duxit nostroque regi dicavit, ἀποθέοσιν, id est, deificationem appel-
 lant, quae ita fiebat. Defuncti corpus insano sump'u ac funere in 514
 celebri loco sepelliebant, imaginem omni ex parte defunctum re-
 ferentem e cera fingeabant, quam lecto eburno et altissimo impo-
 nebant, qui instratus auro ante aulam locabatur; ad levam totus
 senatus pullis vestibus, ad dextram matronae circumsidebant sine

auro et monilibus, sed humili albaque veste indutae. Haec septem
diebus fiebant; deinde medici lectum adibant, inspiciebant egrotan-
tem, difficillime laborare nunciabant; postquam expirasse videba-
tur, lectus a viris nobilissimis aequestris ordinis delectisque iuven-
nibus ex ordine senatorio per viam Sacram in forum deferabatur
ad rostra; ibi a nobilium patritiorumque choro et a matronarum
multitudine circundabatur, utrique hynnos Paeanasque canebant
in defuncti laudem; deinde in campum Martium deferabant et al-
tissimo quodam aedificio ligneo imponebant sarmentis fomitibus-
que refero, quod extra auratis stragulis, eburnis signis, variis pic-
turis ornatum et aromatis odoramentisque accumulatum erat; cir-
cum hoc hippasia fiebant atque universus aequestris ordo in or-
bem cum aliqua modulatione pyrrichio cursu ac numero currebat
et recurbat; circumveniunt currus institutione simili, qui familia-
res vestitus supra purpuram obductos vehunt, qui personas fe-
rebant his Romanis persimiles, qui aut rebus bellicis gloriose prae-
fuerunt aut optime imperarunt. Hiis peractis a successore imperii aedifi-
cio fax inferebatur; idem caeteri faciunt; in aedificii summitate aquila
erat aligata, quae cum igni pariter in aethera ferebatur et ita e terra
imperatoris animam in caelum referri credebant. Quod si, frater, quae-
cunque diximus, excellentiae bellicae artis non sat fidei fecisse putas,
audi brevibus, quae supersunt, ne hanc excellentissimam omnium arti-
um disciplinam nostemere venerari arbitrare. Non telatet omnem a deo
esse potestatem ac regnum imprimis, quod inter homines primum
fuit inventum, atque reges tanquam dei vicarios res humanas re-
gere et suum esse officium pro viribus divinam maiestatem et
caelestem ierarchiam imitari, ne potestate sua videantur indigni.
Militia caelestis, quam haec quoque nostra aemulatur, in novem
ordines divisa dicitur. Seraphicorum est primus ordo, qui, cum
prae caeteris divina charitate conflagrant, hinc nomen sortiti sunt.
Cherubinorum alter, qui prae caeteris scientia pollent, cum hoc
nomine scientiae plenitudo interpretetur. Tertius Thronorum est,
quia Graece id sedem significat, quibus tanta inest gratia divini-
tatis, ut eis deus insidere videatur et per eos iudicia quaeque de-
finire. Quartus Dominationum est, quae principatibus potestatibus-
que praesunt. Principatum quintus est, qui sibi subditis, quae
agenda sunt, disponunt et curant, ut divina ministeria exequantur.
Potestatum sextus, quae sua potestate vim daemonum coercent,
ne pro libidine sua homines infestare contendant. Septimus Vir-
tutum est, quarum ministerio signa et miracula fiunt. Archangelo-
rum octavus, qui maiora nuntiant, unde nomen est inditum. Ulti-
mus Angelorum, qui minora deferunt. Caelestis instar humana mi-
lilia inventa est, quippe quae in totidem quoque digeritur ordines,
quandoquidem ex legatis, praefectis castrorum, praefectis legionum,
praefectis cohortis, praefectis fabrorum, item ex tribunis militum,
decurionibus turmarum, centurionibus et decanis, qui quidem omnes
aeque, atque illi, superiores inferioribus praesunt et imperant
et ad amussim ita omnia imitantur, ut, quicquid in caelesti ierar-

chia esse reputes, in hac nostra et presertim divo Matthia imperante militari disciplina recognoscas. Quas ob res, ne longiore vos oratione defatigem, improbum est et iniquum, frater, matronales dotes et scientiam huic divinae disciplinae omnium virtutum artiumque parenti anteferre et probi quidem est ingenii intellecta veritate mutare sententiam.

CARDINALIS: Pythagoras ille Samius, ut arbitror, locutus est, Hercle, divinitus, cum veritatem post deum colendam esse censuit, quam viros deo proximos solam facere asserebat. Multa de arte militari et illa quidem composite et argute disputasti, quibus intellexi te apud hunc divinum principem et armis et litteris profecisse quamplurimum neque a serenissima sorore nostra parum eloquentiae hausisse, ex quo fit, ut non magis studere veritati, quam virtuti tuae debeam gratulari. Sed, ut respondendi quandoque recidam in memoriam, fateor, generose dux, militarem artem apud vulgus plus castitate dignitatis et gloriae possidere, cum depravata sint iudicia plebis et futilis huiusce saeculi gloria, apud deum vero, quia recta sunt iudicia eius, nihil sancita virginitate praestantius, nihil dignius nullique virtuti premium debetur excellentius. In arte nanque bellica pars honoris virtuti militum, pars centurionibus, praefectis et legatis dari solet, plurimum autem laudis sibi fortuna vendicat, in cuius potestate bella versantur; quandoque locus equus, hostium culpa, infirmitas, imprudentia non parum contulisse videtur; quodcumque laudis duci tribuendum est, persaepe parum superest. Castitatis vero laus, quando sola universum laborem toleravit, tota sua est et plus in vincendo se ipsum inest difficultatis, quam in hostibus proterendis, partim, quia intestina bella vehementiora et magis ardua esse solent, partim, quia haec victoria propria tantum virtute conficitur, illa vero aliena ope comparatur. Recte inquit Plato omnes homines secum ipsos pugnare neminemque esse, qui sibi ipse hostis non sit. Quare praecipua optimaque victoria est se ipsum vincere, sicut contra turpissimum atque pessimum a se ipso vinci. Deinde subdit: Unus est unusquisque nostrum, sed duos secum contrarios et amantes habet consiliarios, voluptatem atque dolorem. Deinde hae passionnes, inquit, in nobis, quasi nervi aut funes, huc et illuc ad contrarias operationes trahunt, ratio vero uni semper rationi constanter inhaerere oportere persuadet, quae quidem ratio aureo quodam fune atque communi lege civitatis inniti solet, aliae autem durae, asperae tanquam ferreae sunt. Ex quibus coniectari potest, quam excellens est illa victoria, cum per castitatem rationi subicitur appetitus et catenatus ducitur in triumphum. Quin etiam disciplina castrensium aut nihil per se ipsam valeret, nisi a castitate acciperet adiumentum. Castra enim a castranda libidine dicimus. Nam in castris, nisi continentia et castitas dominetur, totum robor militum enervatur. Qua re ducti maiores nostri ab omni libidine et intemperantia castra vacare volebant. Quod autem hanc scientiae anteponis, conmode quidem facis, sed non recte; dum partibus tuis

faves, veritatem ledis. Id commune est omnium ingenium, ut, quaecunque studia sectentur, ea caeteris anteponant. Antequam scientiam bellicae disciplinae anteferrem, ne sibi rem egram facere viderer, ab hoc divino et invictissimo principe veniam postularem. Sed, cum in gloriosissima maiestate sua tanquam duo numina sapientiam cum arte militari sentiam imperare, parem ex utraque gratiam promerebimur neque in asserenda veritate eius animum offendemus. Tu autem, dux Pannone, quid audes? arma litteris anteponis? cum eloquentissimus ipse sis, cur eloquentiae parentis dogma non sectaris? Cedant arma togae, concedat laurea linguae. Et, quando acerrime quandoque philosopharis, num illud tibi venit in mentem, quanto magis quodque perficit beaque, id tanto plus in se habere dignitatis? Scientia cunctis dotibus perficit animum, cuius bona honorabiliora videntur; quod cum ars bellica prestare non possit, hinc militarem collige disciplinam studiis humanarum artium non esse iure preferendam. Admittamus, si placet, iudicem Crispum Salustium, quem a teneris annis lecitasti. Sed nostra, inquit, omnis vis in animo et corpore sita est, animi imperio, quam corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune est, quo mihi rectius esse videtur ingenii, quam virium opibus quaerere gloriam. Item et illud: Priusquam incipias, consulto et, ubi consulueris, mature facto opus est. Item et illud, quod omnes dicunt: Parum arma prodesse foris, si non sunt consilia domi. Accedit et Cassianum illud in Ciceronem: Est tua toga, Marce Tulli, omnium armis faelicior, quae nunc quoque nobis pene victam rempublicam ex manibus hostium eripuit atque reddidit. Item, quod maxime ex parte in fortunae potestate versatur, ei profecto rei anteferri non debet, quae nulla ex parte fortunae est obnoxia. Incertus est Mortis eventus et in armis imperiosissime fortuna dominatur, scientia vero mentis est habitus, quam cum perfecit, in ea vis externa ius nullum habet. Ad haec, quodcunque magis humana natura abominatur, nequaquam eo dignius videri potest, quod nos ad verum ac summum bonum dirigit et impellit. Scientiarum cognitione perficimur et humana divinaque contemplamur, ubi finis noster situs est; arma vero diras cedes minuunt humanamque benivolentiam dirimunt, humanam quoque minuunt societatem, quod homini quam maxime est abominabile. Postremo, cuiuscunque videtur finis esse praestantior, id quoque praestantius reputari debet. Scientia perpetuam faelicitatem, arma vero momentanea regna pariunt. Ex quibus collige militarem artem nullo modo scientia digniorem videri posse, quod quamvis multis rationibus convinci potest, nequaquam tamen tuum in disputando tempus usurpabo.

VARADIENSIS: Non homines, sed deos mihi audire videor disputantes, quibus convivarum debet universus ordo. Cum duce[m] audiui ita humanam militiam extollentem, caepi de hac clericali detrectanda cogitare, cum cardinalem brevibus argumentis scientiam efferentem accaepi, in pristinam reiectus sum opinionem.

Pannonia nunquam his ingenia nobiliora vidit atque ulinam hiis 555
diu perfrui liceat, quando activae contemplativaeque vitae nunquam
maiores inveniantur artifices.

REX: Quid de his maius expectari possit, Beatrix mea, non 556
facile video.

REGINA BEATRIX: Sat utrique bonum est et versatile in- 557
genium et nunc eo vehementius praesenti tuo numine, pater, il-
lustrantur, quos si te dignos benignitas divina praestiterit, Bea-
tricem tuam dixeris omnium beatissimam. Sed quid cessatis,
fratres?

FRANCISCUS: Quo acriora molior argumenta, eo magis co- 558
natus meos se frustrari video. Sed unum a vobis peto, mea numina
ne, dum vestrae studeo voluptati, mussitatione vestra mea cogi-
tatio in nihilum redigatur. Ad acriorem pervenimus disputationem,
ubi mei ingenii acies hebetatur.

REGINA BEATRIX: Deest tibi animus? 559

FRANCISCUS: Non animus, sed vires. 560

REGINA BEATRIX: Quid ita? 561

FRANCISCUS: Quia ad virtutes pervenimus intellectus, ubi 562
altior occurrit speculatio.

REGINA BEATRIX: Castitas ex his est, quae in actione 563
consistunt, tu vero causae tuae diffidis?

FRANCISCUS: Cum fratre mihi res et qui, si voluerit, asi- 564
num volentem videre continuo faciet.

REGINA BEATRIX: Cur igitur non cedis et in nostram venis 565
sententiam?

FRANCISCUS: Turpe est duci cedere et Pannonio maxime, 566

REGINA BEATRIX: Non armis res agitur.

FRANCISCUS: Immo ibi facilius, quia, ubi victoria despe- 567
ratur, morte legi ima turpitudine omnis exuitur. Hic neque mori
licet et tu cachinnos auges, qui paludatos a togatis superari vides.

REGINA BEATRIX: Iure arma togae cedunt. 568

FRANCISCUS: Tu quoque in me saevis? 569

REGINA BEATRIX: Nulla est in veritate saevitia. 570

FRANCISCUS: Immo veritate quandoque magis offendimur. 571
Sed, antequam cedam, mea soror, et in silentium redigar, hoc de
castitate dogma tuum, quod praeter omnium opinionem edidisti,
an verum sit, mihi impensius discutere certum est, ne fraterculum
tuum, quem Pannonium ducem esse voluisti, tam cito defectum
verbis conspicer.

REGINA BEATRIX: Id face continuo, animula mea, et, ut 572
soles, cum doctissimo fratre tuo nostri patris indulge voluptati.

CARDINALIS: Age, frater suavissime, obsequere sorori, re- 573
liqua proseguere. Si ex hac hodie Scylla et Carybdi me quivero
expedire, non paucae mihi sunt deo agenda gratiae.

FRANCISCUS: Postquam rem militarem non minus consilio, 574
quam fortuna regi putas, dic, quaeso, quid de prudentia censes?
anne castitate ducis inferiorem?

CARDINALIS : Duco, inquam.

FRANCISCUS : Ne recte quidem et, an vera dicam, breviter
accipies. Prudentia, ut omnes asserunt sapientes, officiorum om-
nium moderatrix est et magistra, quippe quae verum finem os-
tendit et in studiosa quaque actione tempus, modum peritiamque
definit, sine qua neque iuste agere neque quicquam ingenue inter
mortales operari licet. Haec autem quanti sit momenti, hinc in-
telliges. Nam aut ad unum, et tunc sibi ipsa prospicit, aut ad
plures, et tunc aut familiae consulit aut civitati. Si civitati, tunc
in universum consulit et sic architecta dicitur, quae quidem leges
condit aut aliquid iubens aut vetans aut permittens. Si circa sin-
gulas res in civitate gerendas versetur, tunc aut deliberat aut
iudicat aut aliquam reipublicae partem gerit. Huius autem potentia
triplex esse solet : una bona consultatio, quae est consilii rectitu-
do, qua quis id, quod oportet et ut decet, habita honestatis rati-
one prosequitur; altera sagacitas est, quae omnem earum rerum
ordinem sequitur, quas prudentia invenit et imperavit, quas recte
quaesitas et inventas sagacitas esse iudicat, quae, cum sit pruden-
tiae discipula, quaecunque a magistra sibi tradita sunt, bene per-
cipit recteque decernit; tertia sententia dicitur, quae ea iudicat,
quaecunque a prudentia inventa sunt, et haec demum est boni
aequique viri iudicium. Sagacitas cum sententia in hoc con-
sentire videtur, quod utraque indicandi est principium, quodcun-
que a prudentia fuerit inventum. In hoc vero differunt, quod
altera est boni viri iudicium. Altera inventa a prudentia corrigit,
ne iustitiam laedat et aequitatem, altera vero non, sed inventa pror-
sequitur. Item prudentia a scientia differt, quia altera contingen-
tium rerum et in humana vita versantium, altera vero aeternarum
necessariarumque rerum, quae se non possunt aliter habere. Dif-
fert ab arte, quia illa in efficiendo, haec in agendo versatur. Ars
vero non se, sed opus suum perficit, prudentia autem agendo se
ipsam consumatam reddit. Ex his ergo collige, frater, prudenti-
am humanarum actionum ducem esse ac moderatricem unicam,
cui si castitatem anteferas, illud tibi succumbere deberet sine
prudentia duce neminem castum esse posse. Quod si dederis, tunc
ille non ex electione castus, sed aut casu aut naturae bonitate
castus erit, immo castus iure dici non poterit, cum nullum lauda-
bile reputetur officium, quod non ex propria electione promanaverit.

CARDINALIS : Acri ingenio opinionem nostram, frater, ar-
guis, sed scias, velim, neminem unquam fore prudentem, cui ca-
stus et pudicus non fuerit animus, qui, si pravis libidinibus con-
flagraverit, neque verus neque honestus inveniri poterit. Inmodicus
enim mentis affectus iudicium omne confundit neque vim ullam
in bene consulendo hanc patitur habere. Ex quo fit, ut immacu-
latum et tranquillum animum habeat, oportet, quicumque studet
esse prudens. Itaque prudentia a castitate ac pudicitia sumit in-
itium et ab his virtutibus postulat auxilium. Quid?, si illud Aiacis
apud Sophoclem dictum adiecero : ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν ἥδι-

στος βίος, τὸ μὴ φρονεῖν γὰρ κάρτ' ἀνώδυνον κακόν, id est, in sapiendo nihil est dulcissima vita; nam nihil sapere et curare, malum est omni penitus dolore carens.

FRANCISCUS: Sic omnes nostri repelluntur ictus, sic instructa acies inclinatur. Nunc vero, quando ad triarios res ipsa pervenit, extremis spiritibus pugnandum est.

REX MATTHIAS, REGINA BEATRIX, FRANCISCUS
ET CARDINALIS.

REX: Filia, dux noster excaudit, quando ad extremam aciem reducta est pugna. Quare nunc enixius decertaturus est et non fratre contendere, sed cum Vianensibus in Austria sibi dimicare videtur. Quare eo attentius audiendus est et generosissimus nostri ducis eo libentius spectandus est animus.

REGINA BEATRIX: Et indulgentia tua, pater, et debito fratrum obsequio suavissima hodie voluptas non deerit, quae eo maior concipietur in nobis, quo tibi iocundiores hanc fore intellegemus.

FRANCISCUS: Ex caeteris virtutibus intellectus sola sapientia, sub qua scientiam intelligi velim, relitta est, quae non solum castitati obici posset, sed iure ac omnium iudicio anteferri. Sapientia enim omnium mater artium et scientiae virtutisque cuiusque officina, in caelo cum omnipotenti deo dominatur et in terris late imperat ac iustorum mentibus insidet. Haec nobis res divinas et humanas aperit nosque deum cogit assidue contemplari, qua ratione vivamus, quomodo familiam, rempublicam et imperia gubernemus, nos instruit et informat neque quicquam turpe committere neque pati nos patitur; semper admonet, ut deum timeamus neque a lege et voluntate sua divertamus nihilque vehementius diligamus neque reputemus antiquius. Haec, quid domi militiaeque sit agendum, ostendit; haec mores hominum, naturas rerum, qualitates temporum, providentiam futurorum gubernationemque praesentium demonstrat; haec docet utranque ferre fortunam et omnes denique naturae vires delegit. Verumenimvero, quanta sit excellentiae ac dignitatis, ex Hermogenis Graeci rhetoris iam verbis intelligi potest, quem nuperrime Antonius Bonfinis civis Asculanus atque regi et reginae deditissimus transtulit in Latinum regiisque numinibus dicavit. Ita enim ille inquit: σοφίαν εὐτυχὲς μὲν λαβεῖν, ἐπαινεῖσαι δὲ πρὸς ἀξίαν ἀδύνατον, ἢ τοσοῦτον εὐδαιμονίας περίεστιν, ὥς κοινὸν κτῆμα καταστῆναι τῶν θεῶν et caetera, id est, fortunatissimum est sapientia potiri, sed eam pro dignitate laudare est penitus impossibile, cui tantum incst faelicitatis, ut communis deorum possexisio statuatur. Deinde subdit, ut fidi interpretis verbis utar: Varia sunt deorum studia: luno enim nuptiis, Mars cum Palade bello, igni Vulcanus, mari Neptunus praesidet, alius alio studio detinetur. Particeps quisque deorum est sapientiae, sed imprius Iuppiter, qui, quanto potentior, tanto est caeteris sapientior.

Sapientia autem Iovi summam potestatem credidit et hanc dii habuere communem; mox descendit in terras et tunc deorum filii in lucem devenerunt. Sapientia utroque tempore nimium valet; alia enim in bello, alia in pace prosunt. Sola sapientia eque, ac uni, utrique dominatur, versatur namque in bello perinde, ac si pacem nunquam cognoverit, impace vero non secus, ac si nusquam arma gesserit. Domi namque fert leges et vario quietis genere utitur; in bello victorias parit, armis vires adhibet, in senatu nihil patitur inique decerni, domi forisque scit eque dominari. Sola sapientia, quae deorum sunt, iudicat. Sola enim tanquam deus futura previdet, sola agricolis terram et nautis mare disponit. Quaecunque mare occupavit et terra hominibus protulit, haec omnia sapientia regit, quippe quae latere non patitur, quaecunque recondita caeli moles in se complectitur. Si fraterculo tuo non das fidem, ne dixerim Pannonio duci, sapientissimo credas Hermogeni, qui sat plane tibi testatus est nihil esse sapientia maius neque quicquam excellentius optari posse. Atque illud extremum, quaeso, frater, addi patiari: Casandrae pudicitia Troiana fata subvertit, quae, si promissum Apollini concubitum praestitisset, eam in vaticinando auctoritatem retinuisset, qua Troia, si Troiani credidissent, servari potuisset. Inexpugnabilem vero urbem Ulixis quoque sapientia delevit. Quamobrem, ne vos longa disputatione defatigem, cum sola sapientia sit, quae hominem omni ex parte perficit, non modo castitatem dignitate praecellit, sed caetera mortalium superat ornamenta. Tu autem, reverende frater, si quid huic anteferre perrexeris, videto, ne quid impie loqui videare.

CARDINALIS: Quam vana sit huius saeculi sapientia, si pro veritate aperirem, fortasse breviter vobis ostenderem hanc humanam sapientiam non tanti esse faciendam. Nam, si quid in rebus humanis scire permittitur, universalis tantum intelligere nobis concessum est et eorum quaeque cognitio paucis datur, singularium vero omnium rerum notitiam peculiaremque proprietatem, quando in infinitum prodeunt ac ultimas rerum differentias pro, humani ingenii imbecillitate iam habere non possumus, sed deo solum et angelis pro dignitate singularia patere novimus, et, quaecunque cognitio nobis permissa est, quam debilis et confusa sit, adhuc haereo, an dicere ausim. Socratem fortasse recte locutum existimarem recteque secum consensisse Achadaemicos, cum scientiam substulerint, quam divinantis potius, quam disputantis esse iudicaverunt. Si ad philosophos me converto, tot et tam infestis inter se opinionibus decertare perspicio, ut mutuis sese ictibus cedere videantur. Si autem ad theologos, audent plerique de arcanis mysteriis quaedam definire, quae praeter deum ne angeli quidem internuntii plane intelligere potuere; dissident quandoque inter se et mutuis sese cedibus perimunt, quos nisi tacere quandoque iuberet ecclesia et temerariam talem audaciam coerceret, intestinis profecto dissentionibus laboraret. Si humanam igitur sapientiam tecum reputaveris, totam aut in scientia aut in opinione sitam in-

venies. Si scientiam metiaris, ea universalium tantum erit eorum- 617
 demque perpaucorum, quae quidem cum a sensibus sumat initium,
 sicut illi aliqua animi corporisque affectione saepe falluntur,
 ita eam quoque falli contingit. Hii vero, qui supra ingenium au- 618
 dent, verecundius et modestius profecto facerent, si Pyrrhonios
 imitati σκεπτικοί, ἐφεκτικοί ἀπορητικοίque, id est, consyderantes, ob-
 ligantes ambigentesque fierent et Archesilaum aliquantisper seque-
 rentur, qui nihil comprehensibile reputabat et in utranque partem
 rationes aequalium esse virium, sensus quoque fallaces esse rati-
 onemque nullam omnino firmam illudque Hesiodi ferebat in me- 619
 dium: Mens caelata latet homines haud cognita cuiquam, atque
 ipsam secum dii detinere latentem et iccirco neque affirmare ne-
 que quicquam negare audebat. Opinio autem cum de his rebus 620
 sit, quae possunt se aliter habere, quantum sit ei confidendum,
 tu ipse consyderato. Comenta philosophorum ista fortasse dixeris: 621
 Symplices ac proprios hominum ritus aliquantisper percurramus,
 ut varias ac magna ex parte falsas hominum opiniones esse iudi-
 cemus neque Christicolae diffiteamur nos in plerisque falli, qui-
 bus nisi salvatoris nostri unici ac veri filii dei radius illuxisset,
 parum abesset, quin a caeteris barbaris differremus. Et, ut ab oc- 622
 cidente initium capiatur, Lusitani sacrificiis dediti ac stultissimae
 superstitioni exta perspiciunt, lateris fibras inspectant et inde fu-
 tura coniectant, ex intestinis hominum et praesertim captivorum
 manticianantur, abscissas captivorum dextras diis offerunt, illata pla-
 ga ab aruspice intestinis ad primum casum hominis futura ille pro-
 noscit, destinatos neci lapidibus obruunt, parricidas finibus eiec- 623
 tos saxis enecant. Tanta Cantabrorum refertur amentia, ut plerique,
 cum in hostium manus pervenerint, crucibus deinde suffixi laetitia-
 e Paeana canerent. Apud hos viri uxoribus dotes tradunt filia- 624
 asque haeredes statuunt, sese pro his imolant, quibus concilian-
 tur et morti se devovent. Galli e cervicibus equorum hostium ca-
 pita suspendebant et domum delata vestibulis affigebant; illu-
 strium virorum capita cedrinis odoribus condiebant ostentabantque
 peregrinis; ex homine divinationi destinato illatis tergo plagis vati-
 cinium eliciebant; presentibus Druidis imolabant; configebant 625
 etiam sagittis quosdam et in templo patibulis suffigebant; item
 parata magna ex faeno statua holocaustum faciebant, cui ligna,
 belluas, pecora hominesque injectabant. Cimbri uxores in militiae 626
 societatem ducunt, item nonnullas divinationis peritas capillo cano
 et alba veste sacerdotes, quae nuda pedibus et aeneis incinctae
 zonis captivos stricto ense incursabant, quos humi constratos dum
 supra lebetem iugularent, vaticinium edebant. Scythae ac Sarma- 627
 tae pro domo plaustris utuntur. Mysi, ut Possidonius ait, religioni
 indulgent, ab animalibus abstinere, aequarum mulsos et lacti-
 fagi sunt insignes et abii, id est, sine vita, cum a mulieribus
 procul vitam ducant. Scythas hospites imolare humanisque carni- 628
 bus vesci solitos fuisse legimus et pro crateribus calvarias usur-
 passe, quare pontus ἀξενος, id est, inhospitabilis appellatus; alio-

quin iustissimos, claros et aequitatis amatores, quando omnia prae-
 ter ensem et cyathum communia habent. An Graecos sapientissi- 629
 mos reputaveris, qui illum nequaquam sapere reputarunt, cui non
 esset amatus puer? an Cretenses primos legum latores iustissimos
 fuisse dixeris?, qui turpissimos eos iudicarunt, qui pueros aman-
 tium raptu prohibuissent aut occultassent. An aequam Coensium 630
 legem, qua maiores annis sexaginta nati aconito vitam finire iuben-
 tur? an humanos Rhodios, qui Saturno, an Salaminios, qui Agraulae
 Caecropis filiae, Diomedii ac Palladi, an Aegyptios mathematicarum
 artium inventores, qui Iunoni apud Heliopolim, an Chios, qui Dionysio
 Omadio, an Lacedaemonios, qui Marti, an Phenices, qui Saturno, an
 Graecos, qui, antequam in expeditionem prodirent, humano sanguine
 litare solebant? En Graecorum religio, humanitas et sapientia! Lao- 631
 dicenses Palladi virginem imolabant, Arabes puerum, Thraces ac
 Schytae Dianae hospites, Romani Latino Iovi sacrum hominem. En 632
 haec Romana clementia! Carthaginenses Saturno et Archades Ly-
 caeo Pani hominem. Aristomenes Mesenius Iovi, quem Ithometem
 appellant, trecentos simul homines mattavit. Thessali Achivum ho- 633
 minem Peleo et Chironi quotannis inmolarunt. Lyctii, Lesbii, Pho-
 censes idem factitarunt. Herebeus Atticus et Macharius Romanus
 filias, alter Proserpinae, alter defensori daemoni sacrificarunt. Ab- 634
 origines decimam hominum Iovi et Apolloni devoverunt. Celtae ac
 omnes fere populi, qui ad occidentem spectant, humana cede lita-
 runt. Eodem modo Itali Saturno adolere soliti sunt. Hercules pri- 635
 mus Archadas in Latio edocuit, ut pro vivis hominibus in fluentia
 Tyberis hostiarum simulacra proiicerent, quod deinde Romani Mai-
 is Idibus factitarunt sacraque sigillaria appellata. Ea enim die pon- 636
 tifices, virgines Vestales et praetores alique cives, quos sacris ad-
 esse fas est, XXX hominum simulacra, quae Argivos appellant, a
 ponte sacro in Tyberim demittunt. Prosequamur, si lubet, ulterius
 inmanem et efferatam mortalium inscitiam stultitiamque. Massa- 637
 getae id mortis genus optimum iudicant, cum senio confecti ex
 more in frusta ceduntur ovillisque cum carnibus promiscue com-
 eduntur; qui morbo moriuntur, eque ac impios abiiciunt feris de-
 vorandos. Neuri pro simulacris enses colunt, Marti humanas vic-
 timas cedunt ossibusque focos adolent. In Asia Andropophagi ac 638
 Essedones, qui humana se carne polluant, parentum funera can-
 tibus Massagetarum more prosequuntur, quorum cadavera corro-
 gata undique proximorum multitudine discerpunt morsibus et cum
 pecudum carnibus edunt, capitum ossa auro circumdata in pocula
 referunt. Schytarum plerique ex interfectorum vulneribus sanguinem 639
 hauriunt, sanciant federa mutui sanguinis haustu in Medorum mo-
 rem. Contra Hyperborei nemora incolunt, quibus viclum arbores
 ferunt, discordiam nesciunt, colunt innocentiam, mortem sponte
 convocant et accersita nece moriendi castigant tarditatem. Riphei 640
 quietem pariter amant et pro sacris habentur. Ad Orcadas insulas
 Oceani homines piscibus et lacte vivunt, quibus rex unus est uni-
 versis, qui nihil suum habet, sed omnia universorum, quem ne

avaritia divertat a vero, discit a paupertate aequitatem, sed illi quaeque faemina potest esse usuraria. In Aethiopia Macrobii sunt, quibus vita multo nostra longior; hi per se iustitiam colunt et equitatem amant. Trogoditae specus incolunt, nullo habendi amore laborant, carnibus vivunt serpentum; suas faeminas, praeterquam prima nocte nuptiarum, qua adulteria patiuntur, perpetuam pudicitiam severa lege servare iubent. Aegiptii Serapin, bovem, phelem, caepas, crocodilon adorant inpudicisque sacris utuntur. Sabaei contra, cum thuriferos lucos incisuri sunt, nec funera spectant nec faeminarum coitu contemnerantur. Essemiis autem pertinatia Haebreorum, sapientia Graeciae et Italiae modestia sponte cedat, quippe qui pecuniam nesciunt, palmis vescuntur, fidem et innocentiam cum perpetua castitate venerantur, locum incolunt pudicitiae addictum, ubi nulla faemina impudica, nemo ibi nascitur dominante plurimum virginitate, at per immensum saeculorum spatium (incredibile enim dictu est) aeterna ibi gens est cessantibus puerperiis, unde nemo mirari debet, si diva soror castitatem tantopere veneretur et extollat. Apud Trausos legimus aeditos in lucem pueros parentes cum fleu et proximorum lachrymis excipere, contra vero defunctum funera laetissimo plausu ex more prosequi, quibus omnis plane Graecorum Latinorumque ambitiosa gravitas et constantia cedere debet, apud quos etiam faeminae pudicitiae sunt usque adeo tenacis, ut mortuorum coniugum rogos insiliant. Nasamones per iustos viros et sepulchra iurant. Scythis maximum iusiurandum est per regium iurare solium; ad regium funus aurem populi decidunt, crinem circumtendent, brachia circumcidunt, frontem nasumque consauciant, sinistram manum sagitta traiciunt. Haedem gentes coria humana tanquam bruta pro amiculis induunt. Indi pecuarii, qui carnibus crudis vescuntur et Padae nominantur, his moribus esse dicuntur. Quotiens ex civibus aliquis egrotat, sive vir sit sive faemella, hominem maxime familiarem interimunt asserentes illum tabifico morbo egrotare et, quamvis ille se non egrotare contendat, ii tamen minime ignoscentes eum necant et epulantur. Darius Indos per interpretem interrogavit, qui Calaciae nominantur parentibusque vescuntur, quantum numborum accipere vellent, ut defunctos patres rogo imponerent; Indi vehementissime contra reclamarunt, ut illum meliora ariolari iuberet, quando ita moribus comparatum esset. Apud Aegiptios, qui ad sacra conveniunt, post sacrificium cuncti in maximo conventu verberantur et quandoque usque adeo, ut frontes concidant. Persae vino abstinent, quibus neque vomere neque meiere coram alio licet; tria potissimum filios edocent, ut equilent, recte sagittas excutiant et vera loquantur, apud quos mentiri turpissimum est. Apud Indos summae sapientiae hominum genus est, quod annis repletum incensis rogis mortem provocat; item et philosophi gymnosophistae nuncupati, qui ab exortu solis usque ad occasum candidissimum orbem intentis oculis intuentur. Verumenimvero, ut ad clariores redeamus, Spartani non prius ad dimicandum descendere solebant, quam anapesti pedis modulatione et tybiarum sono

ad prelium provocarentur, quin etiam ad dissimulandum sanguinem puniceis vestibus utebantur. Athenienses venenum cicuta mistum ad explodendam animam invenere. Cymbri in prelio summa laetitia exultant, quia gloriose de vita excedendi facultas offertur, contra morbo defecturi non aliter, atque si turpiter intereant, gemunt et lamentantur. Summum nephas in prelio superesse Celtiberi arbitrabantur, cum ille occumberet, pro cuius incolumitate sese inferis devovissent. Non mediocrem hinc laudem Liti promerentur, qui suorum exequias non nisi sub muliebri veste deplorare permittuntur. Persae liberos non prius aspiciebant, quam ad septimum annum pervenissent, quo filiorum obitum fortius tolerarent. Nonnulli quoque Sogdianos Bactrianosque his moribus fuisse prodiderunt, ut, qui senio morbove confecti forent, sepulchralibus canibus apponerentur, quin et Caspios parentes septuagenarios inclusos fame necare. Seres, quamvis auro et argento habundant, ex venatione tamen obsonium querunt et iuvenibus, quoad adolescent, pro servis utuntur. In Carmania nemo uxorem ducit, nisi prius hostis caput amputatum ad regem tulerit, rex vero calvaria in regia collocata linguam minutim cedit paneque permistam ac degustatam ei, qui attulit, et amicis comedendam proponit. Assyriorum mulieribus mos est cum hospitibus permisceri. Non procul a Meroe populi sunt, qui mulieres habent, quarum nonnullae labium habent anulo aeno traiectionem. Item Babyloniorum sepulchra in melle sunt. Meroite Isim, Pana Herculemque colunt; ex his nonnulli defunctorum cadavera in flumen iaciunt, alii in vitreo vase recondunt, plerique in fictilibus alveolis circumtempla defodiunt, iusiurandum per mortuos exigunt et omnes pro sanctis habent; reges Aethiopum more ita diliguntur, ut, si qua corporis parte rex orbetur, familiares quoque idem patiantur et cum eo moriantur. Agite igitur, quia in hoc satis versati sumus et difficile est omnes gentium ritus describere, consyderate, principes, hinc mortalium omnium sapientiam notitiamque rerum et falsam hominum opinionem diligentius examine, ex quibus hi soli non decipiuntur, qui orthodoxam salvatoris nostri fidem rite integreque servarunt, in caeteris vero rebus saepissime falluntur. Caeteri perditum eunt omnes, quamvis multi sunt populi, qui vel naturae vel syderum benignitate vario virtutum genere mores nostros superare visi sunt; ex quibus omnibus recte colliges vanam, ut plurimum, ac mancham humanam esse sapientiam, quod ab apostolo fortasse didicisti. Sapientia enim, inquit, huius mundi stultitia est apud deum. Itaque ecclesiasten recte locutum arbitremur humanam vanitatem plane testantem. Ecce, inquit, magnus effectus sum et praecessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Ierusalem, et mens mea contemplata est multa sapienter et didici dedique cor meum, ut scirem prudentiam atque doctrinam erroresque et stultitiam et cognovi, quod in his quoque esset labor et afflictio spiritus eo, quod in multa sapientia multa sit indignatio, et, qui addit scientiam, addit et laborem. Aristoteles quocumque, quem philosophorum

p̄incipem reputamus, neminem rerum veritatem perfecto novisse ingenue profiteatur neque omnes exortes esse, sed unumquēque aliquid de natura cognovisse et, si, sicut nocticoracis oculi, se ad lucem habent, ita et animae nostrae intellectum se habere ad ea, quae sunt omnium naturae manifestissima. Hanc igitur disquirito saeculi sapientiam, quae tot incassum humana ingenia defatigavit et supinam praeter superbiam nihil aliud possessoribus attulit. Quare illud merito dictum est: Scientia inflat, humilitas aedificat. Sola dei sapientia nobis affectanda est, qua vere sapimus et efficimur inmortales, qua cuncta dei mandata servamus, qua deum timemus et amamus. Nemo enim quicquam in maximis rebus vere scire potest, nisi cui deus ipse revelaverit, a quo omnis sapientia vera ducit originem, in qua quidem est spiritus intelligentiae sanctus, unicus, multiplex, subtilis, modestus, disertus, mobilis, incoinquinatus, suavis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens et qui capiat omnes spiritus intelligibiles. Talis autem sapientia attingit ubique propter suam munditiam. Lepor est enim virtutis dei et emanatio quaedam omnipotentis dei sincera, quae sine castitate esse non potest neque pia castitas sine ea, et ideo nihil inquinatum in illam incurrit. Candor est enim lucis aeternae et speculum sine macula dei maiestatis et imago bonitalis illius. Hae in animas castas et sanctas se transfert easque amicas dei prophetasque constituit, quia neminem diligit deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. Ex his igitur colligere potes castitatem humana sapientia esse longe praestantiorē et huius, quam divinam appellavimus, fidissimam esse comitem neque ab illa seiungi posse, quandoquidem neminem divina inhabitat sapientia, nisi quem castum invenerit et pudicum. Proinde, ut neque vincere neque vinci videre, generose dux, nequid tryumphis victoriisque tuis detrahatur, sic habeto castitatem divina sapientia non esse superiorem neque humana inferiorem.

FRANCISCUS: Inmortales tibi ago gratias, sacrosancte frater, quod mei honoris, immo tui rationem habere voluisti. De communi sapientia loquebar et complectebar utranque. Nunc autem, quando fessi sunt audiendo convivae pene omnes, disputationi finem imponamus. Fraterculus autem iste tuus non modo domi, sed militiae tibi cedit, quando talem te natura finxit, ut domi forisque nimium praestare videare.

EPISCOPUS VARADIENSIS, MATTHIAS REX
ET BEATRIX REGINA.

VARADIENSIS: O divina Aragoniae domus ingenia, quam non inmerito deus in Hispania, septemtrione et Italia voluit imperare, quia divinos fert illa viros et sapientissima educit ingenia. Nulla unquam disceptatio suavior neque eruditior neque salubrior audita est. Angelos audivimus caelesti eloquentia de virtutibus dis-

ceptantes et regem cum regina ita hac suavissima contentione recreatum, ut nihil iis beatius in orbe terrarum dici possit.

REX: Ita expectationi ac voluptati meae hodie satisfacistis, 678
filii suavissimi, ut non plus gaudii et voluptatis, quam admirati-
onis hinc ipse perceperim, neque fuit ingratum dominae meae,
quam de castitate habebat, defendisse sententiam. Nam iniquum 679
profecto fuisset tam caste et immaculatae mentis verissimam lae-
dere opinionem. Vobis autem, qui tanta ingenii acrimonia verita- 680
tem investigastis, ne laudis praemia et tam argutae disceptationis mo-
numenta desint, imprimis, reverende cardinalis, sacra veste ex solido
auro contexta mitraque pretiosissima, vasis decem argenteis aureoque
calice talentorum duodecim, quae sacrificio usui sunt, in memoriam
sollennitatis huiusce meo ac reginae nomine donator. Tu quoque, 681
generose dux, trabeam purpuream auro intertextam, praeterea cur-
rum argenteum, sceptrum eburnum, laureamque coronam, item equos
decem albos frenis phalerisque aureis insignes accipito.

BEATRIX REGINA: Profusa, ut assolet, haec est vestra mu- 682
nificentia, serenissime pater, neque virtutem ullam indecorem pate-
ris abire. Haec erunt perpetuae laudis incitamenta et serenissimae
maiestatis tuae monumenta. Hinc quisque intelligat, quantum tibi
debeat Aragonia domus. Vos autem, praestantissimi convivae, quia 683
tertia disceptationis pars superest, id est, ex virginitate et pudici-
tia ultra sit praestantior, et rex ita iubet, ad crastinum convivium
invitamus. Interea fratribus plaudite et valete omnes.

LIBER III.

NICOLAUS PAMPHILUS, REX MATTHIAS, BEATRIX REGINA, 1
FRANCISCUS.

PAMPHILUS: Cogitabundos (ni fallor) nimium convivas vi- 2
dere videor, sacrosancta maiestas, et, quamvis Assueri ac Antonii
Cleopatraeque convivium hoc, quod hodie dedisti, superare vide-
tur, quo plures lautioresque epulae sunt appositae, eo tamen mi-
nus comesse video. Diva haec faustissimaque regina est in causa, 3
quippe quae in media festivitate, ut nos omni genere honestatis
excolat et ipsa nunquam cessare videatur, ne quid se agat indi-
gnum, acerrimam de virginitate ac pudicitia questionem interiecit.
Nudiustertius, anne virtutes hae forent, argute et copiose a Gale- 4
otto Epicureo sapientissimoque patre nostro Ladislao disputatum
est; heri, an hae caeteris virtutibus essent anteferendae, divina
quadam eloquentia et acerrima inauditaque disceptatione ab his
duobus principibus, magnis domus Aragoniae luminibus demon-
stratum est, qui iussu rogatuque regio cum sese in hanc decer-
tationem commisissent, angelica quadam nos contentione recrearunt.
Atque, ut nostrae nihil deesset voluptati, tua reginaeque opera 6

multa prius de Italorum potentatibus accepimus cognitu memora-
tuque dignissima. Nunc id demum in questione relictum est, utra ⁷
ex his virtutibus, quas divi fratres hesterno die caeteris praetulere,
dignior esse videatur, quod quidem definire cum difficillimum sit
et eo magis, si superiora quis certet superare certamina, non in-
merito regiis iam relictis dapibus tristes et cogitabundi videntur
esse convivae.

REX: Nimirum non mediocris est proposita cogitandi materia ⁸
et mea Beatrix, quae tantum vestris votis indulget vestraeque sa-
luti studet, non inscite ac incommode doctissima convivarum de-
fatigat ingenia, ut cum corporibus animos simul spiritusque recreet
et eo magis vos in amorem honestatis incendat, sine qua nihil
potest esse laudabile.

BEATRIX REGINA: Si corporibus habunde, pater, satisfactum ⁹
putas, iam tempus est, ut animi quoque accubent, quorum cibus
salubrior esse solet ac magis facit ad vitam. Disputationes duas
hausimus pro personarum dignitate ingenioque excellentissimas;
questio tertia superest, cum potissima duo virtutum numina vir-
ginitas et pudicitia esse videantur, utra praestantior. Vos autem, ¹⁰
convivae, cum vestra me non lateant ingenia, de hac re quid sen-
tiatis, effamini. Haec non tam regiis auribus, quam ingenio vestro
digna est disceptatio atque, cum vestra casta et pudica sint in-
genia, haec potissima extollite ornamenta, sine quibus caetere vir-
tutes, quando vera sunt earum propugnacula, nusquam constare
queunt. Augete, si fieri potest, disputandi dignitatem et eorum, ¹¹
qui per hosce dies ante disputarunt, praestantiam superate. Quod
si non facile praestari queat, aequate; non deerunt munera, non
praemia laudis; adest pater, qui cum vestris ingeniis tantopere
glorietur; date, quaeso, nunc operam, ut per hanc ingenuam osten-
tationem solidiore vestri voluptate fruatur. Proinde conceptam de
vobis opinionem confirmate.

PAMPHILUS: Non facile, regina, praeclara ingenia superari ¹²
queunt et ea quam maxime, quae rara produxit aetas. Quis La-
dislaum antistitem, quis haec angelica Aragoniorum fratrum ingenia
superarit, quibus per tot saecula nemo vidit excellentiora? Ste-
phanus ac Paulus, item Mathias, Petrus Thomasque Dravus pius ¹³
sacrorum instructor, duces profecto armis invictissimi, cum has
virtutes miserabiliter cupiant extolli, quia militarem tantum artem
profitentur, quin etiam caeteri convivae superioribus omnes con-
sternati disputationibus ne quicquam quidem dicere audent et, cum
nondum admirari desierint, sibi silentium indixere.

FRANCISCUS: Facitis id pro humanitate vestra, qui nos in ¹⁴
dies honestare contenditis. Quam caeteris praestent Pannoniorum
ingenia, saepe apud vos iam multos annos agens expertus sum,
utpote qui, si ad arma animum convertant, mori quam superari
malunt; si litterarum studiis ingenii vires intendunt, in his excel-
lunt et acerrime quaeque disquirunt. Quare desinite contemplari, ¹⁵
sat argumentorum solertia vestra comparavit, inite fortis animo

disputationem, oblectate patrem ac inservite reginae, cum vestris hi votis semper annuant, vel, si id omnino facere recusatis, quando undique reclamatur, non deerit, si meae sententiae vobis libuerit assentiri, eximium par decertatorum, ut, si angelos hactenus pro vestra humanitate vos audivisse reputetis, nunc veros deos sentire videamini.

PAMPHILUS: De nobis nihil est, quod in disserendo hodie¹⁶ expectari possit. Si Iovem et Iunonem hodie nobis hic audire phas erit, non in Pannonia, sed in Olympo videbimur convivari. Sed, age, quaeso, Francisce, mundi delitiae, da operam, ut in caelis epulemur verosque deos audiamus.

BEATRIX REGINA: Semper Franciscus iste meus in me¹⁷ aliquid struit insidiarum tuque, pater, cave, sis, in certamen committamur, quando id nunc fratribus molitur astutia.

FRANCISCUS: Non meo quicquam astu vobis adstruitur,¹⁸ soror benignissima, sed vestra vobis insidiatur humanitas, que et nos audere et vos nihil recusare coegit. Quare, si quod auguraris,¹⁹ maiestati vestrae nunc precibus nostris indulgere libuerit, iure vos caeteris regibus, quod facimus, praedicabimus anteferendos et nos ex hoc caelesti acromate, quid in se divina beatitudo suavitatis habeat, intelligemus.

REX: Quis huic, filia, quicquam deneget adolescenti?, qui,²⁰ cum venandi humana corda tam probe calleat artem, pro tanta ingenii probitate dexteritateque suo iure meretur, ut id sibi concedatur, quod aliis recte denegari posset. Ipse tam facilem heri²¹ voluntati nostrae se praebuit, quin et quottidie iocunditati nostrae studet, ut non nisi inhumani possimus haberi, si non pupillae huic unicae nostri luminis aliquid concedamus.

BEATRIX REGINA: Quam facilem et benignum te, pater, natura genuit, ut a te caeteri humanitatis et benignitatis exempla susciperent? Sed quid, pater, agis? Num contentiones nostras non modo publicas, sed decorum et natura privatas abhominatur.

PAMPHILUS: Patere, quaeso, hanc nostram in petendo licentiam aequo animo, Pannonia dea, quae e religione potius, quam contemptu, ut caelestia dicta hauriamus, proficisci reputabitur, itidemque caeteri omnes convivae supplicant vestro numini dicatissimi, ut quam in administrado imperio sapientiam vestram homines conspiciantur, eandem in disserendo pie ac religiose degustent et, quos sanctissimos, eosdem et doctissimos dominos venerentur et colant.

FRANCISCUS: Quid tecum, suavissima soror, ultra reluctantis? quid his principibus tibi deditissimis? quid fraterculo tuo denegare potes, vel maxime, cum iusta et honesta petuntur? Causam in medium arduam edidisti, qua, nisi cum patre disserendo solveris, confusa convivarum dimittentur ingenia. Res est cognitu pernecessaria et, qui has virtutes non tanti fecerint, quanti facientdas aliquantulum iam demonstratum est, quomodo dei amorem et gratiam inire queant, non facile video. Proinde, quando meae a te²⁶

preces nunquam immunes abire solent, tribue hoc, oro obsecroque, fratri, qui numini se tuo totum tribuit, tradidit et asscripsit nec a latere tuo divelli potest. Si sacros tui pectoris thesauros quando-²⁷ que patefeceris, et me et alios fortasse beabis. Sanctissima patris maiestas sese facilem supplicantibus exhibet, te idem non imitari haud addebet.

BEATRIX REGINA: Vidistin, pater, qua obsecratione arte-que me frater adurget? undique supplicatur et contenditur, ut in certamen non sine ridiculo committamur. Sed quid, pater, agendum esse censes?

REX: Nihil est iniquius, quam iustis precibus adversari, filia, neque id humanitatis neque regii est decori. Il iam edoceri cupiunt, virginitas an pudicitia coniugalit, ultra praestantior? Res est hoc tuo divino ingenio non indigna. Quare hoc tuo indulgentissimo patri tribue, ut te praesentes audiant disserentem et posterum meminerint te de praestantissimis virtutibus multa disseruisse divinitus.

BEATRIX REGINA: Quam angusti sint regiae limites gra-³¹ vitatis ac nostrae praesertim, non me fugit, pater, neque illud Sophoclaeum latet, quod γυναιξὶ κόσμον ἢ σιγῇ φέρει, id est, mulieribus ornatum taciturnitas affert. Atque illud imprimis, quanti momenti est,³² qui aliis presint iudicandis, alienae se temere censurae committere, quin vel maximae molis est Beatricem cum patre suo omni scientiarum atque virtutum genere ornatissimo, cuius quidem pectus verum est Minervae sacellum, de magnis rebus disputare et cum eo contendere, a quo nullo pacto et summa indulgentia et pretiosa charitas patitur dissentire. Proinde, age, ut lubet, dum imperio et voluntati tuae fiat satis.

REX: Quisnam hoc tempore tam praestantem et officiosam³³ filiam non amplexetur piaque oscula libet?, qua quidem unica vere beari possum. Nihil est, Beatrix mea, quod timeas; amplissima est nostra libertas et, quae aliis non conceduntur, nobis decori cedunt; nobis ferendae legis est facta potestas atque aequum et iniquum nostro saepe subiicitur arbitratui. Sapientissima es et,³⁴ quicquid humano ingenio concipi potest, quasi divinitus es edocta. Descendamus igitur in certamen et, cum te maximam virginitatis assertricem iam diu esse noverim, pudicitiae coniugalit excellentiam defensabo et ita defensabo, ut hodie mihi certum sit tuum penitus ingenium experiri. Ego meam pudicitiam, tu tuam virginitatem, quam tanti facis, pro viribus extuleris.

BEATRIX REGINA: Fiat igitur, ut iubes, pater, quando con-³⁵ vivarum arte committimur in certamen, et, cum libuerit, exordire.

FRANCISCUS: Ubi ergo compotes voti iam facti sumus,³⁶ quod, haud scio, an usque gentium octigerit, ut regem cum regina audierint disserentem, quantum in nostris animis situm est, caelestia haec dicta intentissime audiamus religiosissimoque silentio contemplemur.

PAMPHILUS: Probe quidem et vos, ut Parthenopeus prin-³⁷ ceps iubet, quaeso, facite.

REX MATTHIAS ET REGINA BEATRIX.

88

REX: Cum reges et moderatores hominum, quibus omnis e
 caelo est data potestas, quanta sapientia et virtute caeteris prae- 39
 stare oporteat, me non lateat, qui, quanto caeteris animantibus homo
 prestantior est, tanto his omnibus ditioni suae divina voluntate
 commissis omni virtutum genere eminentiores esse debent, vellem,
 mea filia, sacri antistites fortissimique heroes, quantum mihi cha-
 ritatis in vos et fidei natura tribuerit, tantum doctrinae ac sapien-
 tia divinitus foret indultum, ut non minus pietatis, quam instruc-
 tionis exemplo vos in salutari obsequio retinerem et veri patris
 officio in dies cumulatus ipse satisfacerem. Sed, quia tot provin- 40
 tiarum gubernatio, tam variae ac inmitis cura gentis, tot bellorum
 denique sollicitudo, quibus barbarico furore ac Germanica iniqui-
 tate sumus circumventi, nos a litterarum studiis avocat parumque
 temporis patitur impartiri et rerum contemplatio non diversum,
 sed intentum et integrum sibi virum postulat, ex hoc fit, ut ali-
 quantulum iniquo animo feram, si filiae ac vobis minus opinione
 vestra satisfecero. Vitae brevitatis, curarum moles, ardua disciplina- 41
 rum magnitudo facit, ut non omnia consequi valeamus. Accedit
 etiam, quod cum Beatrice mea mihi res est et, Hercle, perdiffici-
 lis, quae dies noctesque totas in rerum divinarum humanarumque
 contemplatione versatur et faemineum quandoque genus sic acris
 et arguti est ingenii, ut viros exuperet, ex quo filiam esse non
 inficior, a qua quidem superari, licet virili fortasse generi non
 pulchrum esse videatur, pater tamen, quia pater est, id minime
 sibi turpe reputabit. Ut igitur ad rem nostram deveniamus, ego 42
 pudicitiam coniugalem virginitati praeferendam duco, filia, tibi vero
 inter dicendum, si quid videatur incongruum, confutandi facio po-
 testatem. Tu autem perorata causa mea tuam exordiere. Cum de 43
 alicuius rei praestantia agitur, eius profecto dignitas aut natura aut
 tempore aut utilitate aut necessitate aut pulchritudine aut denique
 delectatione pensitari debet. Nos autem, an haec pretium pudici-
 tia faciant, discutiamus. Quodcunque sibi boni appellationem usur- 44
 pat, nihil vere bonum, ut Hermes inquit, dici potest, praeterquam
 ipse deus, qui est ipsum bonum verum ac summum, nisi quod
 similitudine sua deo propius accedit. Deus autem, ut Aegyptius ille 45
 rex divinitus afflatus affirmat, lux et vita et pater est, ex quo homo
 natus est, ad cuius vitam rursus ac lucem quisque redire potest,
 si se ipse noverit ex vita luceque compositum. Eius enim vita 46
 nobis lucem peperit, quod et sacra monumenta confirmant, ut illud:
 Signatum est super nos lumen vultus tui, domine. Item: Deus est
 lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mun-
 dum. Cum autem hac divinae mentis luce caeteris corporalibus 47
 rebus sit homo dei similior, id omni studio et ex toto corde eum
 quotidie curare oportet, ut divinae iam factus compos imaginis,
 quantum in se situm est, creatorem ipsum imitetur. Quod si fe- 48
 cerit, tunc sibi pretium auxerit et ex mortali evaserit immortalis.

Deo autem duplex operatio tribui solet : et sui ipsius contemplatio qua, dum se ipsum intelligit et speculatur, cuncta cognoscit, et mundi gubernatio, ubi eo nil agitur invito. Cum igitur deus semper intelligat aut agat creetque et ea, quae non sunt pro voluntatis imperio, et exuberantissimae bonitatis redundantia in propriam formam producat eumque cessantem reputare sit nephas, quando actus simplex est et purus, eandem pro viribus operationem sic hominem aemulari quam maxime addecet. Quemadmodum ergo deum a rerum creatione productioneque desinere non videmus, ita et nos, si per pudicitiam coniugalem procreare cessamus, nequaquam deum videbimur imitari neque illius consimiles esse iudicabimur.

REGINA BEATRIX : Fateor, pater, hisce partibus, quas proposuisti, dinosci cuiusque rei dignitatem. Sed, an per liberorum procreationem dei similitudinem confirmemus, hoc, ut tua bona venia dixerim, nequaquam affirmarim. Tu autem, quando altius arguere occepisti et nos ista delectant, dic, age, quaeso, de rerum creatione deque similitudine nonnulla profusius.

REX MATTHIAS ET REGINA BEATRIX.

REX : A nostra causa me divertis, filia, quod cum non sit inutile, tibi morigerari est animus. Duplicem esse mundum non ignoras : alterum intelligibilem, sensibilem vero alterum; unum in divina mente ab aeterno conceptum, archetypum, inquam, primitivumque sigillum, alterum autem illius boni exemplaris imaginem. Si quis nunc significantioribus, ut ait Philo, verbis uti voluerit, nil aliud intelligibilem dicet esse mundum, quam dei iam creantis verbum, quoniam civitas illa intelligibilis nil aliud est, quam creatoris ratio creare iam cogitantis. Primitiva quoque idaea idaeorum omnium est dei verbum. Cum autem divina bonitas sese rebus creationis officio communicare decrevisset, divina verbi sapientia, quae spiritus est intellectivus, sanctus, unigenitus, omnipotens, omnia penetrans, quia vapor est virtutis divinae et fluxus verissimus omnipotentis gloriae, fulgur aeterni luminis et immaculatum speculum divinae virtutis ac bonitatis, eius imago ab extremo ad extremum omnia transiens ac omnia recte gubernans, quae in principio erant apud deum, immo ipse deus, per quam omnia facta et sine ipsa nihil fieri potest; haec divini mentem opificis ad rerum creationem intendit.

REGINA BEATRIX : Quid de idea, pater, adiecisti ?

REX : Adhuc me acrius, filia, pungere non desistis.

REGINA BEATRIX : Id convivae mecum noscere cupiunt.

REX : Quia in idaeis vis tanta constituitur, ut, nisi hae intelligentur, nemo sapiens esse queat, idaeam Graeci formam appellant. Nam per idaeas formae rerum capiuntur, quae extra res ipsas mentibus insunt. Idaea enim alicuius rei praeter rem ipsam existens duplici causa poni potest : aut ut sit exemplar future rei,

cuius dicitur idaea, aut ut sit cognoscendae rei principium, nam rerum, quae cognoscuntur, idaeae in cognoscente esse dicuntur. In omnibus enim, quae non casu et fortuna generantur, necesse est esse formam, quae quidem cuiusque generationis est finis. Agens autem agendi facultatem non haberet, nisi formae similitudo sibi inesset. In agentibus autem secundum naturam idaea procreandae rei per se inest. Quare homo hominem, equus equum et ignis ignem generat. In agentibus vero secundum intellectum fingendae rei forma inest intellectui, quo fit, ut architectus domum aedificaturus non aliter eam formare conetur, ac eius idaea in mente iam effin- xerit. Neque Apelles Alexandrum unquam recte pinxerit, nisi eius formam prius mente conceperit. In deo autem cum sit idaea ordinis universi, quod ex suis partibus constat, in eo quoque pro tot partium rationibus plures idaeas inesse necesse est, quae quidem exemplaria tota natura pro supremae bonitatis indulgentia nitiatur imitari.

REGINA BEATRIX: Quam dilucide haec, pater, exprexi; sed, age, quaeso, reliqua de creatione proseguere, quando nunc Beatricem tuam beas.

REX: Deus autem omnipotens pater et filius et spiritus sanctus, unus atque trinus, unus in natura, trinus in personis, solus invisibilis, solus immensus et incomprehensibilis, solus incircumscriptus, solus incorporeus et immortalis, ubique praesens, ubique latens, ubique totus, sed immensus; solus sanctus, quia omnium pater et creator; solus sanctus, quia, ut Orphaeus inquit, παντογένηθλα Ζεὺς ἀρχὴ πάντων πάντων τε τελευθῆ, id est, omnia generans omniumque rerum principium est et finis; solus sanctus, quia lucis et vitae ac veritatis autor et origo, immo ipsa lux, veritas et vita; solus sanctus, quia omnium bonorum fons est exuberantissimus, immo ipsum verum ac summum bonum; solus sanctus, quia omni excellentia maior; solus sanctus, quia omni laude melior; solus sanctus, cuius imago est tota natura; solus sanctus, quem nunquam natura formavit; solus sanctus, qui verbo cuncta constituit; solus sanctus, qui suis familiaribus non innotescit; solus sanctus, cuius voluntas a propriis potestatibus adimpletur; solus sanctus, quia actus est purissimus, omni puritate purior, omni simplicitate simplicior, omni perfectione perfectior, omni sapientia et potestate praestantior, omni excelsitate sublimior, omni aeternitate maior; omnium rerum principium et causa, immo cuiusque causae substantiaeque principium et causa eminentissima, qui, dum se intuetur, omnia, quae sunt, quae fuerunt, quae futura sunt, contemplatur et videt, qui ante creationem in se ipso erat seque intelligebat; per se sufficiens, per se beatus, immo solus beatus cunctaque perficiens, quem toto corde, toto animo, tota denique mente diligere debemus, cui uni honor omnis gloriaque debetur. Hic ergo, cum suae immensae ineffabilis bonitatis imperio ad opus universi, si ita loqui fas est, animum intendisset, exemplo ex nihilo per verbum in principio cuncta creavit mundumque hunc edidit ad illius divini exem-

plaris imaginem. Nam in principio caelum terramque creavit, id⁷² est, creaturam angelicam cum empyreo caelo, quod non ab ignis ardore, sed splendore denominatum est, et quattuor materiam elementorum, quam Graeci Chaos appellant, sed utranque creavit informem, quandoquidem corporalis illa materia in primariae conditionis exordio fortunam dumtaxat confusionis habebat et non distinctionis, necdum distinctas species admittere poterat neque angelica natura illam formam acceperat, quam per conversionem aversionemve erat subitura. Mox autem primo die lucem fecit, quia⁷³ productarum rerum ordo, ut archana mysteria a vulgo facilius perciperentur, per dies digerendus erat, et lucem a tenebris divisit, quia bonos angelos a malis repente seiunxit. Nam, cum omnes⁷⁴ propriae potestatis compotes essent, orta statim in caelo seditione, qui a suo creatore desivere, nimia caecitate circumventi corruiere; qui vero firma spe et charitate nimia sese ad deum convertere, ne a sua fide deficerent, ineffabili luce gratiaque donati perpetuo divinae maiestatis splendore fruuntur. Secundo autem die cum caeli firmamentum effecerit ac tertio distinctis elementis terram aridam ediderit, quarto vero solem et lunam caeterosque planetas et octavum orbem stellis exornarit, item quinto pisces et volucres ac sexto caeteras animantes et hominem effinxisset, septimo demum die requievit non tanquam operis mole defatigatus, sed ut novam creaturam facere cessaret, cuius materia vel similitudo non praecessura foret. Hic autem in altissimam, quaeso, filii, descendite contemplationem et ante omnem diem summi creatoris consyderate potentiam, tribus autem imprimis diebus, quibus cuncta distinxerat, pro viribus eius pensitate sapientiam, in tribus vero reliquis divinae bonitatis ineffabilem vobiscum redundantiam reputate, ne illud temere dictum esse videatur deum in numero, pondere e mensura fecisse omnia.

REGINA BEATRIX ET REX MATTHIAS.

REGINA BEATRIX: Liceat nunc mihi serenitate tua, pater potissime, gloriari, quando is vir, is dominus atque pater divina mihi benignitate datus est, qui non minus armorum gloria, quam divinarum rerum contemplatione polleat; atque ii, qui adsunt, principes vere faelices existimari queunt, cum potentissimum simul et sapientissimum regem se sortitos esse arbitrentur. Concede igitur, pater optime, quando haud erit ab re, ut rem altius intelligamus, nobis te quandoque liceat interfari.

REX: Tu unica me in suppressae philosophiae angustias red-⁸⁰ egisti et, ut a materia longe submotus a muliere convinci facile videar, me cogis altius philosophari. Sed interpella, pete, disquire, ut lubet, cum iocunditatis tuae causa haec omnia fiant.

REGINA BEATRIX: Dic, quaeso, pater, cur arguta vestustas⁸¹ non modo mundum aeternum, sed materiam quoque primam aeternam posuere?

REX: Tria Achademici et imprimis Plato coaeterna ponere
 solebant: deum, exemplar sylvestremque materiam, quam antiqui-
 tas hylen appellavit, Peripatetici vero materiam et speciem ac ter-
 tium quoddam, qucd cum his una cooperetur. Atque simul asse-
 rebant ex nihilo nihil fieri, ex aliquo vero aliquid. Hii vero, cum aeter-
 nam cum deo sylvestrem materiam arbitrarentur et deum, quando pu-
 rus actus est, ab actione vacare non posse existimarent, cum ab
 aeterno praeiacentis materiae sibi facultas adesset, ab aeterno quo-
 que mundum fecisse asseruerunt, ne praeter naturam suam cum
 sylvestri materia cessare videretur. At illi tantae veritatis compo-
 tes esse non poterant, ut absolutissimam dei potentiam intellige-
 rent, et, cum eadem mensura, qua mortalia metiebantur, divina
 quoque metiri vellent, nonnulla monstra comentati sunt. Sicut
 enim hic inter particularia agentia nihil sine praeiacente materia
 fieri, sed aliquid ex aliquo constare videbant, ita deum ex nihilo
 nihil efficere posse reputabant ignorantes deum ab his, quae hic
 particulariter agunt, quam maxime differre, qui quidem, cum ac-
 tus sit purissimus ab omni materia penitus alienus, quo simpli-
 cius et eminentius quicquam excogitari nequit, unus ex nihilo sta-
 tim cuncta creare potest, quando rerum omnium prima et potissi-
 ma videtur esse causa, ad quae caeterae quoque causae referun-
 tur. Caetera vero singularia hic agentia, cum ex materia forma-
 que constent, sine materia nihil efficere queunt, quando materia
 penitus carere nequeunt neque aliud, quam sibi simile, generare
 possunt, quia sub definita specie collocata nil praeter ea, quae
 sint propriae speciei, producere valent. Quod si hec illi altius
 suspexissent, verius profecto philosophari contigisset neque mundum
 neque sylvestrem quoque materiam deo coaeternam reputassent
 vel, si haec ipsi per se invenire nequiverent, saltem suo Orpheo
 credidissent in Argonautica ita philosophanti: αὐτὰρ ἔγῳ γε μετ' αὐ-
 τὸν ἑλὼν φόρμιγγα λίγειαν ἐκ στόματος μελίγηρυν ἰεῖς ἀνέπεμπον Ἀοι-
 δὴν. πρῶτα μὲν ἀρχαίου Χάεος μελανήφατον ὕμνον, ὡς ἐπάμειψε φύ-
 σεις, ὡς τ' οὐρανὸς ἐσπέρας ἦλθε· γῆς τ' εὐρυστέρνου γένεσιν πυθ-
 μένα τε θαλάσσης· πρεσβυτάτον τε καὶ αὐτοτελὴ πολύμητιν Ἑρῶτα, ὅς-
 σα τ' ἔφυσεν ἅπαντα διέκριθεν δ' ἄλλον ἀπ' ἄλλου· καὶ κρόνον αἰνολέτην,
 ὡς τ' ἐς Δία τερπικέραυνον ἤλυθεν ἀθανάτων μακάρων βασιλῆιός ἀρχὴ
 et caetera, id est, at ego post ipsum Chironem sumpta so-
 nora cythara ex ore suavam cantum emisi, imprimis primarii Cha-
 eos obscurum hymnum, qualiter natura emersit et caelum in ve-
 speras vertitur, item amplae terrae generationem marisque pro-
 fundum vetustissimumque et perfectum Amorem multi consilii
 compotem et, quaecunque fiebant, aliud ab alio secernebatur,
 et tempus omnia consumens et quomodo ad Iovem, qui ful-
 minibus delectatur, immortalium beatorumque deorum principatus
 pervenit et imperium. Quod si in his rebus parum fidei poetae
 adhibendum esse censebant, saltem divo Hermite credidissent. Ex
 hac, inquit, voce luminis verbum sanctum prodiit. Verbum hoc
 naturae humidae adstans eam fovebat, ex humidae autem naturae

visceribus sincerus ac levis ignis protinus evolans alta petiit, aer quoque levis spiritui parens mediam inter regionem ignem et aquam sortiebatur; terra vero et aqua sic invicem conmixte iacebant, ut terrae facies aquis nusquam pateret. Deinceps septem fabricavit gubernatores, qui orbibus mundum sensibilem complectuntur, eorumque dispositio fatum vocatur. Connexuit inde dei verbum ex elementis dei deorsum tendentibus purum naturae artificium unitumque est opificis menti. Consubstantiale enim erat, tanquam sola materies. Et subdit: Horum autem cunctorum circuitus, quemadmodum ipsa mens voluit, ex elementis inferioribus animalia conflavit rationis expertia. Neque enim praebuit rationem. Aer volatilia protulit, aqua vero natantia. Distincta quoque inter se sunt aqua ac terra eo modo, quo menti placuerat; terra deinde animantia, quae intus habuerat, peperit, ut quadrupedia, serpentina pariter ac domestica. At pater omnium intellectus, vita et fulgor existens hominem sibi similem procreavit atque tanquam filio suo congratulatus est, quia pulcher erat patrisque sui ferebat imaginem. Mox opera sua omnia usui concessit humano. Homo vero, cum in patre rerum procreationem consyderasset, ipse quoque fabricare voluit. Ex quibus, filia, facile patet mundum et materiam primam a deo fuisse creatam, hominem quoque dum conjugalis pudicitiae iure procreat, omnipotentis dei sectatur exemplum nunquam creare facereque cessantis.

REGINA BEATRIX: Hui, tam cito, pater, me in angustias redigere tentas? Aliter imitandus est deus. Sed, quando illustrius omnia patefacere ocepisti et ita hii tui supplicant satrapae, ne sit, quaeso, grave, pater, tam archana misteria reserare atque illud imprimis, quare sex diebus deus operatur et septem etiam dies numeratur.

REX MATTHIAS ET REGINA BEATRIX.

REX: Nimium me a proposito institutoque negotio distrahis, filia. At fiat, ut iubes. Mira relligio, ut Pythagorici existimant, numeris adhibenda est, ex quibus omnia costare volebant. Exas enim fecunditatis est numerus. Nam senarius, qui Graece exas dicitur, pro media parte triadem, pro tertia dyadem, pro sexta monadem habet et nullus est numerus, qui in suas partes divisus redintegratis illis ita in se ipsum redeat, veluti exas. Par numerus faeminam, impar vero marem designat; ex mare ac femina procreatio constat. Monas autem est rerum omnium causa, deus, inquam, unicus, qui producendis rebus preest. Exadis autem fecunditas et perfectio hinc attendi potest. Quanquam humanus partus, quasi certo numerorum modulamine nono mense aedi solet, saenarii tamen ratio numeri ex multiplicatione procedens septem menses compulit usurpari et, cum duos esse cubos constet, alterum solidi corporis a pari, scilicet octo, alterum ab impari, videlicet viginti septem, et cubum parem esse faeminam, imparem vero marem; horum uterque, si per senarium numerum multiplicetur, effi-

ciet dierum numerum, qui septem mensibus explicantur. Coeant 103
 igitur faemina octo et mas viginti septem, pariunt ex se quinque
 et triginta. Haec autem sexies multiplicata creant decem et ducen-
 tos, qui numerus dierum mensem septimum claudat. Sed utro 104
 mense ad maturitatem partus ipse proveniat, in utero dinoscitur,
 nam aut septuagesimo aut nonagesimo die movetur conceptus.
 Dies ergo motus, quicumque fuerit de duobus, ut Hippocrates ait, 105
 ter multiplicatus aut septimum aut nonum mensem facit. Quare se-
 narii numeri ratione in opera sex dierum, quibus deus cuncta for-
 mavit, non sine magno mysterio usus est. Quod de septimo die 106
 adiecisti, num septenarii numeri plenitudinem ignoras, filia?, qui
 quam varia sit maiestate fecundus, hinc disci potest. Constat enim
 septenarius aut ex uno et sex aut ex duobus et quinque aut
 ex tribus et quattuor. Unum autem, quod monas dicitur, id est, 107
 unitas, mas est et faemina. Quod Pythagoras intelligens de deo,
 inquit, βασιλεὺς βασιλεία, δισποτεὺς δισπότηια, id est, rex et regi-
 na, imperator et imperatrix, quasi cuiusque sexus et fecunditatis
 origo, par item et impar neque numerus est, sed fons et princi-
 pium numerorum. Hec monas initium finisque omnium neque ip- 108
 sa principii aut finis sciens ad summum deum refertur. Haec est
 illa dei mens, quae, cum non sit numerabilis, innumeras tamen
 rerum species et de se creat et in se continet. Monadem quoque 109
 ad nostram animam referri posse cogitato, quae a sylvestris ma-
 teriae contagione penitus aliena ac simplicem sortita est naturam,
 quamvis animando corpori infunditur, nullum tamen init in sua
 unitate divortium. De senario, quanti sit momenti, iam dudum dix- 110
 imus. Quare, si unitas cum senario coniungatur, septenarium faci-
 et, quem maturitatis humane arbitrum esse reperiemus. Dyas vero,
 si cum quinario coniungatur, aptissime copulabitur, quando dyas
 primus est numerus, qui duplicem caeli motum referet, quinarium
 vero quinque caeli zonas. Postremo ex tribus et quattuor septen- 111
 narius constare poterit. Ternarius numerus tres animae potentias
 representat, quarum prima ratio, quam λογιστικόν, secunda animo-
 sitas, quam θυμικόν, tertia cupiditas, quam ἐπιθυμητικόν appellant,
 quaternarius vero quattuor elementa, quae insolubili inter se vin-
 culo divinus artifex ipse devinxit, ne insita contrarietate solveren-
 tur. Ignis, quamvis siccus, caliditate tamen sua vicinum patitur 112
 aerem, qui calidus est et humectus. Hic quoque aquam humidita-
 tis communicatione facile tolerat; haec autem, cum frigida sit et
 humecta, pro communi frigiditate siccam frigidamque terram liben-
 ter ambit. Si vero magnam septenarii numeri potestatem altius 113
 contemplari placuerit, cursus erroresque lunae nunc mente repe-
 tite, utpote quae ebdomade quarta lunarem annum conficit zodia-
 cumque percurrit talemque numerum Oceanus in incremento suo
 retinet. Quin etiam homo hoc numero concipitur, formatur, aedi- 114
 tur, vivit, alitur ac per totidem gradus traditur senectuti. Semen
 enim hominis in artificiosae naturae officinam inmissum, si post
 iactum intra septem horas non exciderit, in vitam haesisse spe-

randum est, septimo vero die genitivo folliculo circumdatur in tenuissimae membrane spetiem. Straton Peripatheticus per septenos dies concepti corporis fabricam tali observatione dispensat: In secunda ebdomade guttas sanguinis in superficie folliculi reputat apparere, tertia ad ipsum conceptionis humorem eas introrsus demergi, quarta humorem ipsum coagulari, velut inter carnem et sanguinem liquida adhuc soliditate conveniat, quinta interdum in ipsa humoris substantia figuram humanam apud quasi magnitudine fingi et in tam exigua brevitate corporis membra liniamentaue cuncta designata consistere et, quotiens quinta ebdomade designatio ista membrorum perficitur, mense septimo maturus erit partus, cum nono autem mense edendus est; si faemina fabricatur, sexta ebdomade membra distinguuntur, si masculus, septima. Item, utrum victurus sit faetus, septima hora discernit. Nam, quae praemortua nascuntur, ultra hunc horarum numerum aeris alitum ferre nequeunt. Praeterea post dies septem umbilici reliquias dimittit, post bis septem incipit ad lumen infantis visus erigi, post septies septem cuncta circumspicit, post septem menses dentes emergunt, post bis septem sedet intrepidus, post ter septem audita verba refingit, post quater septem graditur ac incedit, post quinquies septem lac incipit abominari, post annos septem primigenii dentes succedentibus decedunt. Item eodem numero fit hominis incrementum et diminutio ad extremam usque vivendi metam. Idem quoque numerus corporis membra disponit. Septem enim sunt intra hominem, quae nigra membra vocantur, lingua, cor, pulmo, iecur, lyen, renes duo; septem etiam alia ad cibum spiritumque accipiendum et reddendum deputata guctur, stomachus, alvus, vescica et intestina tria primaria, dissipium videlicet, mesenteron et ira, ut veteres appellarunt. Item in corpore septem sunt partes medulla, os, nervus, vena, arteria, caro, cutis. Septem quoque in corpore gradus caput, pectus, manus, venter, pudibunda, femora, pedes. Atque membra, quaecunque dividuntur, non nisi septem compagibus coniuncta sunt, ut humerus, brachium, cubitus, vola et digitorum nodi terni, item ut femur, genu, tibia, pes ipse, sub quo vola est, et digitorum similiter nodi terni. Septem etiam capituli foraminibus sensuum celebrantur officia. Septem praeterea motibus omne corpus agitur, ut accessione, recessione, deflexione in dexteram atque levam, item sursum, deorsum et in orbem. Ad haec, si quattuor fontibus honestatis, prudentie, iustitiae, fortitudini ac modestiae spem, fidem et charitatem adieceris, nonne septenarius numerus te beabit? Postremo, ne latius evagemur, sat vobis ex hiis, quae diximus, constare potest maximam (cum totius fabricae dispensator sit et dominus) septenarii numeri esse potestatem.

BEATRIX REGINA ET MATTHIAS REX.

BEATRIX REGINA: In horas nobis auges admirationem et ex hoc factum est, pater, ut te ad rem, de qua agitur, redire minime

patiamur et pro tua in nos gratia distrahamus. Auget nobis auda- 126
tiam sciendi cupiditas, qua cum omnis homo nascitur et nunc
ingeniosae naturae interpretem sortiti te non desinimus interfari
atque imprimis hoc Beatrici tuae maxime confert, quippe quae te
quanto magis recondita mysteria reserantem interrogat, eo maiorem
inde concipit virginitatis asserendae materiam. Quare illud quoque 127
explices, oramus, cur octavam spheram septem orbibus deus ad-
iecit, quin etiam et duos alios addidit, cristallinum, inquam, et
empyreum.

REX: In numeros me retrahis, ingeniosa filia, quorum quidem 128
numen, ut vobis latius explicetur, cubos paris imparisque numeri
atque supremum eius gradum invenire opus est. Cubus enim paris
ex dyade sumitur. Nam bis bina quattuor statuunt et tessera 129
mathematici corporis cubus est et bis bina bina bis octo faciunt,
qui quidem cubus solidi corporis ascribitur paritati. Trias autem,
quia ternarius est numerus impar, ter repetita novem efficit atque
hic numerus ter repetitus septem statuit et viginti, qui quidem
numerus cubus est imparitatis. Ad haec numerus impar mas est, 130
par contra faemina. Sed, ut ad octonarium redeamus, numerorum
plenitudo, quae nisi divinis rebus supernisque proprie non conve-
nit, eorum est, qui aut vim obtinent vinculorum aut corpora effi-
ciunt aut efficiuntur. Cum autem solidum corpus tribus dimensio- 131
nibus constet, quod steron vocant, tunc in quadrato corpore super-
ficie adiecta altitudo solidum corpus efficiet octonarium numerum
referens, quia ex octo angulis constare videbitur. Praeterea octo-
narius maximae plenitudinis esse censetur, partim, quia ex his est,
qui neque generantur neque generantur, utpote ex monade constans
et eptade, partim, quia ex his conflatur, qui generant et generan-
tur, qualis est tessera. Nam quaternarius nascitur de duobus et 133
octo generat. Quin etiam Pythagorici iustitiam octonario numero
vocaverunt, quia primus omnium in numeros solvitur pariter pares,
hoc est, in bis quaterna et eadem aequalitate connectitur. Ex his 134
autem liquet ad fingenda corpora et ad universa denique produ-
cenda non inmerito octonarium numerum divina providentia fuisse
mobilibus caelorum orbibus iniunctum. Hic quoque caelestem re- 135
fert harmoniam, quae diapason appellatur, caeteris longe prestan-
torem, quandoquidem in se diapente diatesseroneque complectitur.
Voluit enim divinus ille opifex non solum octo spherarum mini-
sterio nobis praestantia corpora fingere, sed ea quoque resumpta 136
in plenitudine dierum, caelesti symphonia perpetuo delectare, ut
cum animis corpora quoque beatissima viderentur. Sed octavam 137
hanc spheram quanta vi et potestate muniverit, quam variis innu-
merabilibusque numinibus exornaverit, quam varias ibi formas
celaverit, ne satis quidem intellectus humanus contemplari potest.
Quod autem, cur caelos decem deus effinxerit, interrogatis, non 138
illud vobis occurrit denarium numerum omnium esse perfectissi-
mum, quando numerus altius supra decada extolli nequit, nisi
iidem numeri, qui a decade continentur, pro cuiusque arbitrio re-

petantur. Quare caelestis ille artifex tam mirabilem mundi machi- 139
nam fabricaturus, ut opus pro dignitate sua perfectissimum ederet,
iure ac merito in decem orbes distinguere visus est, ut neque me-
lius neque perfectius ostenderet id fieri potuisse. Nam, ut de em- 140
pyreo, stabili ac perpetuo divine maiestatis solio et de crystallino
quoque orbe sileatur, quem ex aquis, quae supra firmamentum
evaserant, plerique factum arbitrantur, cum horum nulla coniectura
notitiam inire valeamus, quis octavae sphaerae sat mirabitur arti-
ficium, quam deus caetera complectentem et intus circulis septem
circumactam obliquo zodiaco circumduxit, in quo signa duodecim
in gradus tercentos circiter et sexaginta digesta sunt, quae sol
emeusus suum annum efficit variaque tempora ac varias dierum
et noctium vicissitudines pro naturae usu parit suumque lumen
statutis quidem spaciis universis aequae mundi regionibus impar-
titur, ut ubique pro ducendarum rerum faciat potestatem. Nam ab 141
Ariete incipiens ver aperit et, antequam Taurum Geminosque trans-
eat, id penitus absolvit et continuo in capitibus Geminorum tropi-
cum aestivum tangit, deinde per Cancrum, Leonem Virginemque
iter faciens aestatem claudit et rursus ab extrema parte Virginis
ad aequinoctialem circulum festinat in Librae aequinoctium con-
ficit et autumnum exorditur, quem Scorpionum Sagittariumque per-
mensus continuo exigit, deinde in hyemalem protinus tropicum
incurrit et a Capricorno, Aquario ac Piscibus hyemen transigit,
in Arietem denique relatus vernal aequinoctium iterum exorditur.
Ad haec quis affixos ignes referet, qui harenarum ac lapidum 142
multitudinem superarint? Sed haec poetarum ingenia comentata
sunt. In eminentiore polo duas Arctos, Draconem, deinde Arcto-
philaca cum Corona suspicimus, deinde per magna caeli spatia
Cetheum, qui Engonosin vocatur, exinde Lynam, Cygnum, Ceph-
eum, Cassiopeiam, Andromedam, Perseum, praeterea Aurigam,
Ophiolum, Sagittam, Aquilam, Delphinem, item Equum, Del-
toton, Caetum, Eridanum, Leporem, Orionem, Canem, Procyonem,
Argon, Centaurum, Aram cum Pisce, qui Notus saepe nominatur.
Plerasque etiam stellas, ut Arcturum, Pleiadas, Hyadas, et Ver- 143
giliae peculiariter observamus. Tales autem formas atque alias
inmutabiles, quas humanae mentis inbecillitas percipere non pot-
est, ibidem deus affixit, quae producendis rebus praesunt et in-
gentem rerum, qua nimium natura delectatur, varietatem pariunt,
quin etiam in generatione, quam equivocam appellant, diversa
rerum semina serunt. Nam, quando subiectorum agentium semina 144
desunt, hae seminum stellae vicem subeunt. Videmus enim ran-
nas, mures ac caetera tale genus saepe sine semine nasci, quod
sine illa stellarum indulgentia natura facere non posset. Insuper 145
et illae singulis rerum generibus favent, veluti herbis, lapidibus,
plantis animalibusque singulis, et ita favent, ut nihil sine peculi-
ari quodam munere procreare videamur. Huic etiam caelo, de quo
diximus, septem errantium stellarum orbes subiecit. Saturnum, in- 146
quam, Iovem, Martem, Solem, Venerem, Mercurium et Lunam,

quibus quattuor elementa supposuit eoque temperamento modera-
 tus est, ut duo gravia centrum petant, duo levia sursum tendant
 et tali contrarietatis nexu continentur, immo terrae omnia innitun-
 tur. Solem inter planetas medium statuit deus, utpote omnium ¹⁴⁷
 moderatorem, qui superis inferisque lucem praebeat. Saturnum
 supremum a Sole remotum frigidum effinxit omnium incomodorum
 egritudinumque autorem, quae ex nimia frigiditate proveniunt, prae-
 terea fugae, stuporis, tristitiae, sollicitudinis, timoris ac mortis,
 item egestatis, frigoris, siccitatis, tempestatis, morborum, quibus
 animalia quaeque laborabunt et ad inopiam redigentur. Iuppiter, ¹⁴⁸
 quia inter frigus et ardorem constitutus est, id est, inter Saturnum
 et Martem, salutari temperie cuncta fovet et auget, homines extol-
 lit, imperia propagat, corpora bene disponit, animos auget et illu-
 strat, viros fortunat, res calefacit et humectat, iumenta tuetur, favo-
 nios excitat, maria deprimit, navigantibus favet, insanos coercescit
 imbres et plenam rerum copiam revocat. Mars nimio exluans ar-
 dore ea mala parit, quae ex nimia siccitate promanant, autor belli ¹⁴⁹
 intestinaeque seditionis, incendii, predarum, servitutis ac regiae
 iracundiae et furoris, item tumultus, discordiarum, cedis, repentinae
 mortis, febrium ferventissimarum, rapinarum, latrociniorum, flumina
 ciet et procellas, sub quo aquarum pluviarumque inopia, interitus
 animalium, pomorum egestas, ariditas herbarum, habundantia lo-
 custarum. Sol dominus planetarum regibus principibusque favet ¹⁵⁰
 et magnis viris vitam, gaudium, copiam, divitias faelicitatemque
 portendit. Venus inter Solem Lunamque sita ipsa quoque Iovis
 temperiem imitatur. Calefacit enim Solis affinitate et humectat aequae, ¹⁵¹
 ac Luna, ob magnitudinem sui luminis, quo vapores e terra sibi
 subtrahit, procreationis officia suscitatur; hominibus magistratus, ¹⁵²
 honores, dignitates, laetitiam, fortunata coniugia, filiorum copiam,
 item opes, omnium rerum accessionem, gratiam, amicitias, splen-
 dorem potestatemque mortalibus affert, ad haec modicos humidus-
 que ventos, optimam validudinem, salutarem et serenum aerem,
 aquarum habundantiam, fecunditatem animalium, commodam navi-
 gationem et pomorum ac rerum ubertatem inducit. Mercurius vero ¹⁵³
 suapte natura varius, quia solis propinquitate desiccatur humores,
 humectat etiam vicinitate Lunae, astum, ingenium argutum, disciplinas,
 contra vero latrocinia, furta, rapinas, iniquam navigationem, siccas
 egritudines, febres ephimerae, vomitum, ptisim, vaticinium, item
 legum ac morum veritatem, ventos, tonitrua, fulmina, terrae hiatus,
 praeterea terre motus, corruscationes, aquarum inopiam, animalium
 herbarumque detrimenta nimia siccitate ob Solis affinitatem referre co-
 natur. Ultima autem est Luna nimia humiditate prepollens, aequa qui- ¹⁵⁴
 dem et iniqua mortalibus; Oceanum trahit et remittit in euripi speciem,
 quae, cum in corpore maculosa videatur, magnam reliquit morta-
 libus dubitandi materiam, qui etiam quandoque dicere ausi sunt
 sydera haud dubie terreno humore depasci, quo nondum suppetente
 ad auriendum cum eo sordes quicquid rapere, quare Lunae ma-
 culas non aliud esse censebant, quam terrae sordes ex humore

raptas. Adde, quod planetarum cursus et errores id temporis me- 155
 tiuntur et contra primum mobile his spatiis obnituntur. Saturnus
 imprimis, cum ignavo globo torpeat et maiora orbis spatia metia-
 tur, in quoque signo mensibus triginta inmoratur, zodiacum autem
 trigesimo anno percurrit. Iuppiter vero longe inferior celeriore motu 156
 percitus duodenis annis circumagitur et in quoque signq duobus
 mensibus remoratur. Mars nimio ardore ductus binis fere annis
 convertitur. Sol autem CCCLXV diebus ad suae sedis principia 157
 regreditur superaddita quarta parte diei, quare quarto anno inter-
 calaris dies additur. Venus exoritur ante matutinum ac Φοσφόρος, 158
 id est, Lucifer appellatur; Ab occasu refulgens Vesper dicitur et
 Solis et Lunae vicem subire contendit; magnitudine vero et clari-
 tate tanta, ut Sola ex stellis umbras reddere credatur. In alterutro
 exortu genitali rore cuncta conspergit et ad proprios omnia con-
 ceptus horiatur. Trecentis et duodequingagenis diebus zodiacum 159
 peragit et a Sole procul non discedit. Mercurius vero diebus CCC
 et XXXVIII signiferi spatium peragit modo ante Solis exortum,
 modo post occasum resplendens neque a Sole remotior, quam par-
 tibus duabus et viginti. Eadem fere spatia Luna diebus vicens et 160
 septenis ac tertia diei parte peragrat. Iginus hanc diebus XXX
 totum mundum transire putavit. Caput autem Draconis et cauda
 in signo quoque mensibus duodevicens inmoratur et annis duo-
 deviginti zodiacum circuit, quibus non mediocris certe potestas ab
 astronomis ascribi solet. Quisque planeta suum colorem habet; Sa- 161
 turno candidus, Iovi clarus, Marti igneus, Lucifero candens, Ve-
 spero refulgens, Mercurio radians, Lunae blandus, Soli orienti ar-
 dens, postea radians color est. Ad haec, sicut planetis calor et hu- 162
 mor ad procreandum et conminuendum tribui solet, ita Iovem, Venerem
 et Lunam caloris quidem compotes et humoris fortunatos
 existimarunt, contra infortunatos Saturnum ac Martem, quorum
 nimio frigore alter, alter siccitate nimia perniciosus habetur; Solem 163
 vero et Mercurium pro stellarum diversarum coniunctione utranque
 portendere fortunam. Item planetis et signis utrunque sexum ad-
 scribimus. Nam pro humiditate nimia, in qua faeminea vis inest, 164
 Lunam et Venerem faeminas reputamus, Solem vero et Saturnum,
 praeterea Iovem ac Martem ob calorem, frigus ac siccitatem ma-
 res appellamus, quamvis et eos, cum solem antecedunt, in exortu
 matutino viriles, contra vero, cum Solem subsequuntur, in occasu
 eviratos et muliebres arbitramur. Idem quoque, cum in utroque 165
 hemispero ascendunt descenduntve, dicere solemus. Praeterea, cum
 tempus in diem et noctem dividamus, diem propter calorem atque
 vim eius efficacem masculinum, noctem vero propter humiditatem
 et quietem femineam iudicamus. Lunam iccirco et Venerem noc-
 turnas, Solem vero et Iovem diurnos dicimus, Mercurium autem
 utrisque socium et in oriente diurnum et in occidente nocturnum.
 Et, quia contraria contrariis adhibita noxiorum cohercebunt nocu- 166
 mentum, ideo frigidum Saturnum caliditati diurnae, siccum vero
 Martem humectae nocti divina providentia coniunxit. Sed planetae

omnes pro Solis distantia et vicinitate ac prout invicem miscentur ac sese aspiciunt, varias pro cuiusque victoria qualitates in aere operantur. Quin etiam, cum erratiles hae stellae per hospitia varia 167 vagari soleant, ideo Sol Leonis domo gratissimo quidem hospicio utitur, Luna Cancri ob similitudinem qualitatis, Saturnus Capricorni et Aquarii ob similitudinem frigoris, Iuppiter Sagittarii ac Piscis, qui ventos procreant rerumque conceptus foveant, ob fortunae bonae communionem, Mars Arietis et Scorpii, Venus Tauri et Librae, Mercurius denique Geminorum et Virginis hospicio fruitur. Et, cum obliqui circuli partes in trigonos triplicitatesve quattuor, 168 tanquam in quattuor triangulos aequilateres, diviserint, prima septemtrionalis ex Ariete, Leone Sagittarioque constat, quae quidem, cum masculina sint signa, Solis, Iovis ac Martis domicilia sunt. Sol in die, in nocte Iuppiter dominatur. Secunda australis ex Tauro, 169 Virgine Capricornoque fingitur, cui in die Luna, in nocte Venus imperat. Tertia vero orientalis Geminos. Libram Aquariumque complectitur, cui in die Saturnus praeest, in nocte Mercurius. Quartam statuunt Cancer, Scorpium et Pisces, quae praefectum sortita est. Martem, cui collegae duo adiecti sunt, in die Venus, in nocte Luna. Quattuor igitur hae triplicitates, quae terna signa complectuntur, 170 ex quattuor orbis partibus ventos omnes emittunt et efflant. Exultant etiam in suis quisque signis planetae. Sol enim in Ariete, ubi dies incrementa suscipiunt, effertur, contra in Libra cadit; Luna in Tauro extollitur, in Scorpione ruit; Saturnus ad calorem 171 Solis remittendum e contrario in Libra erigitur et deprimitur in Ariete; Iuppiter in Cancro attollitur et in Capricorno deponitur; Mars contra in Capricorno sublimis fertur et in Cancro demergitur; Venus in Piscibus exultat et in Virgine languet; Mercurius in Virgine altior aspicitur, cuius in Piscibus casum demiramur. Gaudent 172 etiam planetae et in magno honore versantur, cum in signis sui consimilibus reperiuntur magnasque inde vires concipiunt, contra, si dissimilium hospitia subeant, tristitia affecti languent, quibus quidem omnibus vires accedunt, si fuerint orientales aut proprius eorum motus augeatur, contra vero diminuentur, cum eorum motus minuetur fuerintque occidentales. Vires augent, cum ad caeli 173 medium ascendunt, gradatim quoque languescunt a caeli medio declinantes; his quoque parum fortitudinis inest in primo exortus sui momento et multo minus in occasus articulo, sub terra vero longe inbeccilliores. Quod si quam cum ascendente signo societatem 174 habuerint, vires recuperabunt alioquin debiles penitus et infirmi. Neque illud praetermittendum duximus ex quattuor triplicitatum influxu, quos trigones appellant, magnam in quattuor habitabilis terrae partibus rerum fieri varietatem. Nam quarta terrarum pars, 175 quae Arcton occasumque interiacet, triplicitati subiicitur Arietis, Leonis et Sagittarii, cui Iuppiter cum Marte dominatur, quorum septemtrionalis alter, alter occidentalis esse dicitur, et uterque hic praevalet vespertinus. Haec autem pars Britannos, Galatas, Germanos, Besternas, Italos, Gallos, Appulos, Siculos et Hispanos 176

plane complectitur, quae quidem, cum sub Iovis Martisque dominio sita sit, gentem parit magnanimam, fidelem, amabilem, laudis et honesti appetentem. Sed ex his Britanni, Galatæ et Germani Arieti Martique obnoxii silvestres sunt et efferati ac potius belli, quam pacis cupidi. Italia vero, Sicilia ac Gallia Leoni ac Soli comparatur, quare hic homines sapientes sunt, honoris et gloriæ studiosi, magni consilii compotes et ad regendum accomodatissimi. Hispania vero Terraconensisque provincia Iovem et Sagittarium imitatur et iccirco hic nascuntur homines cupidi libertatis, nitoris et munditiarum ac sana mente praediti. Huius autem quarte reliquum, quod per medium terrarum extenditur, Macædoniam, Achaïam et minoris Asiae littus attingens, quia meridiem orientemque interiacet, huiuscemodi triplicitati assimilatur, quae ex Tauro, Virgine Capricornoque conflatur, in qua Venus cum Mercurio imperat. Quapropter, qui has incolunt, in corporum forma sunt valde consimiles, animas quoque cum corporibus temperatas habent. Quare fortissimi sunt et in regendo prudentes et, cum in Capricorno Mars exultet, libertatem diligunt et servitutem abominantur, leges invenere, musicam diligunt, discere cupiunt, opem et patrocinium facile impendunt, munditias propter Venerem retinent, bene operantur, quibus gratum est hospicium, grata quoque iustitia scribendique cupiditas et propter Mercurium iocundum eloquium occultumque consilium. Littora vero minoris Asiae Egæique maris insulae, quia Taurum Veneremque imitantur, molles sunt et lautitidique atque corpora procera et ornata diligunt. Qui autem Graeciam et Acritem habitant, quia Virgini et Mercurio sunt obnoxii, dialectica caeterisque disciplinis delectantur et his quam maxime, quae circa divina versantur. At, qui Macædoniam Byzantiumque incolunt, quia ad Capricornum Saturnumque referuntur, iccirco regnare desyderant animæque sunt inmites et inhumani nec imperia legum facile tolerant. Secunda vero triplicitas Tauri est, Virginis et Capricorni inter meridiem et Solis exortum sita, cui meridiana Venus Saturnusque exoriens dominatur, et haec quartam mundi partem amplectitur, utpote partem maioris Asiae, Indiam, Arabiam, Parthiam, Assiriam, Babylonem et ideo Venerem et Saturnum olim venerabantur alteram Isim, Solem alterum appellantes; pari quoque religione parentes prosequuntur, quin genitalia membra colunt et futura saepe denunciant; calidi sunt et venerei quam maxime; item saltatione delectantur et musica; in Venere impudentes propter matutinum Saturnum, faemineae libidini deditissimi propter Venerem; inconcessam libidinem abominantur, corpora pingunt et excolunt, in corporis habitu et in libidine molles et effeminati, alioquin magnanimi; fortes propter Saturnum et bellicosi. Ex his Parthya Tauro ac Veneri assimilatur et hi quam maxime venerei sunt mollissimoque habitu utuntur. Babylonii vero et Assyrii Virgini et Mercurio; propterea argutissimi sunt ingenii et sublimibus disciplinis quam deditissimi et astronomiae praesertim. Indi vero et Arabes Thaurique accolae

Capricorno et Saturno et iccirco deformes, sordidi et efferatissimi. Reliquum vero huiusce quartae, quae per medium terrarum extenditur, ut Isaurica, Iudea et cum Caldaea Arabica regio, triplicitati assimilatur, quae septemtrionem interiacet et occidentem, quae ex Ariete, Leone Sagittarioque colligitur, ubi Iuppiter et Mars cum Mercurio dominatur. Quapropter, qui has habitant regiones, negotiatoriam artem exercent comertiis accomodati, quin et deceptores sunt et aliorum contemptores, quin etiam pusillanimes, bilingues. Ex his, qui extremam Syriam et Idumeam habitant atque Iudaeam, Arietem et Martem imitantur ideoque maxima ex parte inconstantes sunt et proditores suique nescii creatoris. Caldaeii vero finitimique populi Solem et Leonem emulantur, quare sana mente sunt et misericordes, astronomiam diligunt et Solem prae caeteris venerantur. Habitata vero Arabia, quia ad Sagittarium et Iovem refertur, ferax est et beata, ubi homines bonis sunt moribus, praeterea fortes regnique appetentes. Tertia triplicitas ex Geminis, Libra et Aquario constituta, cui Saturnus et Iuppiter matutini praesunt, subiectam complectitur habitabilis terrae plagam, quae inter Solis exortum et septemtrionem sita est, in qua Sarmatae, Scythae, Armeni caeterique populi, qui mediam maioris Asiae partem habitant; ideoque hi Solem atque Iovem venerantur, quibus multum auri et lapillorum et divitiarum, praeterea nitidi, formosi, sapientes, divinarum quoque rerum perscrutatores; item veritatis et iustitiae amatores nec non et liberales et ingenio perspicacis, improbitatis denique et nequitiae inimici, in amicitia constantes et pro defensione suorum et honestate sese periculis facile exponunt, castitatem et abstinentiam amant, in vestitu nitidi, in donando profusi et in re quaque praeclari. Qui Armenias habitant, signi Geminorum et Mercurii sunt similes et iccirco incostantiores sunt et procliviores ad fraudem. Qui vero Bactrianam Sericamque incolunt, Librae Venerisque consimiles sunt, quare divitiis affluunt ac musica et ocio delectantur. Qui vero Sarmatiam, Aquarium sequuntur et Saturnum, quare inmites sunt et efferati. Reliquum huiusce plagae, quod ad meridiem spectat ac Syriam, Conmagenam, Lidiā Pamphiliamque complectitur, triplicitatem imitatur, quae est inter meridiem et occidentem, quae ex Cancro, Scorpione Piscibusque constat, quae sub Martis, Veneris et Mercurii potestate localur. Hii Venerem colunt et in laboribus miseriisque versantur, prompti ad scelera, rapinas et bella, exercent latrocinia, serviles sunt et propter matutini Martis Venerisque dominium in prelio moriuntur et propterea ab uxoribus ex corde diliguntur virisque consulunt ac domi sese assiduo continent, ubi in magno labore et servitute versantur. Ex his autem, quicunque Bathioniam, Ferogiam et Felogicam regionem incolunt (sic enim eas Ptolomaeus appellat), Cancro et Lunae sunt obnoxii et ideo complures timore et humilitate afficiuntur et propter Lunam matutinam quam plurimae eorum uxores ad dominatum, virilitatem et divortium aspirant, ut Amazones. At, qui Syriam, Cumachiam Canadochiamque habitant, Scorpioni ac Marti subiiciuntur, quare

ex his multi varii sunt et incestantes, item proditores et laboriosi. Lidi autem ac Cilices et qui Macholiam colunt, Piscibus et Iovi et iccirco ditissimi sunt et sociales, praelerea fideles, liberales et negociatorii. Quarta denique triplicitas inter meridiem et Oceanum sita ex Cancro, Scorpione Piscibusque confecta, cui Mars cum Venere imperat vespertinus, universam fere Africam complectitur, ubi Numidia, Mauritania et Lidia, et propter hoc in his rex et regina ex eadem matre saepe regnat atque vir viris et mulier mulieribus imperat et, quia harum populi calidissimi sunt, sunt proni ad venerem coniugiaeque vi et raptu quaerunt atque communes saepe uxores habent, pictis et delicatis vestibus delectantur, item audaces, callidi, deceptores, contemptores periculorum propter Martem, gaudent Punica perfidia. Numidae Cancro et Lunae sunt obnoxii, quare sociales sunt et negociatorii et opulenti; Mauritani vero Scorpioni ac Marti et propterea feroces, contentiosi et magna carniū ingluvie gaudent, despiciunt pericula, vitam pro nihilo ducunt, homicidia facile patrant. Qui vero ad Ammonem habitant, Piscibus et Iovi et iccirco liberales sunt et grati et religiosi, quia Iovem venerantur Ammonem. Aliae autem istius plagae partes, quae in medium habitabilis terrae protrahuntur et ad septemtrionem Solisque exortum spectant, ut Cirenaica, Marmarica, Aegyptus, Thebais, ad triplicitatem refertur, quae septemtrionem interiacet et orientem et ex Geminis Libra Aquarioque constat, cui Saturnus, Iuppiter cum Mercurio dominatur. Itaque cum in istarum regionum dominio saepe quinque planatae coeant vespertini, ex hoc fit, ut earum incolae deum colant, veritatem venerentur, caelestibus adhaereant, suorum funera defleant, mortuos humi defodiant; quia vespertini sunt, varii sunt et diversi moribus, legibus et animis; regibus facile hobediunt. Viri multas uxores ducunt, mulieres quoque multis viris admiscuntur, quin etiam venereis rebus ita saepe sunt obnoxii, ut cum sororibus coeant; in caeteris molles et effeminati. Garamantes et Marmarici Geminos et Mercurium sequuntur atque ideo intellectus acumine valent et philosophiae sunt ac divinis rebus deditissimi et divinatione delectantur. Qui autem in Coraxa sunt et Turica, Libram et Venerem referunt, quapropter callido sunt ingenio, item peregrinantur, negociantur locupletanturque. At hii, qui Araniem colunt, Aquarium sequuntur et Saturnum et ideo multarum sunt carniū fagones et ferarum victu utuntur. Quamobrem, ut rem brevibus complectar, Arieti est obnoxia Brittannia, Germania, Syria, Idumea, Iudea, Tauro vero Faratia, Media, Parthya atque magna ex parte littus minoris Asiae finitimaque loca, Geminis Armenia et inferiores Aegypti terrae, Cancro Numidia, Bactionia, Leoni Italia, Gallia, Apulia, Sicilia, item Caldaea finitimaeque regiones, Virgini Babyloniam, Assyria, Achaia; Librae Bactriani, Syri et qui in dimidium habitabilis terrae protrahuntur, ut Bamani et Aluntici; Scorpioni Mauritania et ex regionibus ad dimidium habitabilis terrae constitutis Syria, Conmagena; Sagittario Cyrenaica, Malta, Hispania et

Arabia, Capricorno India, Albania, Gedrosia, item Bizantium, Macedonia; Aquario Sarmatica, Dacia et ex his, qui sunt ad terrae
 dimidium, Alania et Media; Piscibus Natagonia et Harmatica, item
 Lidia, Pamphilia. Adde, quod duodecim signorum zodiaci quaedam
 tropica sunt, utpote Cancer in solstitio aestivali, contra Capricornus
 in hyemali; quaedam aequinoctialia, ut in vere Aries, in autunno
 Libra; quaedam fixa, quae duo solstitialia et duo aequinoctialia
 signa sequuntur, ut Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius, eo, quod
 tunc figuntur et magis apparent humor, calor, frigus et siccitas,
 cum Sol in his quattuor inmoratur: quaedam sunt communia, ut
 Gemini, Virgo, Sagittarius et Piscis, quae post signa fixa mox
 apparent atque ideo sic appellata sunt, quoniam inter mobilia fixaeque signa locantur et, cum suis principiis et extremitatibus naturali fere mutationi assimilentur, iure communia nuncupantur. Adde,
 quando, filia, me ita vagari iuvat; cur haec animalia in XII signa
 relata fingantur, plerique dubitarunt. Non temere sapientissimi viri
 haec in obliquo circulo comentati sunt. Nam quodque horum suo
 generi subiectis favet, cum valet; si laborat, quaeque sibi supposita laborare credendum est. Quaecunque in Ariete, Tauro ac Piscibus
 accidunt, eadem in Ovibus, Bobus, Aquaticis accidere videmus; idem de reliquis sentiendum. Hae sunt signorum passiones,
 quas deinde suppositis inferunt. Aries semicorporeus, irrationalis, quadrupes, domesticus, vitiosus, paucis pro vice filiis, venereus, semivox, in oriente viget, obliquus ascendit, leviter incedit, par, masculinus, unius denique negotii ac velox. Taurus unicorporeus
 irrationalis, quadrupes, domesticus, vitiosus, paucis pro vice filiis, modice venereus et castus, dimidiam vocem habens, in meridie, viget, item obliquus, gravis, impar, faemininus, unius denique negotii ac tardus. Gemini bicorporeus, bipes, orationis compos, voce
 pulchra, alatus, sterilis, viget in occidente, modice levis et gravis, rectus, par, masculinus, duplicis negotii et angelicus. Carcer bicorporeus est, irrationalis, multipes, silvestris, mutus, vitiosus, fecundus, obliquus, viget in septemtrione, modice levis et gravis, unius negotii, faemininus, impar. Leo unicorporeus, sterilis, irrationalis, quadrupes, mediocriter domesticus et silvestris, luxuriosus, mediam vocem habens, levis, rectus, viget in oriente, unius negotii, par et masculinus. Virgo semicorporea, rationalis, bipes, angelica, pulchra voce, alata, sterilis ob viri et angeli similitudinem, viget in meridie, gravis, duorum negotiorum, impar, faeminina. Libra bicorporea, rationalis, sine pedibus, domestica, voce pulchra, alata, paucis filiis, viget in occidente, mediocriter levis ac gravis, unius negotii, par et masculina. Scorpius unicorporeus, irrationalis, silvestris, multipes, multos filios habens, filias vero paucas, mutus, obliquus, viget in septemtrione, unius negotii, impar, faemininus. Sagittarius bicorporeus, in prima parte rationalis, irrationalis in extrema, pulchra voce, quadrupes, venereus, dimidia voce, in oriente viget, paucis filiis, levis, obliquus, duorum negotiorum, par et masculinus. Capricornus est semicorporeus, inra-

tionalis, quadrupes, domesticus, viciosus, filiis paucis, satis castus,
 dimidiam vocem habens, obliquus, viget in meridie, gravis, unius
 negotii, impar, faemininus. Aquarius unicorporeus, rationalis, bi- 224
 pes, pulchra voce, paucis filiis, in occidente viget, mediocriter
 levis ac gravis, unius negotii, par, masculinus. Piscis denique bi- 225
 corporeus, irrationalis, sine pedibus, silvestris, alatus, fecundus,
 mutus, in septemtrione viget, modice levis et gravis, duorum ne-
 gociorum, impar, faemininus. Quas ob res stellae ac superiora cor- 226
 pora in aspectibus et coniunctionibus operantur et ita operantur,
 ut corporibus inferioribus dominantur et non animis, quippe quos,
 quamvis inclinent, tamen cogere nequeunt. Foret enim iniquum, 227
 cum agens oporteat esse patiente nobilius, si corpora rebus incor-
 poreis divinisque substantiis imperitarent. Quanta sit siderum in 228
 inferiora potestas, hinc coniecturam cape. Nam, si verbo et oculis
 homines fascinantes visa et laudata saepe videmus, quid tot po-
 tentium syderum faciet aspectus? Quasdam in Africa familias ho- 229
 minum esse legimus voce ac lingua effascinantium, qui si impen-
 sius forte laudaverint pulchras arbores, segetes laetiores, item in-
 fantes, equos pecudesque pingues, confestim haec omnia emori-
 antur. Item in Illyriis homines esse fascinatione oculorum exitiali, 230
 qui irati videndo interimant et eosdem binas in singulis oculis pupillas
 habere. Neque ego diffiteor in fictis in tempore imaginibus maxi-
 mam esse caelorum potestatem, quandoquidem excellentissimi ple-
 rique astrologi, qui caelestibus suspectis vultibus eorum instar ima-
 gines in lapide incidere, miracula inde edidere. Caelestis Scorpius 231
 ac Serpens terrestribus serpentibus et scorpionibus dominatur. Pto-
 lomaeus etiam testatur se in Aegypto militem vidisse a scorpione
 lethali vulnere compunctum et obsignatorio quodam anulo mathe-
 matici peritissimi continuo liberatum, in quo scorpius erat incisus.
 Neque illud contemplatione vestra indignum iudicarim, quam operi 232
 suo formam divinus ille architectus delegit, alta mente revolvere,
 qui quidem qualis et quantus esset, in opere suo illustrius osten-
 dit et hanc caeli machinam formavit non secus, ac ab aeterno
 mente conceperat, ad caelestis, inquam, illius exemplaris imagi-
 nem. Sicut enim caelestis ille opifex aeternus est, cui neque prin- 233
 cipium neque finem tribuere phas est, ita sphericam mundi for-
 mam excellentissimam caeterarum et perpetuam esse voluit, cui
 neque initium neque finem dare convenit, quin etiam sese inclu-
 dit et continet atque nulla compage indiget, sed omnibus suis par-
 tibus in sese vergitur et sibi tantum ipsa tolleranda est, cuius tot or-
 bes, tot motus, tot absides et sublimitates, tot domicilia et stationes, tot
 conversos cursus et reciprocationes et talem denique ex motibus
 harmoniam animo agitare nequaquam humanae mentis imbecillitas
 potest. Haec orbium intervalla aliqui ita indagarunt: Solem a 234
 Luna abesse undeviginti partes, quantum Luna ab ipsa Terra.
 Pythagorae opinio fuit a Terra ad Lunam CXXVI stadiorum esse,
 ad Solem ab ea duplum, inde ad XII signa triplicatum, quam
 quidem sententiam Gallum Sulpitium sequi non puduit. Pyctago- 235

ras ex musica ratione τόνον appellat, quantum a Terra Luna abest,
 ab ea ad Mercurium eius spatii dimidium et ab eo ad Venerem,
 a quo ad Solem secuplum; a Sole ad Martem tantundem, quan-
 tum a Terra ad Lunam; ab eo ad Iovem dimidium et ab eo ad 236
 Saturnum et inde ad Signiferum secuplum et ita octo tonos ef-
 fici, quam harmoniam diapason appellarunt, hoc est, universita-
 tem concentus et in ea Saturnum Dorio, Mercurium pthongo, Io-
 vem Phrygio moveri. Hoc autem divum Platonem compulit, ut in 237
 sua republica, cum de caelestium spherarum motu disserit, singu-
 lis orbibus syrenas singulas insidere dixerit, ut ex hoc sperarum
 motu cantum deo exhiberi significaret. Nam syren deo canens in- 238
 terpretatur. Theologi quoque novem Musas octo spherarum musi-
 cos cantus et unam maximam concinentiam esse voluere. Quare 239
 Hesiodus poeta in Theogonia octavam Uraniam appellavit, quia
 post septem vagas, quae subiectae sunt, octava stelliphera sphaera
 proprio nomine caelum nominatur et ad ostendendam concordem
 sonorum universitatem Calliopen adiecit nonam. Atque ideo sacri- 240
 ficiis musicos hymnos, cantus et sonos adhibuerunt per stropham
 et antistropham, ut per stropham rectus stelliferi orbis motus per
 antistropham adversus vagarum stellarum cursus representaretur.
 Quin etiam nonnullae gentes et nos quoque mortuorum corpora non 241
 sine multorum cantibus ad sepulchrum efferimus, ut ad caelum,
 tanquam ad caelestem ac musicam dulcedinem, redire credantur.
 Ad haec neque minus caelorum materiam quam formam admirari 242
 debemus. Constant enim caelorum corpora ex materia quadam,
 quae, cum nihil in se habeat contrarii, ne formam quidem aliam
 subire potest, quam eam, quam ab initio sumpserat. Empedocles 243
 autem, cum duo rerum principia poneret, litem, inquam, et ami-
 citiam, haec ex amicitia tantum constare affirmavit. Plato de na-
 tura quattuor elementorum caelum constare dixit non tanquam ex
 quattuor elementis compositum, sed elementum id esse simplex,
 igneum enim esse, asserebat. Aristoteles vero inquit caelum non 244
 ex quattuor elementis esse confectum, sed corpus esse ex quinto
 quodam elemento factum, quod caeteris praestare videatur ele-
 mentis et hinc incorruptibile futurum et immortale. De materia cae- 245
 lesti hactenus; nunc eius magnitudinem ex aliorum opinione me-
 tiamur. Possidonius prodidit, a terra altitudinem esse non minus
 stadiorum XL, in qua nubila, venti nubesque proveniant; idem li- 246
 quidum et imperturbatae lucis esse aera, sed a turbido ad Lunam
 vices centum milia stadiorum, inde ad Solem quinquies milies, et
 eo spatio fieri, ut tam immensa eius magnitudo terras non exurat.
 Plures autem dicere ausi sunt noningentis stadiis subire nubes in 247
 altitudinem, stadium autem ex passibus CXXV constat. Platonicum
 contra Archimenidem aliter sensisse visi sunt. Quantum enim a 248
 terra est usque ad Lunam, duplum a terra ad Solem usque esse
 dicebant et, quantum est a terra usque ad Solem, triplum esse
 a terra usque ad Venerem et, quantum est a terra usque ad Ve-
 nerem, quater tantum esse a terra usque ad Mercurium et, quan-

lum est a terra ad Mercurium, novies tantum esse a terra usque ad Martem et, quantum est a terra usque ad Martem, octies tantum esse a terra usque ad Iovem et, quantum est a terra usque ad Iovem, septies et vices tantum esse a terra usque ad Saturnum. Sed nimis ociosos Platonicos reputarim neque minus ab omni serio feriatos plerosque nostri seculi, qui a terra usque ad Lunam XV milia et sexcenta XXV milia passuum definire ausi sunt, a Luna ad Mercurium septem milia et tercenta duodecim milia passuum cum semisse, a Mercurio ad Venerem tantundem, a Venere ad Solem quadringenta et triginta sex milia passuum supra tria et viginti milia, a Sole ad Martem quindecim milia et sexcenta XV milia passuum, a Marte ad Iovem sunt octingenta et XII milia passuum supra septem milia, a Iove ad Saturnum XXXIII milia et octingenta (ni fallor) passuum milia rettulere. Stulti quidem hii omnes et audaces, qui ea definire ausi sunt, que preter deum, qui omnia in numero et mensura fecit, nemo alius recensere potest, quibus vere illud obiici posset, quod Taleti Milesio ab anicula exprobatum est, quod sydera speculari vellet et praeiacentem, in quam ceciderat, foveam non previderit. Quamobrem, cum iam diu a re diverterimus et ad causam nostram iam sit redeundi tempus, desipere desinant insipientes, qui nullum deum esse dicunt; desinant denique Achademici Peripatheticique omnes, qui plura principia coaeterna ponebant. Nam, si nullus deus esset, unde tanta in mundano opificio ratio imperaret?, quam cum ex aliqua mente promanare sit necesse, quae omnem sapientiam et bonitatem complectatur, immo sit ipsa sapientia et bonitas, quis hanc mentem actumque purissimum deum esse non crediderit? Si rebus universis tantum ordinem inesse videmus hominemque a deo factum existimamus, cuius causa caetera omnia videtur genuisse naturam, ad quem quidem redimendum, quia primi parentis culpa haereditario ingenitoque peccato erat obnoxius, unigenitum in terras filium demisit, quis humani generis curam, divinam providentiam destituisse putet. Avibus in aere, piscibus in aqua, caeteris denique animantibus in terra prospexit, ne fame perirent, et animalium cuique proprium vivendi modum infudit, anne hominem, cui tantum deus indulxerat et natura, caeteris animantibus excellentiorem divina tutela orbatum reputemus? viventi nanque homini tam gratum et iocundum in terris hospitium paravit, ut eius amaenitate saepe ita capiatur, ut caelestis originis et summae faelicitatis inmemor esse videatur, animis vero iam corpore exutis sydereum hanc, quam diximus, aulam effinxit, ut ubique faelices et beati esse possent. Ex tam miro igitur opere et tam variis rerum generibus ad cognoscendam caelestis dignitatem opificis mortalium quisque pervenire potest. Sed quid, filia, obmutescis?

BEATRIX REGINA ET MATTHIAS REX INVICTUS.

BEATRIX REGINA: Verum est pater, quod dici solet, nihil
plane patere posse, nisi experientia ipsa comprobetur. Omnes cum
Beatrice conticuere, quorum quidem animi divina hac oratione tua
in altissimam redacti contemplationem relictis corporibus per ae-
thereos orbis adhuc late vagantur et, dum mirabilia quaeque suspi-
ciunt, tam grato spectaculo retinentur, ut nondum rediisse videan-
tur, teque ducem per caelestia atria sequuntur, stellarum vagan-
tium errores intuentur, caelestibus ignibus obstupescunt, qui, cum
varias tot rerum imagines referant, quot in terris videre non licet,
mirari non desinunt et nesciunt, quid potissimum suspiciant.
Speris ad haec singulis singulos insidere angelos cernunt, qui eas
movent. Quare de angelis disputari cupiunt et hoc te, pater, orant
et expectant, ut videre videor. Quin etiam supplicant, ut de ho-
mine referas, quomodo ad dei similitudinem factus est, ut sanc-
tissima hac tua expositione deo propius accedere valeamus. Quod
si feceris, pater, non tam iocunditati, quam salutis nostrae, ut sem-
per facis, consuluisse videberis.

REX: Cur tam procul a questione me divertis, filia? fortasse
ingeniosa facis, ut, dum multa discutienda obicis, mihi in defen-
denda mea causa tempus elabatur tuque clepsidras tuas integras
perores. Faciam igitur, ut petis, ut, quanta sit mea Beatrix, hodie
videam, et eo quidem libentius de angelis dicere incipiam, quo
te magis angelicam, quam terrestrem esse intelligo. Cum autem
petitioni vestrae satisfecero, me ad causam redire patiare.

BEATRIX REGINA: His me blanditiis, pater, circumvenis?
quin et ego quo te magis audio, eo maiora causae meae admi-
nicula succurrunt, ut intelligas divinam orationem tuam non solum
tibi, sed adversariis esse salutarem nihilque in sanctissimo Mat-
thia esse, quod non sit suave, mirum, divinum et salutare. Proinde
intentos, pater, animos ne ultra quidem crutiari patiare.

REX: Angeli, de quibus nunc audire desyderatis, incorpo-
rae sunt substantiae et immortales ad dei ministeria creati, rati-
onis ac magnae sapientiae compotes. Hos enim deus ex simplici
indivisibilique essentia constare voluit, quibus ob rationem insi-
tam intelligentia inest, memoria et cum libera potestate voluntas,
id est, ad bonum vel ad malum voluntatis inclinandae facultas.
Omnes enim sunt spiritus pari immortalitate donati. In caeteris
differunt, quando diversa his est essentia, sapientia et potestas.
Essentia quidem est personae substantia, sapientia forma est, po-
testas vero arbitrium. Ad substantiam pertinet naturae subtilitas, ad
formam intelligentiae perspicacitas, ad potestatem voluntatis ratio-
nalis habilitas. Quemadmodum enim in corporibus est non me-
diocre discrimen, quod ab essentia, forma pondereque diverso pro-
ficiscitur, quorum alia meliore dignioreque natura constant, levio-
re et agiliore alia; ita inter se propter haec angeli differunt, quon-
iam a creationis initio alii superiores, inferiores alii divina sa-
pientia facti sunt, quippe quae aliis maiora, aliis minora dona tri-

buit. Nam, qui ingenita virtute aliis excelebant, hii post gratiae 271
munera eisdem divina voluntate preesse ceperunt, item, qui natura excellentiore perspicaciorque sapientia ab initio fuerant, hii maiore gratia et dignitate sunt, quam ceteri, qui vero humilior natura minoreque sapientia extitere, minora quoque dona gratiae sortiti sunt et inferiores habiti, quandoquidem dei sapientia aequo examine et temperamento cuncta constituit. Potestas autem libera 272
eorum pro naturae intelligentiaeque praestantia pensitanda est, nam, sicut diversa naturae subtilitas inbeccillitatem non adducit neque cognitio inferior sapientiae ignorantiam non ingerit, ita libertas minor nullam arbitrio necessitatis voluntatem imponit. Cre- 273
ati ergo angeli tanquam inter eos orta seditione continuo alii (quando brevissima fuit illa morula) propria potestate delectati nondum beatae vitae dulcedine degustata et superbia quadam elati, cum a deo defecissent, continuo corruiere; alii spe et charitate 274
sua freti, cum se ad deum convertissent, ineffabili repente gratia muniti et confirmati sunt, in quibus statim non secus, atque in speculo, dei sapientia illuxit, qua quidem illustrati omni faelicitate completi sunt. Qui terga verterunt, nimia caecitate affecti sunt, non 275
malitiae infusione, sed defectu gratiae. Nam, qui sese ad deum convertit, divina ope iustus efficitur, contra, qui terga vertit, iniustus. Sed utrunque ab utriusque libera voluntate profectum est. 276
Quod si quis fortasse vestrum dubitarit, cur deus eum fecit, quem praesciverat malum esse futurum; lapsurum deus fecit angelum providens non mediocrem hinc utilitatem esse proventuram. Nam, 277
quamvis sciret sponte sua malum futurum, ut bonos infestaret, eum tamen creare voluit, ut tali infestatione bonis prodesset, et tunc eius eluditur opera, cum oppugnando non expugnat et sanctis haec oppugnatio viris proficit, immo beat. Simili quoque ratione malos homines, quos deus tales futuros prevederat, ad bonorum creavit utilitatem et tunc eis illuditur, cum eorum oppugnatio sanctis hominibus victoriam parit. Insuper neque illud reticendum esse duxi, quod plerique dubitarunt, utrum angeli numero, an spetie differant, neque vos preterit materiam esse, quae constituit individuum, et facit ut res numero differant. Nam, quaecunque numero diversa sunt, supposita sunt et singularia et ex materia formaque composita. Angeli autem, cum materiae sint penitus expertes, non numero, sed spetie tantum differre videntur neque in eis idem esse et intelligere, cum aliquid potentiae sapiant. Esse enim rei cuiusque procreatae secundum genus et speciem ad unum tantum est determinatum, intelligere vero, cuius obiectum est verum, et velle, cuius obiectum est bonum, ad omnia sese pariter habent. In solo quidem deo, qui purus est actus, intelligere et velle est suum esse, cuius quidem essentia est simplex et infinita in se omnia comprehendens. Angeli vero per se non omnia intelligunt, quando hoc divinae essentiae est proprium. Intelligunt autem illi per species sibi insitas et non a phantasmibus acceptas, ut noster intellectus. Sicut enim distinctio spirita-

lium substantiarum est et ordo, ita et corporalium. Nam superiora 284
 corpora ex materia constant per formam omni ex parte perfecta
 et ita instituta, ut illa nullam formam subire queant, inferiora ve-
 ro corpora ex materia facta sunt, quae, cum diversa sit et infida,
 veluti meretricula, modo hanc, modo aliam formam subire potest. 285
 Id ipsum in substantiis intellectivis inquirendum est, quia nostrae animae
 ex intellectiva potentia constant non omnino perfecta, quippe quae
 sensim et gradatim perficitur, dum species intelligibiles a phanta-
 smatibus accipit et phantasmata prius a rebus. Angeli vero ea 286
 intelligendi potentia a deo donati sunt, quae perfecta est, quandoqui-
 dem a creationis initio eis species intelligibiles infudit, quibus repente
 omnia intelligerent, quae suapte natura cognosci possunt. Animae 287
 autem nostrae, quia corporum sunt formae, cognatione quadam con-
 iunctissima cum his obstrictae sunt, ex quo fit, ut per corpora
 intelligant et perficiantur, alioquin frustra cum corporibus coniun-
 gerentur. Angeli vero a corporibus alieni, cum omni materia ca- 288
 reant, in intelligibili quadam natura subsistunt et per intelligibilium
 specierum afflatum perfectionem suam consequuntur. Praeterea et
 illi formis idaeisque universalioribus etiam plura complectentibus
 intelligunt, quam animae nostrae. Nam, quae deus per unum 289
 intelligit, inferiores intellectus per plura cognoscere coguntur, quia,
 quanto intellectus angelicus et humanus superior fuerit, tanto pau-
 cioribus idaeis res intelligit, quanto vero inferior, tanto pluribus
 formis indiget, ut intelligat. Ea nanque, quae in verbo dei ab aeterno 290
 prestiterunt, duplici modo inde profluxere; uno quidem modo
 in angelicum intellectum, altero, ut in propriis subsisterent naturis,
 in angelicum intellectum defluxere, quia deus angelicis mentibus
 a principio rerum similitudines impressit. In verbo dei ab aeterno 291
 non modo rerum corporalium, sed spiritualium quoque omnium
 creaturarum rationes extitere. Et angelorum cuique secundum es-
 sentiam et intelligentiam propriae speciei ratio simul est impressa,
 ut in natura suae speciei subsisteret et per eam sese intelligeret.
 Item sunt eis impressae aliarum quoque rerum rationes, sive spi- 292
 ritales sive corporales illae fuerint, ut tantum intelligant et per has
 infusas species corporalia incorporaliaque cognoscant. Item angeli, 293
 cum dei sint ministri, orbes moveant caelestes, pro divino nutu
 humanis rebus provideant, singuli singula mortalium corpora curent
 et, cum actus sint singularium, non modo, quae sunt in universum,
 sed singula quoque cognoscunt, alioquin humanis rebus praeesse
 ac moderari non possent. Sicut enim homo omnia rerum genera 294
 vario modo cognoscit, utpote intellectu universalia et materia quae-
 que carentia, sensu vero singularia et quae ex materia ficta sunt,
 ita et angeli intellectiva virtute haec utraque cognoscunt. Ordo qui- 295
 dem rerum talis est, ut, quanto aliquid superius est, tanto vehemen-
 tiorem virtutem habeat et ad plura sese extendentem. Quemadmo-
 dum igitur a deo res exeunt, ut in sua quaeque natura subsistant,
 ita etiam eduntur, ut in angelica cognitione versentur. Et, sicut 296
 deus rerum omnium auctor similitudo est omnium et universalis

idaea, per quam universalia et singularia quaeque cognoscit, ita et angeli per species a deo inditas non solum secundum generalem naturam, sed singularem res intelligunt, prout germinantes et multiplicatae illam unam ac simplicem dei essentiam representant. Ad haec illud memoria tenete, viri, duplicem in angelis esse notitiam, alteram ex propria natura profectam, qua et per se et per species insitas res intelligunt, alteram vero longe faeliciorem, qua verbum divinum intuentur, in quo res quasque vident et videndo nonnulla mysteria gratiae intelligunt, sed non omnia neque iuxta omnes, sed uti deus eis aperire voluerit. Quare superiores angeli, qui divinam sapientiam contemplantur, plura et altiora mysteria in ipsa dei visione conspiciunt, quae inferioribus retegunt et aperiunt. Mysteriorum autem quaedam a creationis initio acceperunt, quaedam vero postea, ut res ipsa postulavit, divinitus sunt edocti. Item angeli sine discursu intelligunt, quod nos facere nequimus, quia statim in illis, quae suapte natura cognoscunt, omnia inspiciunt, quaecunque cognosci possunt; nos autem ex uno cognito in aliud procedimus et ex cognitione principii in conclusionum notitiam ducimur, quia primorum principiorum intellectus noster est habitus. Quod si anima nostra eque, ac angeli, pari lumine intellectus frui posset, in primo statim principiorum intuitu totam vim eorum conciperet continuoque videret, quicquid ex eis per intellectum colligi posset. Verumenimvero ea cognitione, qua res in verbo cognoscunt, omnia intelligibili et una specie intelligunt, quae quidem essentia divina est et tali cognitione omnia simul noscere reputantur. Id ipsum nostrae quoque animae in caelesti aula consequentur, ubi neque volubili cogitatione discurrunt neque redibunt neque ex principiis operosos comentabuntur affectus, sed in divino illo speculo universam quamque scientiam unico obtutu conspiciuntur omnique beatitudine complebuntur. Talis autem cognitio et tam repentina angelis inesse solet, quia eum inter spiritalia et incorporea gradum tenent, quem inter ea, quae corporea sunt, corpora caelestia meruere. Inter caelestia et terrena corpora permagni interest. Nam terrena quidem corpora per motum perfectionem suam ultimam assequuntur, contra vero caelestia suapte natura creationis initio perfecta et incorruptibilia facta sunt. Pari autem modo humanis intellectibus evenire solet, quia homines motu et discursu intellectus veritatem inveniunt; contra quidem angeli, quippe qui res in verbo perinde, atque in speculo, cognoscunt, in quo quidem cum re imago rei simul inspicitur. Insuper neque angeli, ut nos, componendo dividendove cognoscunt, qui discurrendo a principiis in conclusiones aut per affirmationem negationemve componendo et dividendo intelligimus, quod quidem fit, cum predicatum cum subiecto confertur, quia negativa affirmativaque enunciationis compositionis et divisionis in intellectu signa sunt. Angelus autem, sicut ratiocinando non intelligit, ita ne componendo quidem et dividendo. Compositionem tamen enunciationum et divisionem intelligit, sicut et ratiocinationem. Intelligit enim

composita simpliciter et mobilia immobiliter. Sed haec hactenus 309
 de angelorum cognitione dicta sint. Ad haec, quot sunt celorum
 orbes, totidem angelos esse plerique reputarunt, qui eos movent,
 et praeter hos nec plures esse nec pauciores. Nam plures natura 310
 non postulat, quia supervacuum abominatur, non pauciores, quia
 necessitati prospicit, neque superhabundantia gaudet neque de-
 fectu. Nesciebant enim isti innumerabiles profecto ministros infi- 311
 nita dei ministeria postulare, quando cuncta creata curat, humano
 generi studet. Et res creatae custodes appetunt celestes, qui eas,
 quae nondum sunt, pro dei nutu et renutu formas excitant in ma-
 terias ac movent. Plerique non modo species curant, ne qua ces- 312
 sante generatione intereant, sed singularibus quoque student, ut
 in hominibus iam compertum est, quos quidem singulos custodi-
 unt angeli et a demonum tuentur insidiis, unde eudaemones ca-
 codaemonesque dicti sunt, et (ut Plotinus autor est) humanum per
 se ingenium, quamvis prudens est, a familiari tamen numine ad
 bonum concitatur, quod antiqui genium nominarunt, quasi geni-
 turae dominum, et cuique bonum et malum genium adesse sem-
 per reputarunt. Quin et malum Bruto genium insanae magnitudi- 313
 nis per noctem apparuisse Plutarchus refert. Horum autem alterum
 ad bonum hortari et dehortari alterum existimabant. Ex his igitur
 infinitos esse angelos credendum est. Qui autem cum Lucifero cor- 314
 ruerunt, permulti in caliginoso hoc aere desiderare reputati sunt, ut
 horum oppugnatione mortalium virtus probetur. Recte igitur sensit
 apostolus. Colluctatio, inquit, nobis est adversus principes et po- 315
 testates huius mundi et adversus rectores tenebrarum. Quin etiam,
 sicut ex angelis alii alii praesunt, ita inter daemones diversae et
 innumerabiles videntur esse praefecturae, quae pro magnitudine
 scientiae cuique tribuuntur. Quidam enim singulis provinciis et 316
 fortasse opidis, alii singulis hominibus ac singulis quoque vitiis
 alii presunt. Unde spiritum superbiae, spiritum luxuriae dicimus,
 quia ibi tentandi maximam habeat potestatem. E contrario idem
 sentiendum. Quamobrem propter tot diversaque ministeria non in- 317
 merito deus (ut paulo supra diximus) multitudinem creavit an-
 gelorum. Nam, cum angeli inter deum et homines medii esse vi-
 deantur, hoc divinae providentiae ratio postulavit, ut inferiora per
 superiora curaret. Salus autem hominis duplici modo curatur : per 318
 eudaemonem, inquam, si ita loqui fas est, et cacodaemonem,
 quorum alter ad bonum hortatur et a malo revocat, alter oppu-
 gnatione sua virtutem humanam exercet ac victricem statuit et il-
 lustrat, sine qua non daretur vincendi occasio, si talis amoveretur
 infestatio. Ex hoc autem fit, ut duplex demoni locus debeatur ; 319
 alter infernus est, ubi inexpressibili culpa paenas luat, alter hic
 caliginosus aer, ubi hominum virtutem vexet et exerceat. Hec au-
 tem ministeria angelorum et vexatio daemonum ad diem usque
 iudicii perdurabit, postea vero cessabit. Quamvis et daemonum illi 320
 praesertim in inferno sunt, qui ad tetra facinora deperditos ani-
 mos induxerunt, ut ab his paenas exigant, et infiniti in caelis an-

geli cum sanctorum animis sunt, qui hortatu custodiaque sua eos
 conservarunt. Post consumatum vero saeculum hi omnes in caelo 821
 faelici ac perpetuo aevo fruuntur et ad aeternam miseriam ablegabuntur illi. Interea daemones de futuris nonnulla cognoscere visi
 sunt, partim argutia spiritus et celeritate, partim maxima rerum
 experientia, quam ex longissima vita compararunt, partim astro-
 rum scientia, partim denique caelestium monitu angelorum. Insi- 322
 dianitur hominibus et quam maxime bonis et pro obstinata malitia,
 quia in eligendo immobiliter haerent, a nulla materia remorati
 mala voluntate feruntur et, quamvis saepe, quae bona sunt, velle
 videntur, voluntatem tamen bonam haudquaquam habent neque
 his iniuste nocendi facta est facultas, nisi quantum iuste divino
 nutu permittuntur, quibus quidem aut ad exolvendas paenas aut
 exigendas aut ad perpetua bonorum hominum comoda data est ten-
 tandi nocendique potestas. Ex angelis vero et demonibus ne ul- 323
 lum quidem creatorem appellaveritis, quia nephas est inexplabile
 quenquam dicere creatorem praeter deum, cuius nutui tam lubens
 materia praestat obsequium, a qua omnis forma, omnis compago 324
 et omnis est denique concordia partium. Hactenus, quam brevissime
 licuit, de deo et prima rerum creatione, item de caelo motu-
 que caelestium orbium, postremo de angelis dictum sit. Reliqua, 325
 ut detur ad subiectam materiam redeundi facultas, quia res ita
 iubet, relinquemus. Superest, quod de homine, cui divina simili-
 tudo inest, tantopere petebatis, quod cum non parum temporis sibi
 postulet, vereor, ne disputatio plus aequo differatur.

BEATRIX REGINA : Et doceri, pater, et delectari vult auditor, 326
 nedum suaderi, quod, cum elegantissime omnium facis, quod
 de homine instituisti, quia nimis pertinet ad salutem, dicere, quae-
 so, ne sit grave, pater clementissime.

REX : Ad perfectionem universi operis, ne quid deesse vide- 327
 retur, quo caelestis opificis providentia notari posset, immo pro
 expleto rerum ordine nil melius fingi posse existimaretur, omni-
 potens ipse deus hominem adiecit, cui quid commune cum diis ac
 caeteris animantibus inesset, qui altera ex parte mortalis, immor-
 talis ex altera foret. Et, quia tunc effectus quisque maxime per- 328
 fectus est, cum in suum principium redit, ut in circulo intueri li-
 cet, qui caeterarum ideo figurarum praestantissimus esse putatur,
 quia in suum principium referatur; quaecunque facta sunt, in 329
 suum tunc principium referri creduntur, cum sui auctoris in se si-
 militudinem gerunt, et tunc naturae suae praestantiam pre se fe-
 runt, cum eius imaginem referunt. Talis autem similitudo in rebus 330
 duplex est: una, cum ea, quae non erant, divino beneficio esse
 ceperunt et in essendo ad deum referuntur, qui solus vere esse
 dicitur et unica est causa, ut sint omnia; altera, cum cognitione
 ac intellectu referimus autorem, quem quidem praeter hominem
 nullum animantium cognoscere potuit. Quare, quaecunque facta sunt, 331
 omnia dei similitudinem cuncta creantis referre conantur, quando
 nihil est, cui divina bonitate non sit aliquid impartitum. Verum 332

ea perfectiora sunt, in quibus dei magis similitudo refulget; ex quo fit, ut praeter angelos deo nihil propius accedat, quam homo, quippe qui ex animo corporeque compositus habet quid commune cum deo, quamvis in caeteris rebus ab aliis animalibus parum differre videatur. Quamobrem non temere Platonem locutum reputarim caeterosque sapientes, qui microcosmon, id est, parvum mundum hominem esse dixerunt, deum vero magni mundi animam. Nam homo ex anima deum, ex corpore mundum representat. Sicut enim deus ornatissimam hanc movet mundi molem a nullo motus, per se sufficiens, beatus et aeternus, totus in toto et in quaque totius parte persistens, cuncta animans, regens et gubernans, ita anima a deo creata et suapte natura immortalis, incorporea, per se subsistens dicatum sibi corpus regit, vivificat et informat et pro nutu suo movet, ducit et moderatur. Recte igitur Plato animam definit: ψυχή τὸ αὐτοκινεῖν, αἰτία κινήσεως ζωτικῆς ζώων, δύναμις τὸ κατ' αὐτὸ ποιητικόν, id est, anima est aliquid per se movens, causa vitalis motus animalium, potentia per se faciens. Sed, qualis sit ista nobis cum deo similitudo, ut aliquo ordine incedere videamur, prius ex animae, deinde corporis parte dicemus. Sicut enim deus est omnium autor animantium, ab omni materia longe alienus unicusque actus omnium purissimus, ita humana haec anima est primum vitae principium in hiis, quae apud nos vivunt, item simplex, unica et incorruptibilis. Nam, cum vita cognitione ac motu maxime dinoscatur, sola in corpore anima noscere et movere dicitur, quae quidem per se operatur, quia per se subsistit, per se nanque intelligit et contemplatur. Forma enim a corpore dependens et materia per se subsistere non potest et, quae per se non subsistit, per se agere non potest. Anima igitur nostra, ut autor est Plato, per se operatur et agit, quod bestiis est a natura denegatum, quia sentiunt tantum, et, cum sensitiva potentia nullam suapte natura operationem propriam habeat, quia sine corporeo organo nequeat operari, veluti ipsa vis intelligendi, ex hoc fit, ut ea per se subsistere nequeat. Et bestiarum animae una cum corpore videntur interire. Mens autem nostra sola est ex his incorporea, incorruptibilis et perpetua. Nam, si ex materia formaque constaret, singulares tantum formas caperet, ut imaginativa, cogitativa caeteraeque sensitivae potentiae faciunt, quae singularia dumtaxat admittunt, quia materia individuarum formarum dicitur esse principium. Cum igitur mens nostra universalia capiat et intelligat ab omni materia defecata nullumque individuum sensibileque admittat, incorpoream esse asseremus. Utrum autem, qui corruptibilem eam reputarunt, aliqua vera ratione moti sint, hinc consyderate, viri fortissimi. Omnis profecto corruptio ex separatione materiae et formae provenire omnium iudicio reputatur. Anima vero nostra, cum pura sit et simplex, solvi non potest. Deinde nec vos praeterit, perspicacissimi antistites, quodcunque per se alicui rei competit, id necessario semper inseparabiliterque ei inesse, ut rotundum circulo per se inest, neque circulum contingit sine rotundi-

tate consyderare. Talis autem orbita argento et aeri accidit, si ex 346
hac vel illa materia fingatur orbis. Quare argentum et aes de-
structo orbe rotunditate carere potest. Circulus autem neque ea
carere neque sine illa intelligi potest. Atque idem de trigono, te- 347
tragono caeterisque mathematicis formis dicemus, quae fere tan-
quam animae (quia inter corporea et incorporea sunt mediae) et
in materia mergi et sine materia esse videntur. Eodem pene modo 348
animae, quae corporibus exutae per se subsistunt et interire ne-
queunt. Addite et illud, quod omne corruptibile aut per se aut ali-
quo modo per eo, quae accidunt, corrumpi potest. Anima nostra 349
propria corruptione non solvitur, quia, cum omnis corruptio a contra-
rio proficiscatur, quoniam contraria sunt, quae mutuo sese perimunt,
nihil haec in se alieni contrariique habet admixtum. Immo, quae- 350
cunque suapte natura contraria sunt, in intellectu adversari desi-
nunt, in quo album et nigrum alterum alteri non est contrarium.
Quin etiam cognito uno cognoscitur reliquum, quando contrario- 351
rum eadem est disciplina. Neque per ea, quae accidunt, corrumpi
potest, quandoquidem anima, ut supra dictum est, per se subsi-
stit; neque haec aliquid est accidens, quod suapte natura per se
subsistere nequit. Item corruptio mutatio quaedam est, quam mo- 352
tus terminum esse opus est, et omne, quod corrumpitur, necesse
est, moveatur et, quod movetur, aut corpus aut aliquam formam-
a corpore dependentem esse opus est. Anima igitur, cum incorpo- 353
rea sit, corruptibilis esse non potest. Ad haec, quicquid corrumpitur,
iccirco corrumpitur, quia aliquid patitur; intellectiva autem anima
nullam recipit, nisi ab intelligibili, passionem et haec quidem passio
intellectum perficit, non interimit. Contra est in sensu, quippe cui sisen- 354
sibile excellentissimum obiiciatur, continuo corrumpetur, ut in oculo
nostro experimur, cui Sol fulgentissimus occurrat. Intellectus autem
a maximo perficitur intelligibili et, quo maiora intelligit, eo altius
perspicaciusque erigitur et illustratur. Post haec non ignoratis unum- 355
quodque secundum substantiae suae modum perfici et ex modo per-
fectionis cuiusque rei substantiae quoque dignitatem facile com-
prehendi posse. Cum caetera mortalia motu perficiantur, intellectus 356
noster non per motum, sed eo, quod est extra motum, perfici vi-
delur. Sedatis nanque perturbationibus corporis animique affecti-
bus scientia prudentiaque mentis perfectus efficitur. Hic autem in- 357
telligendi modus et motum superat et tempus, quibus corruptibilia
quaeque sunt obnoxia. Quare intelligentem animam nephas est cor-
ruptibilem reputare. Ne illud quidem duximus obmittendum natu- 358
ralia desyderia non falli, quando natura nihil frustra facit, et, quic-
quid intelligit, suapte natura desyderare, ut perpetuo sit, et vitam
quaerere meliorem, siquidem desyderium in his, quae intelligunt,
cognitionem sequitur et in pecoribus sensus sola temporis locique
praesentis cognitione illustratur. Mens autem nostra ubique ac per 359
omne tempus appetit esse perpetuo, qui quidem appetitus a natura
inditus, cum inanis esse non possit, explebitur tandem et perpetuam vitam sortietur. Proinde Dyonisium Ariopagitam divinitus lo- 360

cutum esse credamus, cum intellectivas substantias et mentes quoque nostras propter divinae bonitatis radios substituisse prodidit perpetuo etiam victuras et immortali vita donatas, ab omni corruptione, generatione ac morte alienas et ab instabili ac fluxa rerum varietate liberas. Ex quibus iam sat vobis patere potest nos dei similitudinem in hoc etiam esse sortitos, cum his mentibus divino beneficio donati simus, quae nullum unquam sint interitum subiturae. Attendite nunc etiam, quaeso, alias, quas in nobis gerimus, dei similitudines, ut, dum beneficia sua pensitamus, tam pium clementemque creatorem eo vehementius ex toto animo diligamus. Individuae Trinitatis imago nobis est insita. Nam, sicut memoria, intelligentia et voluntas divinam essentiam unicam representant totidemque nobis animae potentiae sunt divina benignitate inditae, quamvis longe aliter, ac in deo, quando ibi tres sunt personae, non unus dei, sed unus deus, in homine vero tres sunt istae potentiae, non unus homo, sed unus hominis. Mens autem nostra his viribus ficta summi creatoris contemplationem erigitur, in quo unitatem in trinitate et in unitate trinitatem intelligit. Quae quidem potentiae in homine quomodo sese habeant, operae pretium est audire, quod, ut facilius fieri possit, id imprimis attendendum existimavimus, quod, quanto quaeque forma nobilior est, tanto magis corporeae materiae dominatur, minus in ea demergitur suaeque vi corpoream molem magis esuperat. Itaque, quanto forma praestantior, tanto excellentius elementalem hanc materiam et eius formam praecellere videtur. Nam vegetabilium formae eas, quae sunt metallorum, antecedunt, his anima sensibilis longe praestantior et hanc quoque rationalis anima eminentius excedit, quippe quae in supremo mortalium rerum vertice sibi locum invenit et eam vim habet, in qua nihil est ei cum corporea mole commune. In homine anima est eadem numero sensitiva, intellectiva et nutritiva, quod cuique facile patere poterit, si mathematicas figuras contempletur, in quibus quidem pentagonus tetragonum continet et excedit. Eodem quoque modo virtute sua anima intellectiva complectitur, quicquid sensitiva, quae brutorum, et nutritiva, quae plantarum est, continere videtur. Quare plures in anima nostra potentiae sunt a natura inditae, quippe quae cum in confinio divinarum mortaliumque rerum esse videatur, ex hoc fit, ut in eam virtutes utrinque concurrant. Intelligentia enim et voluntas tantum animae insunt, tanquam dicato sibi domicilio, quia sine organo corporali operantur; caeterae vero potentiae, sensitivae, inquam, et nutritivae, quia sine corporis instrumento nihil agunt (ad videndum enim oculum, et ad audiendum aurem requirunt), non in anima solum, sed in toto composito consistere reputantur. Omnes nanque potentiae animae ad animam tanquam ad principium referuntur. Sed quaedam, quae tantum insunt, prout intellectus et voluntas, menti tantum curiose deserviunt et corrupto corpore in anima remanent. Caeterae vero potentiae, quae ex nutritiva sensitivaque parte proveniunt, quae corpori pariter animaeque parent, post mortem in anima non

remanent, sed tanquam in principio vel radice in ea virtutis suae
 vestigia nonnulla relinquunt. Verumenimvero ex tribus his generi- 373
 bus animarum varias potentias profluxisse videmus: ex vegetabili,
 generativa, augmentativa nutritivaeque provenit. Nam ad singula 374
 producenda generandi vis est inventa et, ut generata coalescant,
 emersit augendi potentia et, ut aucta servantur, nutritiva succurrit.
 Et haec quidem corporibus inanimatis ab agente naturali extrinse-
 cus accedunt. Quare has vires naturales appellamus. Sunt etiam 375
 et aliae potentiae animae his longe eminentiores, quia excellentius
 operantur. In anima enim, ut sint, omnia nata sunt, sed exuta ma-
 teria. Est enim anima quodammodo omnia, eo, quod omnia sen- 376
 tire et intelligere potest. Talis enim sensus et intellectio, quae res
 admittat ab ipsa materia denudatas, duplici modo fit et gradu quo-
 que duplici. Alter enim sensus est, alter vero intellectus. Sensus 377
 enim individualium rerum species accipit omni materia exutarum
 et accipit quidem organo fretus corporali; intellectus autem longe
 eminentius rerum species recipit omni profecto materia materiae-
 que conditione carentes et hoc quidem sine organo corporali, quia
 species dumtaxat intelligibiles et universalia tantum admittit. Prae- 378
 terea, cum ea, quae sentiunt et intelligunt, ad aliquid sensu vel in-
 tellectu duce inclinentur, appetitivam vim hinc compertam esse di-
 cimus et, quia ad id quod appetimus, ut perveniri possit, opus est
 motu, hinc quoque motivam potentiam invenimus. Ut autem sen- 379
 sus expeditius operetur, quinque requiruntur. Primum sensus, qui
 species a sensibilibus, quae offeruntur, accipiat, et hoc ad quin-
 que sensus pertinet exteriores. Alterum, ut quidam sensus commu- 380
 nis sit, ad quem omnia sensibilia delata perveniant, de quibus
 diiudicet et decernat. Tertium est, ut aliqua sit sensibilibus appre-
 hensio specierum, ubi hae receptae servantur, et hanc quidem po-
 tentiam imaginativam dicimus, quam plerique phantasiam appel-
 lant. Quartum est, quod intentiones aliquae requiruntur, quas sen- 381
 sus non apprehendit, ut puta, noxium et utile ac tale genus, ad
 quae quidem cognoscenda homo requirendo et conferendo perve-
 nit, caetera vero animalia proprio quodam instinctu percipiunt, quod
 in ove licet intueri, quae suam cum lupo inimiciam non ignorat,
 quare visum continuo fugit. Talis igitur vis, quae particulares col- 382
 ligit intentiones, in pecoribus aestimativa, in hominibus cogitativa
 nuncupatur et quandoque particularis ratio et passivus intellectus
 nominatur. Quintum est, ut quae interiores sensus acceperunt, 383
 tanquam fido quodam domicilio retineantur ac servantur et in con-
 syderationem revocata succurrant, et haec memoriae vis est, quae
 in caeteris animantibus sine aliqua operatur inquisitione, in homi-
 nibus vero cum studio exercetur et investigatione, ex quo fit, ut
 homo non modo memoria, sed reminiscencia muniatur. Memoriam 384
 autem dare ideo necesse fuit, quia sensitivarum operatio potentia-
 rum a rebus proficiscitur ad animam, contra vero memoriae ope-
 ratio, quippe quae ab anima ad res inquirendas suscitatur. Deinde
 vim appetitus dari opus est, qui, cum sensus sequatur apprehen-

sionem, in duas partes dividi solet. Nam aut aliquid est appetibile 386
 ea ratione, qua sensui congruum est et delectabile et hinc concu-
 piscencia plane deducitur, aut ea ratione, qua sic delectabilibus
 fruendi potestas cum aliquo impedimento et tristitia comparatur et
 hinc ira oritur. Vis autem motiva cum ad motum ordinatur, diver- 387
 sis animalibus variis modis inesse solet, quorum quaedam repunt,
 quaedam volatu, quaedam gressu, nonnulla saltu et subsultu fe-
 runtur, et suo quodque genus animantium agitur motu. Praeterea, 388
 cum motiva communis sit sensui ac intellectui, ex hoc fit, ut in-
 tellectiva potentia in cognoscendi appetendique vim distinguatur.
 Cognitio autem intellectum agentem requirit et eum, quem nunc 389
 possibilem appellant, alterum quidem uti praeceptorem, alterum ve-
 ro uti discipulum, qui doceatur. Quamobrem ad intelligendum 390
 sensitivae potentiae necessariae sunt, quia intellectui proprium ob-
 iectum deferunt. Nam, sicut sensibilia sensui, ita phantasmata in-
 tellectivae potentiae repraesentantur et, sicut colores videri neque-
 unt, nisi per lumen, ita phantasmata, nisi per intellectum agen- 391
 tem, actu intelligibilia esse nequeunt. Item, quemadmodum agen-
 tia superiora per agentia naturalia naturales formas pariunt, sic
 intellectus agens per phantasmata, quae actu intelligibilia reddit,
 scientiam in intellectu possibili efficere videtur, sive substantia sit
 ille seperata, ut multorum est opinio, sive lumen, ut sentio, quod
 nostris animis aequae, ac superioribus intelligentiis, impartitur. Cum 392
 autem possibilis intellectus intellecta receperit, quae diu speculatus
 est, tunc intellectum agentem admittet ab eoque penitus informa-
 bitur. Atque, veluti nunc per intellectum possibilem intelligimus, 393
 sic tunc per intellectum agentem non solum, quae hic natura pa-
 rit, sed substantias quoque seperatas cognoscemus. Intellectus au- 394
 tem agens, in quo adhuc vos haesitare censeo, est ipse deus, uni-
 cus animae nostrae creator beatorque, a quo et ipse lumen ac-
 caepit intellectus, unde illud probe dictum est: Signatum est su-
 per nos lumen vultus tui, domine. Est etiam tertia pars nostrae 395
 mentis, quam memoriam dicimus, quae ab illa, quae sensus est,
 admodum differt et species haec servat intelligibiles et in intel-
 lectu possibili sita est. Altera vero memoria, quae est in sensu 396
 collocata, particularia tantum sibi commissa retinet et recondit.
 Et, quia de ratione hucusque nihil dictum est, ne vim duplicem 397
 mentis esse reputetis, animadvertendum est intelligere nihil aliud
 esse, quam veritatem intelligibilem simpliciter apprehendere, rati-
 ocinari vero est uno intellecto in aliud progredi ad veritatem com-
 parandam. Ideo angeli sine discursu continuo veritatem inveniunt,
 homines contra ratiocinando et ex uno in aliud procedendo. Qua- 398
 re, sicut se habet motus ad quietem, quorum alterum imperfectum
 et perfectum est alterum, ita et ratiocinatio ad inellectionem.
 Quiescere autem et moveri ad eandem potentiam referuntur. Ratio 399
 praeterea duplex est, superior, inquam, et inferior. Superior autem
 divinis rebus intenta est et sapientia nuncupatur, inferior contra
 terrenis, quae prudentia et scientia dicitur; una tamen utraque

potentia est. Opinio autem et consultatio, quia contingentium est, 400
 scientia vero necessarium his longe est inferior. Item intellec-
 tus contemplativus et activus ad unam potentiam reducitur, at
 speculativus primorum habitus est principiorum. Synderesis autem 401
 primum est activi principium intellectus, unde in quaque rerum
 actione exactissimam veritatem inferre licet. Adde, quod appeti- 402
 tus, cum aut irascibilis aut appetibilis esse videatur, in animalibus
 brutis a vi aestimativa movetur, in homine vero a vi cogita-
 tiva, quae a quibusdam particularis ratio nominatur, quia singu-
 larium conferat intentiones. Sed haec particularis ratio in homine 403
 ab illa universali dirigitur et temperatur. Sicut enim in syllogis-
 mis ex universalibus propositionibus particulares conclusiones
 saepenumero colliguntur, ita universalis ratio sensitivo imperat ap-
 petitui, quippe qui, quantum ad motivam vim pertinet, subiici-
 tur voluntati. Ex his igitur, quae dicta sunt, quamvis in potentiis 404
 animae diutius inmorati sumus et fortasse plus, quam disputatio
 nostra postulabat, sat tamen patere cuique potest sanctissimae Tri-
 nitatis imaginem per memoriam, intellectum et voluntatem in no-
 stra plane anima relucere, quas quidem omnes, quantum in nobis
 situm est, ad cognoscendum, amandum et colendum creatorem
 nostrum intendere debemus, ne in tam pia similitudine profanae
 dissimilitudinis arguamur. Sed imaginis huiusce partes caeteras 405
 expiscemur, ne Beatricem nostram tam grandes materias postu-
 lantem in media oratione deseramus. Est etiam alia similitudo ani-
 mae nostrae cum deo superioribus non inferior, qua immortalita-
 tem indagamus. Quemadmodum enim deo unitas, quam monadem 406
 Greci dicunt, vere adscribitur, quae quidem non est numerus, sed
 numerorum parium, imparium, masculinorum faemininorumque
 fons et origo principii ac finis ignara, sic et magna ex parte men-
 tem nostram monada nominemus. Nam a sylvestris contagione ma- 407
 teriae aliena ac symplicem sortita naturam, cum corpus inanimat,
 miram auctoris praefert imaginem et, sicut punctum corpus non
 est, sed corpora facit, neque aliquo modo divisibile, ita et monas
 numerus non est, sed origo numeri, cui nec longitudo nec lati-
 tudo nec altitudo inest, sed quid indivisibile, symplex et perpe-
 tuum, sic quoque et deus et anima. Quanta ex parte animae sit 408
 nobis cum deo similitudo, sat habunde pro temporis angustia di-
 ximus, nunc vero, quam imaginem corpus representet, videre non
 indecorum est. Cum deum magni mundi animam esse dixerimus, 409
 hominem vero esse μικρόκοσμον, id est, parvum mundum, caele-
 stem etiam harmoniam humanam compositionem referre credimus.
 Anima tribus partibus absolvitur: logistica, thymica, epithymetica, 410
 id est, rationali, irascibili et concupiscibili, corpus vero ex quat-
 tuor elementis humores quattuor plane referentibus; homo autem
 ex anima corporeque compositus, ut caelestem imitetur sympho-
 niam, musicam facit, quae dyapason appellatur. Haec ex duabus 411
 constat: ex diatesseron et diapente; diapente ex hemiolio fit, dia-
 tesseron ex epitrito et est primus hemiolus ut tria et primus epi-

tritus ut quattuor. Quae ut liquidius accipiantur, non ignorandum 412
 est sex numeros ad conficiendam harmoniam convenisse: epitriton
 scilicet, hemiolion, duplarem, triplarem, quadruplum et epog-
 doun. Epitritus est, cum de duobus numeris maior habet totum 413
 minorem et insuper eius tertiam partem, ut sunt quattuor ad tria.
 Nam in quattuor sunt tria et tertia pars trium, id est, unum et hic
 numerus epitritus appellatur. Symphonia, quae hinc nascitur, dici- 414
 tur diatesseron. Hemiolius: cum de duobus numeris maior habet
 totum minorem et insuper eius medietatem, ut sunt tria ad duo,
 nam in tribus sunt duo et media pars eorum, scilicet unum; hinc
 diapente nascitur. Duplaris numerus: cum de duobus numeris 415
 minoribus in maiore numeratur, ut sunt quattuor ad duo, et ex
 hoc duplari numero nascitur symphonia diapason. Triplaris autem, 416
 cum de duobus numeris minor ter in maiore numeratur, ut sunt
 tria ad unum, et hinc nascitur symphonia, quae dicitur diapason
 et diapente. Quadruplus: cum de duobus numeris minor quater in 417
 maiore numeratur, ut sunt quattuor ad unum, unde symphonia
 venit disdiapason. Epogdoun vero est numerus, qui intra se habet 418
 minorem et insuper octavam eius partem, ut novem ad octo, quia
 in novem octo sunt et octava pars eorum, id est, unum; et hinc
 sonus oritur, quem τόνον musici nominarunt. Talem igitur harmo- 419
 niam in humana mola ad illius caelestis similitudinem licet intueri.
 Unitas enim nostrae mentis numerum parem imparemque pariens
 ex pari cubum solidi corporis statuit in octonario, quia bis bina
 bis octo faciunt, ex impari vero in vigesimo septimo, quia ter
 tria novem statuunt, ter tria ter viginti septem. Ex quibus quidem, 420
 ut supra diximus, numeris facta contextio homo fingitur, genera-
 tur, editur, crescit et consumatur. Itaque anima trina trinum deum,
 corpus vero mundanam hanc molem refert, compositum vero eius
 harmoniam. Sed corporis similitudinem prosequamur. Fabricam 421
 caelestem sphericam si forte dixeris, qua forma nulla praestantior
 invenitur, humanum quoque corpus rotundum est et aethereos or-
 bes emulatur, quoniam, si hominis longitudinem cum latitudine
 contuleris, eadem utrinque mensura referetur. Quod ut planius 422
 intelligatur, humanum caput accipe, quod orbis est instar, ubi duo
 lumina pro Sole ac Luna, caeterae vero sensuum fenestrae caete-
 ris planetis adscribuntur. Sed quid ita? immo planetae duodecim-
 que signa zodiaci totum sibi corpus vendicant humanum. Nam Sa- 423
 turnus dextram aurem, splenem, vessicam et flegma; Iuppiter
 tactum, pulmonem, costas, cartilagine et sperma; Mars sinistram
 aurem, renes et testes; Sol visum, cor, cerebrum, nervos et cae-
 tera dextrae partis membra; Venus odoratum, epar, carnem et 424
 ideo flores Aprili mense dicabantur, qui ἀπὸ τῆς Ἀφροδίτης nomen
 accepit; Mercurius locutionem, deliberationem, memoriam, lin-
 guam, fel et nares; Luna denique gustum, guctur, sthomacum, ven-
 trem naturaliaque faeminea ac caetera sinistrae partis membra suae
 ditioni adscripsit. Insuper Aries caput, Taurus gulam, Gemini hu- 425
 meros, brachia manusque, Cancer pectus, Leo cor et costas, Virgo

ventrem et intestina, Libra lumbos, nates et secreta naturae, Scorpio inguina, Sagittarius cossas, Capricornus genua, Aquarius crura, Pisces denique pedes. In signifero item circulo tercenti sunt et sexaginta gradus, totidem quoque sunt in humano corpore compages et iuncturae. Quattuor sunt elementa, quorum quaedam universalia sunt, ex quibus multa et diversa corpora componuntur, quaedam particularis, quae cuique corpori inde composita sunt propria, quaedam media, quae ex universalibus particularibusque subsistunt, ut puta, quattuor humores, qui ad similitudinem symplicium elementorum sunt compositi, ad similia vero membra considerati sunt symplices, ut in morientibus plane liquet, in quibus calor ad ignem, spiritus in aera, humores in aquam, caro demum et ossa in terram revocantur. Quae quidem elementa quamvis simplicia sensu videntur, intellectu tamen composita sunt, quia ignis absque aere et aqua sine terra non subsistit. Haec quoque elementa in humano corpore quattuor humores representant: sanguis, bilis, atra bilis et pituita; praeterea caput igni, praecordia aeri, ventrem aquae, pedes terrae, dextrum latus meridiei ac luci, sinistrum vero septemtrioni ac nocti dicatum ferunt. Varia rerum genera dices in terris astrorum influxu et naturae studio procreari. Totidem (mihi crede) finget perspicacissimum hominis ingenium, quae cum naturae operibus decertare videbuntur. Quid enim natura peperit, quod Phidias, Zeusis, Apelles, Timagoras, Parrhasius et Androgides referre non sint ausi? quid rerum visum est unquam, quod Protogenes, Aristides, Nicomachus, Fabius, Cornelius, Atticus, Timoniacus, Aristolaus longe melius coloribus non effinxerint? Ad Zeusidis uvas saepissime devolavere aves neque tenentem puerum reformidarunt. Topiaria loca tam bene Ludius expressit, ut in amenissima pariete villas, portus, maria, lucos, piscinas, nemora, colles, euripos, amnes littoraque prospicienda proponeret. Aves quoque garrulae depicto dracone consiluerunt. Et nihil denique fuit in toto rerum ordine, quod Asclepiodorus symmetria sua referre non confideret. Quamobrem, quicquid in hoc magno ornatissimoque mundo varium ac multiplex fecundissima natura peperit, id omne humanum ingenium in hoc parvo mundo mira arte referre conatur et ita conatur, ut in hac exigua mole alterum deum alteramque naturam et alterum denique opificem liceat intueri. Verumenimvero maximam aliquis inter utrumque mundum dissimilitudinem esse dicet, quandoquidem hic infinita morborum genera dominantur et aliae sunt in aethereis orbibus inmunitates. Nobis autem ingenue fatere licet, cum omnia, quae sub orbe Lunae sunt, assidua generatione corruptioneque vexentur et praeter mentem nostram nihil hic inveniri possit, quod durabile sit et incorruptibile aliquod esse inter utrumque discrimen, sed tamen caelestia corpora quoquo modo suis morbis carere non videntur. Sol et Luna eclipsim patitur, idem quoque caeteris planetis accidit, qui saepe iniquo hospicio, iniquo quoque congressu et comitatu premuntur, aduruntur, retro gradiuntur, occidunt et

propria saepe potestate spoliatur neque fortunata et infortunata
 sibi domicilia desunt neque infestissimi adversarii perfidaque te-
 stimonia. Quae quidem omnia mali bonique vicissitudinem referen- 438
 tia iccirco superioribus adscribuntur, ut in inferiora sentiantur, cum
 illis nihil insit verae egritudinis et miseriae. Sed non inmerito di-
 vina illa rerum providentia nos tot morbis reddidit obnoxios. Ver 439
 enim lippitudines, pustulas, profusionem sanguinis, abscessus cor-
 poris, qui Graece apostemata dicuntur, atram bilem, insaniam,
 comitalem morbum, anginam, gravedines destillationesque affert.
 Aestas vero continuas tertianas ardentisque febres, vomitus, alvi 440
 deiectiones, auricularum dolores, oris ulcera, canculos quam ma-
 xime in obscenis. Autumnus incertas et exitiales febres, dolorem 441
 lienis, morbum intercutaneum, tabem, stranguriam, ileon, levitatem
 intestinorum, cossae dolores, comitales morbos, pestilentiam et
 quartanas. Hyems denique capitis dolores, tussim et quicquid in
 faucibus, lateribus visceribusque mali contrahitur. Quin etiam sin- 442
 gula membra propriae infestant egritudines: caput cephelea, phre-
 nesis hydrocephalos, cynicus spasmus in facie, corizae, catastag-
 mos, item alienationes, litargia, obstupefactiones, vigiliae, conge-
 latio memoriae, corruptiones, scotomiae, vertigines, dormitiones,
 apoplexia, epilepsia, amor et melancolia; oculos ophthalmia, sca- 443
 brities, caligatio, lippitudo, hypochysis, paralysis, mydriasis, imbec-
 cillitas; aures vero vermes, oppletio, surditas, sonitus, nares carun-
 cula, polypus; os dolores dentium, aphthae, tonsillae, parolides,
 sidus; cervicem opistotanos, emprostotanos, tetanos; fauces angina, 444
 uva, synanchae, parasynanchae, dispnoea, aschma, orthopnoea,
 tussis; stomachum mala digestio, fastidium, diarria, lenteria, vo-
 mitus, singultus, inflatio, eruptio, sanguinis et lactis coadunatio
 item aestus, inflammatio, exulceratio, pituitae et bilis ortus et eius
 denique resolutio; pulmonem peripneumaticon et tabes; iecur epa- 445
 ticos; lienem tumor, renitentia; fel et splenem icteritia; renes arena,
 lapis, apostema, vulnera, sanguinolenta demissio; ventriculum celi-
 acus, intestina bilis, ileos, chordapsos chordiosque, item tormina,
 levitas, fluor, lumbrici, tenasmos neque deest quandoque profusio
 seminis; genuum, articulorum, pedum manuumque dolores neque 446
 caeterorum quoque malorum cohors abest, ut cancer, calculus,
 varix, erisipila, carbunculus, carcinomata, vomice, therioma, her-
 peta, eschiomenon, sacer ignis, chironeum, struma, tubercula, ver-
 rucae, furunculi, pani, phimata, phlygetron, fistulae, melicera, acro-
 cordona, thymium, myrmecium sive informicatio, clavi, pustulae,
 scabies, impetigo, vitiligo, alopecia, perrigo, vari, lenticulae, eph-
 elides, ptheriasis, phagedena, glandula, ragadia, condylomata, pro-
 cidentiae, fungi, entherochele, hernia, ischiaci, lychenae, pleuresis,
 morphea, varix, locorum labor, elephantia, attonitus, supparatio,
 satiriasis, perniones et cachexia. Tot igitur morborum genera pa- 447
 timur, ut totidem Pandoram in brevi pyxide, ut inquit Hesiodus,
 lovis ira ad mortales vix deferre potuisse credamus. Quod non 448
 sine magna ratione a divina providentia factum est, ne homo aethe-

reae mentis compos tanta insolentia efferretur, ut altissimo deo se similem reputaret neque originis creatorisque sui memor esset neque se ipse cognosceret et infimarum denique rerum ita cupiditate demergeretur, ut summa suspicere nequiret. Haec nobis com- 449
moda mala suggerunt, quae, si recte senserimus, bona potius quam mala reputanda sunt, quandoquidem hinc fortitudinis et patientiae seges et materies provenit, hinc boni malique cognitio, qua universi perfectio carere non debuit, hinc magna praemia assequendi occasio atque utilissimum virtutis exercitamentum, quamvis, ut vera fateamur, nihil viro sapienti in hac vita mali accidere potest. Nam, 450
si malum dicitur, quod obest, haec omnia, quae vulgo mala reputantur, ad fortissimi hominis decus et salutem comperta sunt. Ha- 451
betis igitur, satrapae docilissimi tuque, suavissima filia, quantum pro temporis licuit brevitate, nonnulla de mundi creatione, de orbibus aethereis, de angelis et de humana denique cum deo similitudine et vestris me precibus adegistis, ut aliquandiu vagatus ad disputationem et serus redeam et defatigatus.

REX MATTHIAS ET BEATRIX REGINA.

REX: Satisne tibi factum putas, filia nimium sciendi cupida? 452
sed hoc arte tua factum est, ut, dum me latius coegeris philoso- 453
phari, huiusmodi difficultate intenti retundantur et hebetentur aculei. Sed nobis hodie statutum est exactissimum hoc tuum ingenium experiri. Ea vero, quae me hactenus referre compulisti, 454
nonne vides tuae causae nimium adversari? nam, si deus semper agit semperque creat et nova parit reparatque omnia, ne pulcherimus rerum ordo varietasque intereat, et nos etiam fecit ad imaginem similitudinemque suam et in hoc nostra perfectio versatur summaque faelicitas, ut et intelligendo et agendo eum imitemur, quo facilius similes esse videamur, ergo tunc id omne assequemur, cum liberos pudicissima et coniugali coppula genuerimus, cum hoc Christianae reipublicae seminarium pie sancteque propagaverimus. Contra, qui per sterilem virginitatem interire patiuntur, non 455
nisi et impii et dissimiles videri possunt. Haec autem, quae collegimus, Homaeri sententia confirmare non erit absurdum, qui Mysios ac Thraces sine mulieribus vitam ductitantes Abios, id est, minime vivos appellat vitamque caelibem uxoribusque carentem dimidi-
atam reputat similique exemplo Protesilai domum semiperfectam fuisse dixit, quia absque coniuge foret. Epaminunde quoque vitio 456
datum est, quod uxorem non habuerit. Quare, divo poetae credere si nolueris, perinacis potius, quam equi erit ingenii.

BEATRIX REGINA: Divina haec tua oratio et perquam 457
conmoda salutarisque digressio ne me quidem, ut putas, exanimavit, pater, neque consternavit, quando hinc multa sunt oblata meae causae adminicula. Sed, ut ingenue fatear, stupor inmensus 458
mihi caeterisque satrapis mentem abalienavit, quod multa vidimus te divinitus elocutum, et ita adhuc stupidi attonitique convivae

iacent, ut eorum mentes longius relegatae videantur, et ita hac altissima rerum expositione in diversa distracti sunt, ut nondum sese colligere queant. Me autem, pater, quando respondere adegisiti, 459 liceat, quaeso, mihi tua bona venia libere tua dicta pro virili parte refellere, ut et veritatem simul et virgineam maiestatem iure defendam. Imprimis igitur, quod de similitudine dei obiecasti, aliter nobis imitandus est deus, ut eius imago in nobis elucescat. Deus, 460 ut supra dixisti, si semper se ipse intelligit et contemplatur, quod, cum facit, omnia videt et intuetur, et haec est eminentissima eius operatio fecundissimaque faelicitas. Atque, cum ipsa contemplatio 461 omnes superet actiones, ne ullo quidem alio elegantiori modo deum imitari poterimus, quam ut omni studio eum intelligere et per eum nos cognoscere enitamur. In gingendis vero liberis vel nulla vel parva est dei imitatio, quia deus res creat et facit neque se creando contaminat et faciendo. Contra nos liberos patrare non possumus, quin aliquid in sacello mentis piaculum commitamus. Quod autem de Mysiis et Thracibus dicis, illud, pater, 463 addere noluisti, ut causae tuae plus aequo faveres, eos, ut sanctius deos colerent, procul a mulieribus victitasse, abstinuisse a pecoribus et melle ac lacte caseoque tantum vesci solitos, qui iustitia praestantissimi et honoris gratia sanctissimi ac liberi sunt habiti. Nunc reliqua expectamus.

REX MATTHIAS ET REGINA BEATRIX.

464

REX: Postquam acerrime incipis reluctari, filia, expergiscendum est mihi. Nonne divinae bonitatis fecunditatem imitandam esse censes?, cuius quidem talis videtur esse natura, ut semper sese rebus communiscet et impartiat, unde rerum varietas nascitur et genera quaeque servantur. Atque haec est supremi natura 465 boni, ut alia quoque bona pariat et eo quodque bonum praestantius existimatur, quo communicabilius esse censetur. Quod si communicabile non sit, excellens bonum reputari nequit. Quod autem 466 sibi tantum et non alieno conmodo deservit neque simile quid sibi parit, sterile profecto est ac inutile et sibi dumtaxat natum. Proinde id est suapte natura bonum, quod bonitatis divinae fecunditatem emulatur et ex se complura parit similia. Antiquos autem 467 haec plerosque sententia compulit, ut steriles e templo mulieres amoverent, quin et coniugatas saepe repudiarent agricolas imitati, qui immunes plantas agris evellunt. Quod si deus Mariam virginem 468 sibi sponsam non ascivisset, adhuc redemptore nostro careremus neque perpetua illa virgo tanti apud superos inferosve facta fuisset, nisi divinitus continuata virginitate dei filium peperisset. Quin 469 etiam illud adde dictum Euripidis: πάντων γὰρ ἀνδρώποισι φιλότεκνος βίος, id est, omnibus hominibus vita inest filiorum amatrix, quos ab excellenti amore vere filios appellamus. Quare virginitas, cum 470 sterilitate tantopere delectetur, non potest iure coniugali pudicitiae anteponi, quandoquidem res altera reparat, rerum altera parit interitum.

REGINA BEATRIX: Me acrius adurges, pater, neque tibi
 ingratum est Beatricem tuam hisce dictis pervicacius oppugnari.
 Ergo e templo submovenda, repudianda et iccirco contemnenda
 est Beatrix tua, quia nullum adhuc divina clementia genialis thori
 fructum ostendit? incassum invito dei numine curatur Hymenaeus
 neque, si quid inest cuiquam sterilitatis, vitio dari debet, quando
 non sine divino numine liberi procreantur et quam maxime hii,
 qui mortalium gubernationem adituri sunt. Neque deus fecundita-
 tem quandoque abnuens mali cuiusquam autor esse potest, cum
 ex profluentissimo illo bonitatis fonte non nisi bona omnia pro-
 venire queunt, neque malum cuiquam deus intulit neque malum
 quicquam dici potest, nisi cuius ipse sibi quisque autor extiterit.
 Qui solum sibi sub Aquilone statuet, ei non tam cito natura mo-
 litur neque tam facile concedit deus. Non una nocte factus est
 Hercules. Quod autem de divinae bonitatis fecunditate et eius
 imitatione loqueris, bonorum operum fecunditatem emulemur, qua
 nil prestantius esse potest. In eo enim excellere non videmur, quod
 nobis cum bestiis videtur esse commune. Quaeque animalia pro-
 creant suamque speciem maiore fecunditate tuentur, ut in multis
 animalibus fieri videmus. In his, quae sunt a natura, neque laus
 est, pater, neque victuperatio. Aliter nobis quaerenda est laus et
 dignitas. Quid enim maiora pluraque comoda parit, quam sancta
 virginitas?, cuius praesentia iminentia mala repelluntur, cuius prole
 caelestia regna replentur, cuius unico tantum suspectu ac praece
 et deus et cuncta sydera flectuntur et irata numina continuo mi-
 tescunt. Non stulta antiquorum iudicia, sed euangelica documenta
 servanda sunt. De interitu mortalium, quem virginea sterilitas af-
 ferre posset, nihil est, quod dubites, cum humanam fragilitatem
 nulla iudicia coercere queant. Non omnibus datum est virgineam
 servare sanctitatem. Quod si omnes iuxta mares et faemellae vir-
 gines forent, adhuc non esset de communi interitu dubitandum,
 cum et primum hominem deus de terra finxerit et, si quid poetis
 tribuendum est, de lapidibus homines Deucalion et Pyrrha instau-
 ravit. Quare λαοὶ recte apud Graecos populi dicti sunt. Et Myr-
 midones in Egina ex formicis sunt a love reparati. Sunt etiam
 tot angelorum miriades et ierarchiae, quae non ex maculosa pro-
 pagatione, sed subita dei dispositione illico sunt editae.

REX MATTHIAS ET REGINA BEATRIX.

REX: Ne mihi subcenseas, amabo, mea Beatrix, unica bea-
 titudo et voluptas, in hanc partem ne accipias quidem, velim,
 quando te malim, quam caetera omnia, et meae potius vitae re-
 nunciarem, quia neque sine te neque a te procul vivere mihi licet.
 At quanta non modo argutia haec tua est, sed ingenii dexteritas!?
 Ut mea dicta facilius confutares, in hos me trahis dulcissimi cru-
 tiatus affectus. Id tandem scito me coniugalís pudicitiae iura obs-
 tinatius esse defensurum, cum sanctissimo nostro coniugio iam

experiar nihil ad transigendam hanc humanae vitae miseriam salu-
tarius esse ac iocundius. Quare, quia indulgentissimo patri sub- 486
irata esse non potes neque usque adeo indignata, quin unicum te
mihi osculum reconciliarit, hanc aliam accipe rationem, cum pri-
mam mirifice confutaveris. Non te praeterit, filia, tempus in rebus 487
humanis et divinis non parum auctoritatis sibi vindicare et, quae
prima sunt, tempore omnibus videri potiora atque digniora. Con-
iugalitatis pudicitia fuit virginitate prior. Nam, si primi parentes hu- 488
mani generis autores sterilem virginitatem adamassent, ne coalu-
isset quidem genus humanum neque natura tam pulchro et divino
munere frueretur. Immo nulla sanguinis et cognationis lege ser- 489
vata nullaque ratione habita pudoris, quando ab initio res ita
postulabat, maximam genio dedere operam et prisci homines cre-
scere et multiplicare terramque replere iuebantur. Metellus censor 490
sine matrimoniorum frequentia civitatem salvam esse non posse
persuasit. Quin etiam Lygurgi erat lege sancitum, ut, qui ante
trigesimum annum uxores non haberent, pro infamibus haberen-
tur. Persae, qui plures liberos parerent, amplissima praemia prae- 491
ponebant. Optavianus Augustus de adulteriis, de pudicitia, de ma-
ritandis ordinibus legem tulit. Accitos Germanici liberos populi
obstentavit et manu vultuque significavit, ne iuvenis exemplum
imitari gravaretur. Divortii modum imposuit, tempus sponsas 492
habendi coarctavit, maritis e plebe proprios ordines assignavit
atque his, qui e plebe regiones sibi revisenti filios filiasve appro-
barent, singula nummorum milia pro singulis dividebat. Item, quia 493
soboles civitati necessaria visa est, ad prolem populi frequentan-
dam variis premiis lege Iulia homines invitabantur, qua priori ex
consulibus sumendi fasces potestas fit, non qui pluris annos natus
est, sed qui pluris liberos, quam collega, aut in sua potestate
habet aut bello amisit. Sed, si par utrique numerus liberorum est, 494
maritus, haud, qui in numero maritorum est, praefertur. Quare cae-
libes maritis erant inferiores. Item instituta sunt trium iura libe-
rorum. Quamobrem, si ea, quae sunt tempore priora, digniora 495
quoque censentur, et ideo apud antiquissimos Romanorum neque
generi neque pecuniae praestantior honos tribui solebat, quam
aetati, maioresque natu a minoribus colebantur deorum eque, ac
parentum, fere vice et seniores a minoribus domum reducebantur
eosque a Lygurgi legibus habuisse, quibus maiorum verus om-
nium honos maiori aetati habebatur, et antiquorum legibus insti-
tutisque usquequaque sancitum, ut coniugalem colerent pudicitiam
eamque religiosius observarent et haec post mundi creationem,
antequam virginitas venit in lucem, illi iure debet anteponi.

REGINA BEATRIX: Venerandam semper aetatem, nisi quid 496
obstiterit, non negarim. Sed illud assumptum, pater dulcissime, ut
ex tuis dictis iam dudum sum edocta, pace tua confutari potest. Nam 497
multa, quae sunt tempore priora, non sunt tamen illa digniora.
Materia prima et quaecunque vicem eius tenent, prior videtur
esse, quam forma, neque tamen ea videtur esse praestantior, cum

ab illa perficiatur, neque sine illa esse potuisset. Augustus autem, 498
 si proprium locum in theatro maritis plebaeis assignavit, cur non
 illud adiecisti, pater, quod virginibus in theatro Vestalibus contra
 tribunal praeoris suppressum locum dicavit, sed omnia in tuam
 causam trahis et filiam tot insidiis praevertere pergis. Quare neque 499
 pudicitia vetustate videtur esse virginitate praestantior neque lex
 vetus, quae propagandi humani generis necessitatem attendit, est
 nova salvatoris nostri sanctione dignior.

REX MATTHIAS ET REGINA BEATRIX.

500

REX: Meis armis me oppugnans, filia, et arte mea laedi vi- 501
 deor. Postquam hinc res non succedit, siquidem hac ingenii tui
 subtilitate mirifice delector responsisque assentior tuis, quid ad
 ista respondes? Quam grata sit deo hobedientia sacrificio longe 502
 gratior et divinorum quanti momenti sint obsequia mandatorum,
 te non fugit, eruditissima fili, neque illud ignoras: Dimittet homo
 patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae. Item et illud: 503
 Quod deus coniunxit, homo non seperet. Ex quibus iam tibi con-
 stare potest, quantum deus omnipotens pudicitiae tribuit coniugali.
 Tu quoque divinum hoc praeceptum, ut caetera, iam secuta dulcem 504
 Italiam, divum parentem fratrumque cohortem dimisisti, ut Mat-
 thiam divinitus tibi destinatum in aquilone sedentem invenires
 eique per castra efferasque nationes te sociam comitemque prae-
 stares. Deus viros mulieresque iugat et nihil facit quidem, quod 505
 non omni sit ex parte bonum et laudabile. Noli damnare, faustis-
 sima Beatrix, quod ipsa praestitisti, neque dei voluntas reprehendi
 potest, quae non potuit, nisi bona, appetere et praestare. Non sine 506
 divino numine pudica coniugia copulantur. Item nuptiae imperan-
 tur, virginitatis vero nulla praecepta leguntur. Quod si virginitatem 507
 dominus imperasset, nuptias damnare et hominum seminarium,
 unde virginitas nascitur, auferre videretur. Neque tu ab apostolo
 nostro dissentire debes. Diligite, inquit, viri, uxores vestras, sicut
 et Christus ecclesiam. Atque, cum Christus ecclesiam suam, spon- 508
 sam, inquam, dilectissimam tantopere dilexerit, ut pro ea se morti
 exponere non dubitarit neque ille quid optaverit, nisi quod sit
 praecipuum et eximium, ex hoc fit, ut coniugalem pudicitiam tali
 exemplo invitati caeteris rebus anteferre debeamus.

REGINA BEATRIX: Etsi filiulam tuam validissimis circum- 509
 venis argumentis, pura tamen mulier puram veritatem defendere
 non diffidet et praesertim, cum dicta tua tam perspicua sint et
 illustria, ut et casum et diverticulum casus ostendant. Quascunque
 in medium leges attulisti, indulgentiae sunt leges, non imperii.
 Nam deus pater indulgentissimus fragilitatem humanam miseratus 510
 et necessitatem propagandi hominis contemplatus id indulxit atque
 eam viam exhibuit, qua et saluti et propagationi consuleretur hu-
 manae, neque voluit eas aedere leges, quas non nisi rarissimi idem-
 que semidei praestare possent. Nam, quantae difficultatis sit ser- 511

vare virginitatem, inter tot hominum miriadas paucissimus virginum numerus ostendit. Tu autem, pater sacratissime, non ignoras, quoniam membra nostra, ut ait apostolus, templum sunt Spiritus Sancti, qui in nobis est, quem habemus a deo, et non sumus nostri, sed empti sumus pretio magno. Quare glorificandus est nobis deus 512 et in corpore nostro portandus. Quod autem dimissa Italia relictoque pientissimo parente ad te posthabita virginitate pervenerim, testor deum inmortalem et sanctissima utriusque regni numina, quod nunquam deserta virginitate coniugium aliquod subivissem, nisi me tibi divinitus destinata intellexissem. Neque ex tot, qui 513 offerebantur, principibus quisquam unquam meum subivit animum. praeter te unum, quem propria iustitia et virtute amplissimum sub aquilone imperium comparasse et tam claris te quotidie victoriis illustrare audiebam unicumque esse infidelissimi furoris domitorem. Non potui ultra mihi ipsa reluctari, quin tuo numini virginitatem 514 meam dedicarem. Et tuam in hoc testor quam maxime conscientiam, quod, nisi miserabili desyderio liberorum utrique duceremur, virgineam adhuc quoque vitam ageremus. Non igitur adduci poteram, ut angelicam eam vitam ipsa desererem, nisi hac spe victa 515 fuisset et illa Euripidis sententia, de qua paulo supra dixisti, quae omnibus hominibus inesse propagandae prolis desyderium ostendit, ut, qualem Matthiam in Italia audiveram, talem Christianae reipublicae et mortalium saluti ex te filium procrearem.

REX MATTHIAS ET REGINA BEATRIX.

516

REX: Dimissa haec face, filia. Non tam nostra, quam divorum 517 numinum, quae Pannoniae presunt, haec cura est. Ego interea sat me mea Beatrice beatum duco. Oratio tua pios iam iam mihi 518 concitavit affectus et ita concitavit, ut intentum mentis acumen hebentaris. Sed quid ita mea dicta refellis omniaque supra faemineam facultatem resolvis? At quid ad haec? Solent homines ea multo 519 mercari, quae sibi necessaria fore ducunt, et maximum saepe rebus pretium facit ipsa necessitas neque tanti in amnonae caritate frumentum faceremus, nisi ea carere non posse videremur. Iam 520 omnibus plane constat, quam difficile est hanc nostram animulam tot perturbationibus obsitam in corporeo hoc carcere demersam incolumem conservare, cui, quamvis libera potestas, tamen tam scevus et improbus inest appetitus, ut vix ratio ad eam liberandam sat esse videatur, nisi divinum adsit auxilium, quod voluntatem muniat et deprimat appetitum. Hac enim corporis et animae 521 affinitate factum est, ut vis rationis sine divina gratia extare et imperare non possit. In tanta igitur difficultate indulgentissimus caeli terraeque pater pudicitiam coniugalem invenit, qua animae corporisque saluti habunde consuluit, cum non omnes ea fortitudine sint et divina gratia muniti, ut sibi dominari queant, et, cum melius sit (ut inquit apostolus) nubere, quam uri, et non parvi quoque sit periculi vitam ducere caelibem, ut male his accadat,

non secus, atque illis, qui magna pericula aggrediuntur et in medio saepe curriculo desunt, tutius hac via est agendum. Nam et animam servamus et a corporeis insidiis tanquam a perfidis grassetoribus non capimur neque obtruncamur. Enos uxorem habuit et deo quoque fuit acceptissimus. Item Enoch uxori alligatus et cum deo tamen ambulavit, immo in caelum raptus est. Mathusalem et Lamech caelibes non fuere, itidem et Noe, cui mundi instauratio post maximam diluvii vastitatem commissa est. Habraham trigamus fuit et ob fidei meritum benedictionem in filii generatione suscepit. Isaac monogamus, tetragamus vero Iacob, siquidem Lyam, Zechelem, Ballem Selphenque uxores habuit. Neque Moses servulus ille ita deo gratissimus, ut coram cum divina maiestate loqueretur, uxore caruit; neque Samuel, qui ab infantia in tabernaculo nutritus est; neque David, qui a deo secundum cor eius servulus est inventus, e cuius femore puer salutis nostrae autor edendus erat; neque sapientissimus Salamon, qui nihil ignoravit, quod humana mens intelligere potuisset; neque Iosias magna iustitia praeditus; neque Zaccharias vir ille sanctissimus; neque Petrus apostolorum princeps et supremi ianitor paradisi. Quibus quidem omnibus ne qua daretur contemnerandae sanctitatis imperiosa necessitas, coniugali pudicitia propriam sanctimoniam non modo compararunt, sed comparatam quoque conservarunt. Quas ob res, cum sine pudicitia coniugali recte sancteque vivere non liceat neque tutum sit servare caelibatum, iure virginitati virtutem hanc ducimus anteponendam. Et ego in re mea facio coniecturam, cui si domi militiaeque assidua Beatrix non adesset, quae omnem adimit delinquendi potestatem, vix in tanta licentia mihi liceret rationis et regis servare dignitatem.

REGINA BEATRIX: Hisce dictis me, lepidissime pater, incessis et mordes? Sic tuam lacessere iuvat Beatricem? Non temere, non imprudenter, non inhumane agimus, si te per castra sequimur, si maiestati tuae semper adsumus, si in locandis castris, in obsidendis urbibus, in oppugnandis hostibus, in proterendis infidelibus fidelem et benignum comitatum afferimus, ut, veluti paulo ante dixisti, quos deus coniunxit, semper una coniunctissime beatissimeque vivamus. Sed, quod de necessitate hac retulisti, cuique facta est bene vivendi potestas; quisque, si velit, potest sequi rationis imperium et bene coniunctus vivere et divisus; unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat apud deum. Servus vocatus es? non sit tibi curae? Sed, si potes liber fieri, magis utere; igitur, qui in matrimonio iungit virginem suam, bene facit et, qui non iungit, melius facit, ut inquit apostolus praeceptor ille gentium. Quare laudo utranque vitam, sed virgineam longe magis. Quod de viris sanctissimis obiicis, necesse fuit, pater, sylvam ante plantari et crescere, ut esset, quid deinceps posset excidi. Enoc, quia primus deum invocaverit in creatoremque crediderit, meruit in diluvio servari. Noe, quia humani generis alter autor futurus erat, cum uxore ac liberis conservari non fuit

iniquum, verum in arca, quae dei ecclesiam referebat, eius filii ab uxoribus suis seiuncti fuerant. Abraam signum fidei in circumcisi-
 one recepit. Isaac unius Rebecchae vir Christi praefigurat eccle-
 siam et digamie sugillat intemperantiam. Iacob in Assyria Me-
 sopotamiaque æcri servitute pressus duas bigas uxorū concubi-
 narumque habuit; sed, cum terram sanctam ingredi vellet, prius
 in monte iuravit se nunquam in regionem pristinae servitutis esse
 reversurum; ad torrentem cum angelo colluctatus claudicare cepit,
 et πλάτυνερον eius emarcuit atque Isdrael appellatus est. Moses,
 cum deum vidisset in rubis loquentem, nequaquam ad eum acce-
 dere potuisset, nisi prius corrigiam calciamenti solvisset nuptia-
 rumque vincula abiecisset. Accedit ad hoc, quod Adæ praevari-
 catio ac dira peccati prisci detestatio non solum ab eo tempore
 ad Mosem, sed in adventum usque Iesu Christi debaccata est. At
 post salutarem nostri salvatoris adventum, qui in apostolicam di-
 gnitatem delecti sunt, omne coniugale officium reliquerunt et, si
 quae superfuissent, uxores pro sororibus habuerunt.

REX MATTHIAS ET REGINA BEATRIX.

REX: Multa iam dudum a natura, a tempore, a necessitate
 denique argumenta deduximus, quibus te circumvenire et convin-
 cere sperabamus; nunc vero, cum, quaecunque obiecta sunt, enyg-
 mata Edipodis more resolvas, filia, non parum in horam tuum
 ingenium cogor admirari et, quo magis admirer, alia subinde dis-
 quiro et excogito argumenta virilem dignitatem miseratus, quamvis
 non tam indecorum sit virum acerrima disputatione a muliere su-
 perari, quam periocundum et admirabile angelicam in faemina in-
 spicere perspicaciam. Quare, nescio quid nuper excudi, quod utrum
 facile refellas, experiare, filia.

REGINA BEATRIX: Exprome, pater, quod excogitasti. O
 quam tuum hoc altissimae sapientiae pelagus hodie permensa ve-
 reor, ne demergar ibidem.

REX: Multa sunt, filia, quae, cum nimium delectationis ho-
 minibus afferant, magnum inde pretium sibi vendicant, ut canes,
 aves talesque delitiae, item tabulae, signa, statuae, archetipa et
 anaglyphi, vasa, horti, nemora, xisti caeteraque amenissima loca.
 Quia omnia oblectari cupiunt et tristitiam animalia quaeque suapte
 natura abominantur, satius profecto foret hominem non esse edi-
 tum, quam in sollicitudine et dolore perpetuo vivere. Quae quidem
 res iam multis intercipiendae vitae causa fuit, ne, dum viverent,
 minus vivere viderentur. Quare, ut experientia saepe compertum ha-
 bemus, delectatio multis rebus pretium facit. Ego autem, quia nemo
 usque adeo deperditus est, qui aliquando non aliquid veri et boni
 dixerit, eam Epicuri sententiam tua bona venia nunc in argumenta
 nostra, Beatrix, admittam ita saepe dicentis: ὁρος τοῦ μεγέθους τῶν
 ἡδονῶν παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις, id est, definitio magnitu-
 dinis voluptatum est omnis doloris sublatio. At nihil est, filia,

quod dolorem magis auferat, quam uxor dulcis et pudica, qua
 nihil potest iocundius inveniri. Ex hoc igitur fit, ut nihil pudicitia
 coniugali excellentius arbitremur. Atque, si in causa propria pro-
 prium quoque testimonium perhibere licet, ante faelices tedas mihi
 in tam fluctuanti regno ab inmitissima barbaria circumvento nun-
 quam requiescere neque sine aliquo mortis periculo animum re-
 laxare licuit, quin etiam me solum et ociosum tot ac tantae cir-
 cumstabant vitiorum insidiae, ut saepe ad dominum deum exclamarem,
 sua ope succurreret neve servulum suum temere capi pateretur.
 Qua quidem tempestate nunquam magis quiescere poteram,
 quam cum maxime eram inquietus. Non solum animum curis,
 sollicitudinibus et periculis exercebam, sed corpus assiduo labore
 defatigabam. Modo castra locabam, modo locata movebam,
 revisebam stationes, contubernia lustrabam, equitum turmas frequen-
 tissime recognoscebam, imperatam transvectionem saepe videbam,
 audiebam militum lites ac iurgia, singularia quandoque certamina
 spectabam ac saepe parum spectata dirimebam, id impensius curabam,
 ne saeva vitiorum tentamenta, quae ex occulto grassantur,
 me aut incautum offenderent aut ociosum, et nusquam satis
 tutus videri poteram. Postquam vero te, mea Beatrix, regni
 consortem ac vitae sociam accaepi, pro concessa hac sanctissima
 voluptate caeterae improbae abiire libidines, quae meo semper
 animo perniciosae insidiari videbantur, atque caeterae molestiae
 recedere, quarum olim aliis explosis aliae succedebant. Accedebant
 enim nova crimina, severa iudicia, edaces curae, dirae sollicitudines,
 ingentissimi metus, insanae perturbationes, fidei et taciturnitatis
 inopia et, si qua copia aderat, formidolosa erat experientia,
 quando nihil humana mente sinuosius ac magis varium. Nunc vero,
 cum habeam te meae animae dimidium, qua cum omnia loqui
 possum, ut mea cum animula, cui non solum consilia communicare,
 sed ea es sapientia, ut consulere possim, et, cum te habeo,
 omnia mea desyderia expleantur, voluptates vero inexplebiler
 augentur; nunc, quid excellentius hac concessa voluptate iudicem,
 quae me caeteris improbis voluptatibus liberat et beatum facit,
 non facile reperio. Cur in sponsalibus anulum quarto levae
 manus digito inmittebant, a quo nervulus ad cor usque descendit,
 nisi quod duos animos hoc uno vinculo obstringi significabant?
 Cur sacellum in palatio deae viri Placae dicarunt? cur ante Iu-
 nonis templum fel victimae defodi iubebant, quod introferre ne-
 phas erat, nisi quod nullam inter virum et uxorem discordiam ac
 litem esse volebant? Quid enim Pompeio maiori voluptati fuisse
 censendum est, quam uxorem Iuliam, a qua, ut nos quoque facimus,
 sive amans sive amatus disiungi facile non poterat? quid
 illius amore Pompeio suavius, quae, quanti virum faceret, in
 editiis comitiis ostendit, in quibus, cum cruentam viri vestem
 relaxatam domum aspexisset, nimio dolore consternata puerum
 edidit in maturum, quem ad maturitatem pervenire iniqua
 Romanae reipublicae fortuna non permisit? Mox quid ei Cornelia Metelli Sci-

pionis filia dulcius?, quam cum et litteris et geometricis philoso-
 phicisque disciplinis mirifice foret ornata, item moribus praedita
 ab omni fastu et importunitate alienis, usque adeo illi placuit, ut
 ne in bellis quidem civilibus eam deseruerit nec prius eam a se
 dimiserit, quam vitae renunciaturus esset. Nimirum tanti ducis
 probitas et mansuetudo tam fidas sibi sortiri meruit uxores, cum
 coniugalis pudicitiae iura caste sancteque servarit, siquidem supe-
 rato Mitridate rege Asiae nullius eius pellicibus, quae in suas ma-
 nus venerant, sese miscuit, sed omnes aut parentibus illibatas aut
 necessariis remisit. Quid Tyberio Graccho Cornelia sua coniunc- 663
 tius?, qui duobus anguibus domi suae inventis, quorum si mas
 necaretur, viri, si faemella, uxoris mortem portendebat, suam sa-
 lutem eius anteposuit et marem necari faeminamque dimitti iuxit.
 O faelicem coniugem, quae talem virum habuerit, o miseram, quae 664
 amiserit! Sed ne illa quidem tam fido marito fuit indigna, quando
 praeter caeteras eximas virtutes Ptolomaei quoque regis vidua nup-
 tias respuit. Quid Caio Plantio Numida fidelius?, qui audito uxo- 665
 ris interitu doloris impatiens adacto per pectus gladio sibi mor-
 tem ipse conscivit. Quanta sit amoris coniugalis potentia et vo-
 luptas, Marci Planci testatur interitus, qui, cum classem in Asiam
 duceret eumque Aristilla dulcissima coniux Taentum usque prae
 nimia charitate prosequeretur ibique morbo correpta diem obiret,
 cum rogi eius vir aequo animo ferre non posset, gladio con-
 festim incubuit et a circumstantibus amicis miserabili morte ex-
 animatus uxoris cadaveri togatus calceatusque superimpositus est
 ibique sepulchrum amborum instructum est, quod coniugalis amo-
 ris monumentum appellatur. Quam charam et iocundam, filia, Por- 667
 tiam Marci Catonis gnatam Bruto fuisse putas, quae usque adeo
 a suis observari non potuit, quin haustis carbonibus et obstructo
 ore vitam extinxerit? Non inmerito igitur, quamvis non sine pu- 668
 dore id dicere videor, quando ex Corvina nostrorum maiorum fami-
 lia, fuit, post urbem conditam Spurium Corvinum primum divor-
 tium fecisse Romani tanquam memorabile facinus et inusitatum
 memoriae tradidere, cum ad transigendam hanc vitam nihil plus
 commodi afferat et voluptatis, quod ex acerrimo illo Romanorum
 hoste intelligi potest. Nihil enim Mitridati fuit Hypsicratea fidelius, 669
 quae ita profusa charitate coniugem amavit, ut tonsis in virilem
 habitum capillis equo insidens et armata per cuncta bella regem
 sequeretur, ut illi quoque semper adesset neque sine altera alter
 periculum aliquod iniret. Artemisia gentis Cariae regina quam pu- 670
 dice et ardenter virum amarit, mirabilia adhuc Mausolea testantur.
 Sed quid excellentius atque in omne aevum magis praedicandum 671
 earum fide mulierum, quae Miniarum uxores extitere?, quippe quae,
 cum viros in carceribus coniectos et extremo supplicio obnoxios
 cognovissent, tanquam novissima verba dicturae, ut viros adire
 liceret, impetrarunt et, cum admissae fuissent, conmutatis vestibus
 velatisque capitibus in doloris speciem eos abire iuxere ipsae pro
 viris ultro capitales paenas soluturae. Quae cum ita sint, dulcissima fi- 672

lia, quid coniugali pudicitia delectabilius sit et suavius, si quid ipsa delectatione pendamus, non facile sentio et tu quoque mecum testis esse potes, quae a regio latere me non invito et domi et militiae non discedis. Accedit his, quae diximus, ipsa pulchritudo, quae pretium rerum saepissime auget, immo pulchrum suapte natura charum est et expetibile. Quin etiam nihil virtutis loco reputari potest, quod aliquid non habeat honestatis. Quid autem pulchrius viro et muliere decenter et concinne coniugatis? Haec autem ex his sunt, quae sunt ad aliquid, quorum alterum sine altero intelligi non potest, sed sunt natura simul, ut puta, mas et faemella, pater et filius atque caetera tale genus. Vir enim sine muliere mancus est et mulier sine viro vidua. Quae cum ita sint, nihil pulchrius et venustius spectari potest, quam duos videre dignitate, moribus, fortuna, aelate natura charitateque consimiles una coniugali vinculo coniunctos, in quibus similitudo illa dignitatis et morum tantum parit pulchritudinis et venustatis, ut nihil sit magis ex omni parte spectabile. Virginitas autem quid pulchritudinis habet in se, praeterquam austeritatis, tristitiae severitatisque plurimum? et, dum sibi omnibus voluptatibus interdictum putat, amaram in omne tempus vitam ducit, in publicum prodire non audet nec pro dignitate se comere et ornare neque frequentare spectacula neque versari inter viros sibi quam maxime timens et honori, ne per visum et auditum ea mentem adeant, quae animum maxime perturbent. Ad haec ea, quae manca sunt et imperfecta, nihil sibi parant pulchritudinis. Quid enim aliud est mulierem videre viro carentem, quam vitem despiciere iacentem neque ulmis neque harundinibus adiunctam? Sicut enim Solem Lunamque videmus primaria caeli lumina, quorum sine altero mundus constare non posset, cum a Phaebo illa lumen accipiat, ita sine viri et uxoris coniunctione nullam inter mortales honestatem et pulchritudinem videremus. Quam quidem cum Romulus intellexisset, Sabinas virgines circiter octingentas rapiendas curavit, ex quibus unam tantum Hersiliam sibi copulavit, alias vero his, qui inter cives virtute praecellerent, distribuit. Coniugatio autem haec opus pulcherrimum peperit. Nam utranque gentem in communionem societatemque civitatis ammisit et coniunxit. Hinc tantum sibi auctoritatis matrimonium contraxit, quod ducentos et triginta perpetuo deinde annos neque vir ausus est ab uxoris neque a viri uxor societate discedere. Nam, ne talis pulchritudo aliqua nota fedaretur, Romulus legem tulit, quae virum uxori relinquere non permittit, sed viro uxorem repudiandi facit potestatem, si in veneficio natorum aut adulterio deprehensa foret aut claves subiecisset. Quod si aliter quis repudiasset, fortunarum eius partem uxori dari, partem Cereri dicari iuxit et, qui cum uxore divortium faceret, eum diis inferis sacrificare iubet. Cur Lacedaemoni uxores heras appellabant?, nemp, quia nihil est, quod plus pariat pulchritudinis et utilitatis. Quam bene de Gorgone Leonidae uxore dictum illud narratur, cui cum peregrina quaedam obiiceret: Solae vos, Lace-

nae, viris imperatis, Solae enim, inquit, viros parimus. Turpem 587
 ignominiam his, qui nubere recusassent, Lygurgus adiecit, nam,
 qui caelibatum colerent, in gymniciis ludis e spectaculo submove-
 bantur et per hyemem in orbem nudi forum circuire iuebantur
 carmenque canebant, quo eos iure pati id recinebant, quoniam le-
 gibus non obtemperarent. Item hii seniores effecti iuvenum honore 588
 et obsequio carebant. Itaque dictum illud in Dercyllidam nemo
 damnavit, quamvis dux satis laudatus extiterit. Admiranti enim,
 quod iuvenis quidam subsellium sibi non cessisset, Neque tu, mi-
 hi, inquit, qui cederet, genuisti. Quamobrem nullum apud Laco- 589
 nes virginitas sibi locum invenit et, si qua fuit, ridiculosa semper
 et inutilis est habita, sed ibi coniugalis pudicitia debitam sibi re-
 ligionem invenit. Virginum corpora cursibus, luctationibus, iacu-
 lorum discorumque iactibus exercebantur. Item in quibusdam sac- 590
 cris praesentibus simul spectantibusque iuvenibus saltare, canere,
 interdum etiam comiter singulos apteque delinquentes carpere,
 multam quoque ambitionem probitatisque ardorem adolescentibus
 ingerere, ex quibus, qui inter virgines illustris habebatur, laetus et
 gloriosus abibat; ex illis autem, quae ioco et faceta obiurgatione 591
 reprehenderentur, neque obtusiores iccirco aut minus argutae fie-
 bant. In spectaculis autem nudatio illa virginum nihil turpitudinis 592
 habebat, quia petulantia carebat et erat cum ingenti coniuncta ve-
 recundia, quae iure consuetudinis ac virtutis laudisve cupiditate
 protegebatur. Raptu nubebant adultae quidem ac nobiles et virili 593
 habitu instructae in torum solae sine teste lucerna a pronuba de-
 clinabantur, sponsi admittebantur sobrii, non delitiis enervati, sed
 obdurati laboribus. Ad sponsam igitur quisque suam cum religi- 594
 one quadam clam pergens atque verecundus et timidus, ne quis
 ex intimis inspiceret; simul et sponsa moliebatur et agebat, ut
 tempestive et clam invicem convenirent. Talis autem congressio 595
 non modo temperantiae atque pudicitiae pervenusta erat exercita-
 tio, verum etiam et inter eos verecundiam et quotidianam perpetui
 amoris redintegrationem pariebat, quandoquidem neque socie-
 tate capiebantur neque inverecundis congressibus affectus mutui
 refrigescabant. Sanctissimis igitur Lygurgi documentis iam sat 596
 edocti esse possumus virginitatem coniugali pudicitia non esse
 praestantior.

REGINA BEATRIX: Exuberantissima hac oratione tua tot 597
 rationibus exemplisque completa, pater, obruor, sed quantum mente
 concipere potui, a delectatione et pulchritudine coniugali argu-
 menta ducis nihilque coniugio delectabilius ac pulchrius esse af-
 firmas. At, ut vera fateamur, cum nihil mendatio turpius Persarum 598
 quoque reges iudicarint, id utrunque multo magis in virgine in-
 spici potest. Si delectationem requiris, quid delectabilius, quid 599
 iocundius invenitur, quam sancta virginitas?, quae deo coniugata
 templum efficitur divinae maiestatis, deum contempletur, cum deo
 loquitur, a deo illustratur, a quo tanta voluptate reficitur et recre-
 atur, ut humana mente concipi nequeat. Si pulchritudinem, quid 600

est virgine pulchrius? quid nitidius? quid candidius? quid denique flagrantius inveniri potest?, cuius pulchritudine deus est usque adeo delectatus, ut sponsam mortalem optaturus non aliam delegerit, nisi quae perpetuam servaret virginitatem et cui nulla unquam nota posset inuri. O quanto melius atque salutaris con-
 601
 suluissent sibi Laconicae virgines, si dimissa saltatione impudicisque ludis, qui humanae sunt incitamenta libidinis, et lassivis denique cantibus, quibus petulantia iuvenum corda perpruriunt, perpetuam deo vovissent castitatem, cui quidem servandae multo plus difficultatis inesse intellexissent, quam suis viris in angustiis Thermopylarum Persarum tempestate laboris.

REX MATTHIAS ET REGINA BEATRIX.

602

REX: Iam extrema rationum acies succedit et res ad tria-
 603
 rios redigitur. Tu autem adhuc ne minimum quidem cedere vide-
 ris, mea Beatrix. Omnia confutas et subvertis, quare vehementio-
 ribus adurgenda es argumentis. Omne, quod in se plus utilitatis
 604
 et commodi complectitur, ne te quidem latet apud mortales haberi
 praestantius, qui rei cuiusque dignitatem ipsa solent utilitate me-
 tiri, et, quod inutile est, nisi delectabile sit, nullum sibi pretium
 vendicat. Ex omnibus autem rebus, quae sub Lunae orbe conti-
 605
 nentur, quid commodius, quid pulchrius, quid utilius coniugali pu-
 dicitia censi potest?, quae filios parit et nepotes, quae repu-
 blicae seminarium fovet, quae milites Christi gignit, quae Christi-
 anae fidei propugnatores edit, quae virtutum vivaria servat, quae
 humanum denique genus ad sterilitatem redire non patitur. Ubi
 606
 pietas, qua in parentes utimur, si vigente virginea sterilitate hoc
 sanctum nomen aboleretur?, quae quidem virtus nascitur,
 non magisterio fingitur et tantas in se vires habet, ut infe-
 stam quandoque superet naturam et prae caeteris fere virtutibus
 non solum admirationis, sed amoris et gratiae plurimum mereatur.
 Tellus Atheniensem beatissimum apud Cresum Solon praedicavit,
 607
 quippe cui in patria bene instituta filii honesti et boni fuerant
 eorumque singulis liberi huiusque omnes superstites, demum peracto
 faeliciter toto vitae curriculo in praelio, quod ad Eleusina cum fi-
 nitimis gestum est, cum in auxilium venisset, fugato hoste pul-
 cherrime oppetiit. Neque minus beata Cleobis et Bitonis mater cum
 608
 liberis censenda est miro corporis robore ac multis certaminibus
 pariter illustratis, quae, cum ad Argivae Iunonis sollennia festinaret
 currumque adduci iussisset, quo vehetur, cum boves ex agro ad horam
 presto non adessent, a subeuntibus iuga filiis nimia pietate per quin-
 que et quadraginta stadia ad templum plaustro tracta est cunctis qui-
 dem et iuvenum pietatem et matris faelicitatem vehementer admiranti-
 bus. Mutus Cresi filius hostem paterno iugulo iminentem pia voce re-
 609
 vocavit. Pisistrati Atheniensium tyranni quis non memoriam abo-
 minetur?, qui, cum et filios haberet adolescentes et ex nova con-
 iuge liberos tollere nollet, non legitime matrimonio satisfacit. Cor-
 610
 iolanus, cum nihil apud eum neque legati populi Romani neque

infulati sacerdotes profecissent, dum patriam acri obsidione pre-
 meret, supplicanti Vetruriae matri victus continuo cessit neque ob- 611
 secrantem eam audire potuit. Eadem pietate Scipio Africanus vix-
 dum annos puerilitatis egressus apud Ticinum patrem ab hoste 612
 servavit. Mallius patrem Torquatum, quamvis ab eo plus aequo
 aspere tractaretur et ideo rustico opere gravaretur, Pomponii tri-
 buni plebis accusatione liberavit, quia tribunum nactus domi sine
 arbitris stricto in iugulum mucrone adegerat, ut a patris accusa- 613
 tione recederet. Claudia virgo Vestalis, cum patrem triumphantem
 e curru tribuni violentia trahi conspexisset, mira celeritate se me-
 diam ingressit tribunitiumque furorem sua intercessione coercuit
 ancepsque iudicium populo reliquit, utrum pater ex victoria in
 Capitolium, an ipsa ex pietate in Vestae templum excellentiorem 614
 triumphum egerit. Filia Romae, dum morituram matrem in carcere
 consolatura visitat, pio lacte nutrit et ab indicta fame morteque 615
 redemit atque matris liberationem ea pietatis gratia meruit. Cimon
 patri sepulturam voluntario carcere emere non dubitavit. Ex qui-
 bus quidem omnibus plane constat, quam utilis sit huiusce pie- 616
 tatis affectus, quo liberi in parentes tantopere afficiuntur. Non so-
 lum hec pietas hominibus insidet, qui rationis sunt compotes, ve-
 rum etiam ad caeteras animantes penetravit imprimisque natura 617
 duce ad phaenicem, quam iure sacram dicunt. Haec enim, ut He-
 liopolitani aiunt, quingentesimo quoque anno ex Arabia profici-
 scens defunctum patrem myrraeque involutum in templum Solis 618
 defert ibique humat. Primum nanque ovum fert, quantum gestare
 possit, myrra compositum, quo ex altera parte exenterato paren-
 tem recondit, et, qua parte ovum exinanivit patremque intulit, eam
 partem alia myrra obducit, deinde obstructo foramine in templo 619
 Solis statuit. At quid de patriae charitate dicendum?, de qua bene
 mereri tam pulchrum est et laudabile, ut quisque patriae libera-
 tor inter deos referri et nostra et antiquorum sententia mereatur,
 contra vero proditor ad ima Tartara deturbari. Quis patriam ama- 620
 ret, nisi parentes, liberos, uxorem, cognatos amicosque ibi esse
 cognosceret? quis pro ea morti se exponeret aut pericula quae-
 que subiret, nisi tot pretiosa pignora cum ea simul defendi cer-
 neret? quid Curtium in altissimum terrae hiatus precipitem egit? 621
 quid Genitium Cippum praetorem paludatum compulit Randu-
 scula porta excedentem, ut perpetuum sibi exilium indiceret? quid
 Brutum primum consulem in filiorum cedem irritavit et ad sin-
 gulare certamen cum Arunte Tarquini Superbi filio concitavit, quo
 uterque primo congressu lethali vulnere saucius occidit? quid De- 622
 cios ad devovendas inferis animas invitavit? quid Scipionem Afri-
 canum adigit, ut districto gladio unicuique minitans omnes iu-
 rare cogeret se nunquam patriam relicturos, cum consternata Can-
 nensi clade urbe Roma autore Q. Metello de Italia deserenda con-
 sultaretur? quid Romanos insanis secundi belli Punici sumptibus 623
 aerario iam exhausto compulit, ut in castris neque eques neque
 centurio neque miles stipendium sibi dari concupiverit et viri ma-

tronaque, quicquid auri et argenti haberent, item pueri bullas ingenuitatis insignia ad substantandam illam temporis difficultatem contulerint? quid Fabritium et Curium ad aurum contemnendum et parcimoniam paupertatemque diligendam conmovit? quid Horatium Coclitem ad repellendos pro patria salute in excidendo ponte condam Aetruſcos? quid Scevolam ad Aetruſcum regem obtruncandum et ad dexteram incendendam? quid Camillum ad Gallos proterendos? quid Fabium ad cunctandum? quid Marcellum ad locandas Paenis insidias? quid Ciceronem ad liberandam coniuratione civitatem? quid Catonem ad cōſciſcendam sibi mortem? quid Brutum ad tyrannum interimendum? quid Codrum Athenienſium regem ad extorquendam sibi ab hoste mortem? quid Trasibulum ad liberandas dominatu XXX tyrannorum Athenas? quid Themistoclem ad hauriendum tauri sanguinem? quid Phileonos fratres, ut se in finibus obrui paterentur? quid denique tot praeclaros viros ad mortem compulſit?, nempe hoc, quia cum patriae pietate uxoris, liberorum et necessariorum quoque coniunctam salutem esse intelligebant, contra virginitas sic vehementer parentes et patriam amare non solet, quia non tot et tantis ibi est innissa radicibus. Quonam pacto parentem ille amare noverit, qui nunquam parens esse ceperit? quomodo patriam quisquam amaverit, nisi multas ibi habeat amandi causas? nimirum amare nescit, qui amare non didicit. Qui liberorum charitatem nondum expertus est, non sat bene amare solet. Quare pietas patriae ac parentum et charitas filiorum caeterorumque necessariorum magna ex parte interire videretur, nisi coniugali pudicitia suffulta foret. His adde caetera comoda. Inconcessae libidinis facinora evitamus et concessa perutilique voluptate fruimur. Habemus etiam vitae comitem, sociam laborum, curarum moderatricem, curatricem egritudinum, dolorum dulce lenimen et maximum vitae oblectamentum, quo quicumque caruerit, non nisi perpetuo miser esse potest. Hinc liberi quoque proveniunt, quo quidem munere quantum naturae debeamus, haud facile dici potest. Nam, cum nos mortales natura esse iusserit, hoc unicum est remedium, quo nos iidem perpetuo vivere videmur. Hac enim mutua liberorum successione nostra vita redintegratur, quin etiam et nostram illi vitam prorogare contendunt, nos vultu moribusque referunt et a primis annis garulo plausu nos dulce cogunt insanire, augent spes nostras et non parum addunt animorum; laetitiam inferunt gesticentem et tunc maxime, cum eos una cum virtute ac optimis disciplinis adolere videmus. Deinde rempublicam gerunt, patriam tuentur, honores ac magistratus gradatim ineunt, ius dicunt, causas agunt, tuentur amicos, clientelas grato patrocinio sibi comparant, cognationes et affinitates amplificant, familias illustant, in expeditiones prodeunt, victorias referunt, varias artes inveniunt et exercent, domi ac peregre bene merentur, virtutes torpere non patiuntur, agros colunt, iudicia exercent, pacem revocant, beneficia serunt, officia frequentant, urbes illustant, parentes ac domos observari cogunt, gratiam

domibus comparant, senectuti nostrae subveniunt, parentes in morte consolantur, deosculantur, oculos claudunt, componunt manus, ex corde parentes deplorant, exequias celebrant honestissimas, familiae nomen interire non patiuntur, complent divina subsellia atque hi denique sunt, ad quos humani labores magna ex parte referuntur. Reliquum est, mea filia, ut coniugalis pudicitiae conmoda, dignitatem ac pulchritudinem per antiqua exempla discurrentes illustrius videamus, quod cum fecerimus, dicendi finem adesse intelliges. Pudicae in primis matronae urbem Romam gravissima Caii Martii obsidione duce Vetruria Volumniaque eius uxore liberarunt. Quare populus Romanus, ubi Volscos castra amovere conspicatur, deorum templa continuo reseravit passimque non aliter, atque parva victoria, victimas mactavit et, quia illae reipublicae salutis initium exilitere, fortunae muliebris templum ex collata pecunia ad perpetuum matronarum decus dicatum est. Cum Camillus ab urbe Gallos exagisset votivumque cratera Delphico Apollini pauperimus senatus mittere non posset ac ex contempto voto deorum ira graviter incenderetur, nonne matronae omnia corporis ornamenta aurea contulerunt?, quod quidem aurum octo fuit pondere talentorum, quo munere salus urbi divino numine confirmata est et ex eo quidem tempore hic honor senatus consulto mulieribus relatus est, ut non secus, atque viri, quod antea non licebat, possent mortuae pro sua quoque dignitate laudari. Credisne mulieres tam pium facinus fuisse molituras, nisi pro virorum liberorumque salute id auri erogatum iri intellexissent? Minime quidem. Solon etiam coniugali pudicitiae tantum tribuit, ut lege sanxerit ex meretricibus natos parentes alere non teneri et, quicumque uxores adirent, ea religione et observantia earum congressu et comertio uterentur, ut non libidine, sed liberorum gratia adisse viderentur, quod, si bestiarum more traherentur, liberorum iure carerent. Quid excellentius commemorari potest, quam Chilonis exemplum, quae Leonidae filia et Cleombroti uxor fuit? haec patrem a viro damnatum, cum illius graviter ferret iniuriam, diu conquesta a viro discessit et apud patrem habitavit, ut, quacunque posset, opera eius levaret calamitatem, quo quidem ex urbe iam eiecto mesta, lugubris et indignabunda semper apud Cleombrotum vixit, mox mutata fortuna, cum apud patrem pro viro supplicare cogeretur, qui in Neptunni templum confugerat, ab eo Cleombroti vitam impetravit, sed, ut in urbe manere pateretur, exorare non potuit. A patre orata, ut secum remaneret, non concessit, sed surgenti viro filiorum alterum in manus tradidit, alterum ipsa manu ducens aram dei, iuxta quam sederant, venerata una cum viro in exitium ire contendit. Coniugalis igitur pudicitia hanc et patri et viro cumulate satisfacere coegit, quae, si virgo fuisset, hoc potietatis exemplum de se fere nequivisset. Neque duae silentio praetereundae sunt, quas nulla vetustas abolere poterit. Nam, cum Cleomenes ac Pantheus cum sociis, ut Aegyptios in libertatem vindicarent, Ptholomaeos interficere conarentur et Me-

galipoli conscita sibi morte fortissime occumberent, cum res e sententia non succederet, Crathesidia Cleomenis cum filiis ac uxor quoque Panthei, quae invitis parentibus virum exulem in Aegium urque secuta est, ad extremum supplicium iam eductae forti animo viris orbatæ mortem obiere. Panthei uxor Crathesidia puerisque cesis supererat, quae robore et proceritate corporis praestans mulieribus, cum morentur, ne turpiter iacerent, vestes circa corpus tacita ac sine gemilu componebat et, cum se solam superesse animadverteret, se ipsam, quo mori volebat, habitu composuit nullamque partem corporis praeter iugulum nudam ostendit et fortissime demum obiit idemque decorum in morte servavi, quod in vita retinuit. Coniugalis igitur pudicitia Lacedaemoniarum virtutem mulierum a fortunae iniuriis tutam inviolabilemque reddidit, quae, si virgines fuissent, nunquam tam praeclara fortitudinis et charitatis exempla praeuissent. Cymbras quoque barbaras mulieres haec sanctissima virtus perpetuum sui nomen reinquere adegit. Nam, cum viros a Mario Catulque cesos intelligerent, quaedam infantes filios suffocabant, quaedam parentes ac fratres sub curribus deiciebant, multae se gladio iugulabant, pars cornubus cruribusve bouum colla fune illigabant stimulosque boves impellebant, ne fedam servitutem inirent ac pudicitiam hostili libidine polluerent. Quid Thymoclia captis ab Alexandro Thebis fecerit, nulla poterit ignorare posteritas. Nam, cum Thraces quidam clarissimæ pudicissimæque matronae diriperent facultates, interrogata, ubinam aurum et argentum defossum haberet, se in horti puteo habere respondit et inclinatum ibi Thracem loco avidè incumbentem post constituta mulier devolvit in praeceps saxisque iniectis interfecit. Haec ad Alexandrum ducta et interrogata, quae foret, Theagenis sororem se fuisse respondit, qui in Ceronia adversus Philippum imperator designatus pro Graeciae libertate opetierat. Cuius responsum facinusque egregium Alexander admiratus liberam cum filiis abire iuxit. Cur Alexandro et Scipioni Africano tantum gloriae numina reservarunt? nempe, quia pudicissimos fore praeviderant, quorum Macedo uxorem hostis ita universas decore ac forma reginas exuperantem, quemadmodum Darius cunctos specie et proceritate viros anteisse memoratur, et filias quoque parentibus similimas in conspectum suum deduci veluit, ut eas ne oculis quidem suis contingeret, ratus se ipsum magis, quam hostes, domare regium esse opus ac per iocum saepe dicere solitus est Persicas puellas oculorum esse dolorem; Romanus expugnata Hispana Carthagine tempestivam virginem eximia forma et nobili genere praeditam captam et ad se productam patri reddidit inviolatam. Quare de Hanibale et Siphace alter triumphare meruit et alter, si vixisset, totius orbis imperium iure sibi vendicasset. Quid Phocionis uxore praestantius?, cui cum Ionica mulier Athenas profecta et nova sibi consuetudine coniuncta aureos torques variisque gemmis distincta monilia ornamentum sui corporis obstentasset, tum illa inquit: Ornamentum meum est Pho-

cion Atheniensium iam vigesimus imperator. Quid de Testha mu- 658
 liere, Dyonisii tyranni sorore dicendum est ?, quam adhuc pia re-
 ligiosaque memoria Siracusani celebrant. Cum enim Polixenus vir 659
 eius tyrannidi apprime infestus e Sicilia profugisset Dionisiusque
 accitam sororem incusare cepisset, quod fugae mariti conscia ni-
 hil sibi nunciasset, illa intrepida, Adeone, Dyonisi, ait, vilis, ab-
 iecta et virilitatis indiga visa tibi sum mulier, ut, si coniugis fu-
 gam ipsa praescissem, eiusdem navigationis comes et fortunae par-
 ticeps esse noluissem? Dido autem falso poetae crimine Maronis 660
 affecta tantum roboris ab hac sanctissima virtute concepit, ut ab
 Hyarba petita in uxorem eousque nuptias distulerit, donec civita-
 tem condidit, deinde extracta pira sese in ignem in Sichaei viri
 memoriam iecit, quae nisi viro adiuncta fuisset, neque Chartagi-
 nensium praeclara gesta legeremus neque Romanae virtuti com-
 parandae glorie et propagandi nominis facultas affuisset. Asdruba- 661
 lis uxor incensa Carthagine, ne a Romanis caperetur, apprehensis
 ab utroque latere filiis iam parvulis in subiectum ignem se e tecto
 deiecit. Nicerati coniux iniuriae viri impatiens mortem sibi pulchre
 conscivit, ne triginta tyrannorum libidinem tolleraret, qui a Ly-
 xandro Athenis praefecti erant. Teuta Illyricorum regina, ut Ro- 662
 manos frangeret et viris diutius imperaret, miraculo meruit casti-
 tatis. Quin etiam virtutis huiusce numen, quod ad barbara usque 663
 ingenia quandoque penetravit, non modo Parthorum uxores con-
 iugalem fidem edocuit, verum etiam et Indorum, cum plurimas ha-
 beant, de sepellienda iuxta virum certare adegit, ut victrix iuxta
 viri cadaver amplexans illum et deosculans atque ignes pudicitiae
 laude pro nihilo ducens in habitu ornatuque pristino accubet. Alci- 664
 biadis quoque concubina parem fidem praestare conata, quae sola
 truncum amici cadaver et insepultum omni aspernato periculo se-
 pulchro tradidit iustaque rite persolvit, cum Alcibiades victis Athe-
 niensibus ad Pharnabazum aufugisset et ab eo Lyxandri Lacedae-
 moniorum principis largitione corrupto interfectus esset caputque
 in laetitiae spetiem missum ad Lyxandrum foret. Quis Stratonis 665
 reguli Sidonis uxorem silentio praeteriret?, quae, cum virum pavi-
 dum aspexisset Persarum hostium adventum expectantem raptoque
 gladio sibi iam dudum manum iniecturum, acinacem e manu con-
 festim extorsit ac eius latus continuo transfodit compositoque ex
 more cadaveri, ne alterius coitum tolleraret, traiecto pectore mori-
 ens se superiniecit. Zenophon quoque in Pedia Cyri Panthiam re- 666
 fert, quae iuxta occisi Abrodoti corpus se collocavit et confosso
 pectore calidum sanguinem mariti vulneribus infudit. Rodogunda 667
 Darii filia post viri mortem nutricem, quae secundas illi nuptias
 suadebat, quamprimum interemit. Alcesten poetae ferunt pro Adme-
 to sponte defunctam, Penelopen quoque tot annos absentis pro-
 fugique viri tam caste ac pudice reditum expectantem. Laodamia, 668
 cum Protesilai mortem ad Troiam interfecti accepisset, supervivere
 noluit. Lucretia, ut animum incorruptum servatamque coniugii fi-
 dem testaretur, conscita sibi morte affirmavit. Bilia Duellii uxor, 669

qui primus Romae navali certamine triumphavit, cum viro per iur-
 gium exprobaretur, quod os fetidum iam senex haberet, et cum ab
 eo incusaretur, quod nunquam ipsa monuerit, ut huic vitio mede-
 retur, Fecissem, inquit illa, nisi omnibus viris sic os olere putas-
 sem. Ania iterum nubere noluit, ne, si bonum virum sortiretur, 670
 iterum timere cogeretur, si malum, nolle post bonum pessimum
 tolerare. Marcella maior interrogata a matre sua, gauderetne se nup-
 sisse? Tam valde, respondit, ut amplius nolim. Valeria Messa- 671
 larum soror mortuo viro Servio renubere noluit, cum semper sibi
 virum vivere diceret. Martia Catonis filia minor usque adeo amis-
 sum virum amavit, ut alterum se inventuram desperaret, qui se
 magis, quam sua vellet. Ubi igitur tam clara castitatis exempla, 672
 tam sancta facinora, tam immensa comoda exitissent, nisi ex con-
 iugalis pudicitiae fonte promanassent? Sed quid per antiquorum
 exempla vagamur, cum domestica rei nostrae sufficiant? Si diva 673
 domus Aragonia, quae splendore ac gloria ubique praestantissima
 iure censetur, in perpetua virginitate vixisset, ne tanta quidem prin-
 cipum ac regum fecunditate claruisset, quippe quae reges sane plu-
 res, quam Heraclidarum Ptolomaeorumque familia, peperit. Si in 674
 castitate perstitisset, neque Ferdinandus ille clarissimus rex Ca-
 stellae venisset in lucem, quo in Terraconensi Hispania imperante
 Toleti fodiendo Iudaeus lapidem nactus est, in quo hoc erat inc-
 isum: In tertio mundo filius dei nascetur; neque Alfonsus rex ille 675
 prudentissimus, omnium astronomorum excellentissimus, omni sci-
 entiarum genere consumatissimus, qui tanta munitus fuit animi
 excellentia, ut, cum una cum Richardo Britanniae rege foret impe-
 rator electus, ne nimia rerum humanarum mole gravatus altissi-
 mam contemplationem interciperet, Gregorio pontifice decimo post
 competitoris mortem imperium renuit suoque iure lubentissime 676
 cessis; neque Petrus Aragonius, quem nimia probitate ac iustitia
 summa Siculi regem suum interfectis alienigenis et quam maxime
 Gallis ac fetibus materno utero eiectionis, dum a Caroli regis fide
 deficiunt, rite crearunt, quo quidem tempore inter Ursinos et Ha-
 niballos pernitiola bella gesta sunt. Neque divus Alfonsus, avus 677
 ille tuus, principum memorabile decus et in quaque regia virtute
 eminentissimus prodiisset in lucem neque Ferdinandum, Ferdinan-
 dum, inquam, socerum, immo patrem meum genuisset omni sa-
 pientia et animi magnitudine valde munitum, si perpetuum sterili-
 tatis officium sibi indixisset, quo generosiorem magnificentio-
 remque principem ne quenquam quidem alium Italia praedicabit. Ne 678
 que etiam, si in eadem pertinacia fecundissimus meus ille socer
 permansisset, tam pulchra prole, immo principum legione universa
 gloriaretur Italia. Atqui, si id ipsum Alfonsus noster Calabriae dux 679
 facere voluisset, qui ab avo (mihi crede) non degenerat, sed pari
 magnitudine praeditus avitum nomen omni ex parte aequare con-
 tendit, tam eleganti ac scita liberorum cohorte non gauderet, ex
 qua Ferdinandus primogenitus regium quoque (si vixerit) iure dia-
 dema subiuvus tam divae ac faustae indolis est, ut ad imperan-

dum tantum natus esse videatur; ab adolescentia ductat exerci- 680
tum, instruit aciem et optima quaque disciplina refertus eloquenter
et concitate apud milites cum summa venustate ac summa audi-
torum admiratione concionatur; de quo maxima quæque speranda
sunt, in Aragonio enim Sforziacoque sanguine quicquid virtutis
fuit et ingenii, in hoc uno confluit. Quid de Leonorae tuæ dixe- 681
rim fecunditate?, quæ, quamvis regia quaque virtute polleat, ea
tamen liberorum copia donata est, ut nihil amplius de Ferraria sua
dubitare possit. Quid de Ioanne Terraconensium olim rege, divi 682
Alphonsi fratre?, cui nisi liberi duo affuissent, iterum in infide-
lium manus Hispania tota recidisset. Quod quidem Ferdinandus 683
ipse clarissimum Aragoniorum decus minime patitur, quem cum
clementissimus deus divæ Lisabellæ Hispaniæ reginæ non sine
summo miraculo duxerit coniugandum, quo quidem coniugio in
occidente nihil convenientius ac pulchrius unquam spectatum est,
non est amplius de re Hispana dubitandum. Quin etiam Maumec- 684
tanum regnum, quod antehac e Betica regione nunquam elici pot-
erat, suo certatim exercitu nunc uterque penitus exstirpare contem-
dit, quibus præter excellentissimas quasque virtutes tantum gra-
tiæ et faelicitatis divina benignitas elargitur, ut magnam sint scrip-
torum ingeniis materiam et sudorem relicturi. Quid de divi Al- 685
phonsi sorore dixerim, quæ Gaditano regi nuptui tradita filiam
quoque præter cæteros genuit imperatricem?, Frederico nanque
imperatoris nupta prolem faustissimam genuit. Hinc Maximinus 686
quoque Frederici filius, vir animo præstans et virtute profluit na-
tus ad imperium et ad quodque magnum opus immortalitatis, quo
si illustrissima domus Austriae caruisset, ne Galli quidem consul-
torem neque Cymbri, Teutones et Germani moderatorem ac do-
minum talem habuissent. O quam faelix et beata est fecunda pro- 687
pagatio sobolis et virtutum, quam quidem denegatam non nisi
proprii nominis immortalitate resarcire possumus. Longissimi pro-
fecto foret ocii, mea Beatrix, universam Aragoniæ domus referre
prosapiam. Sed ex his facile intelligere potes, quantum ex fau- 688
stissima hac familias plendoris et comodi per coniugalem pudici-
tiam Christianæ reipublicæ promanarit, quæ, si in virginitate per-
mansisset, inutilis, sterilis et obscura fuisset. Tot igitur argumenta, 689
mea Beatrix, partim a natura et tempore, partim ab utilitate et
necessitate, partim a pulchritudine et delectatione sumpta sunt, ut
non pertinacior ultra esse debeas. Ego autem, quando sum di- 690
cendo defatigatus, quam lubentissime verbis finem faciam. Tu vero
qualis et quanta in protegenda virginitate videri velis, avidissime
nunc expecto.

REGINA BEATRIX ET MATTHIAS REX.

691

REGINA BEATRIX: Cum de sanctissimæ virginitatis excel- 692
lentia et dignitate sim verba factura, ne ea, quæ cæteris iure vir-
tutibus antefertur, doctissima et lacertosa patris oratione deprima-
tur et coniugali pudiciæ postponatur, non muliebres, sed viriles

ingenium exactissimamque sapientiam cum iocunda dicendi copia
 inesse mihi exoptarem, pater invictissime virique fortissimi, ut non
 tam expectationi vestrae, quam dignitati meae satisfacerem, cum
 non de humana, sed caelesti virtute sit mihi proposita questio, et
 cum eo mihi res sit, qui non minus rerum omnium doctrina va-
 leat, quam armis. Ne ita quidem inconsyderata sum, ut rei molem 693
 non intellexerim et adversarii gravitatem non pensitarim. Superi- 694
 ores decertationes et quae sunt a patre relata divinitus, me sane
 deterrent et ita deterrent, ut mihi fortasse silentium indixissem,
 nisi, cum dignitati virginitatis non parum intellexerim derogari,
 eam defendere obstinato animo decrevissem, ne, quam in medium
 tulerim, questionem deseruisse videar, qua quidem in re me fae-
 minam fuisse aeditam iam non paenitet, ne, si praeter spem forte
 acciderit, ut patri cedam, aliquid muliebris naturae iure promerear
 excusationis. Verum sanctissimum numen veritatis ita mihi confir- 695
 mat animum et spem auget et in primis fecundissima ac divina
 patris oratio, ex qua multa didicisse et in causam meam traxisse
 videor tanquam facem in tenebris praeferente et ostendente iter
 illustrius, ut virginitatis iura defendere non diffidam. Verumenim- 696
 vero ne hoc quidem in levam partem acceptum iri velim neque
 sibi quisquam persuadeat, quod, dum virginitatis tueor dignitatem,
 sacrosancto coniugio quicquam videar detraxisse et, cuius legibus
 addicta sum, contra id agere praeter institutum officiumque meum.
 Proinde potentissima illa dearum regina adsit, caeli terraeque mo- 697
 deratrix, sponsa Christi et unicum sanctissimae castitatis argu-
 mentum, sub cuius tutela cuncta virginitatis iura servantur, et ita
 animum inspiret suo numini deditissimum, ut, quanti apud deum
 momenti sit sacrosancta virginitas, pro serenissimi patris et satura-
 rum expectatione valeam explicare, sicque Christus optimus ma-
 ximus faveat unigenius, qui matrem sanctissimam perpetua virgi-
 nitate donavit. Qua argumentorum exuberantia et quanta rerum 698
 copia sapientissimus magnanimusque pater de coniugali pudicitia
 disseruerit, accepistis, qui, dum vellet nos oportere dei fecundita-
 tem imitari res quotidie varias exhibentis cunctaque rerum genera
 beneficio suo servantis, rogatu nostro de mundi creatione, de an-
 gelis, de similitudine hominis multa reseravit non solum inaudita
 et cognitu difficilia, sed nostris quoque mentibus perquam saluta-
 ria. Deinde naturae, temporis, necessitatis, pulchritudinis, delecta- 699
 tionis et utilitatis denique iure obnixius ostendit coniugalem pu-
 dicitiam virginitati esse anteferendam, qua quidem in causa tan-
 tum ingenii et divinae sapientiae demonstravit, ut iure regem di-
 vino numine factum arbitremur. Cum autem mecum contra sem- 700
 per ipsa reputarim, quando veritas ita iubet, quam vera et quam
 bona sit et aequa haec mea sententia, quanta fieri potest, brevitate
 ac bona clementissimi patris venia, vobis aperiam atque id vos
 exoratos habere velim, ut omni deposita satietate pro ea, qua Be-
 atricem vestram colitis, charitate redintegratis animis, postquam nos
 in certamen commisistis, et attentius audiat et pensitetis accura-

tius. Sanctissima virginitas, qua nihil immortalitate dignius inveniri potest, quemadmodum supremæ beatitudinis est, ita a nemine posset pro dignitate laudari neque, quanti facienda sit, vix humanum et idem perspicacissimum contemplabitur ingenium. Nam, si nihil maiore studio et diligentia a nobis quaeri debet, quam id, quo deum cognoscere et imitari possimus, unde omnis nostra beatitudo nascitur, nihil profecto ad comparandam faelicitatem nostram magis videtur ipsa virginitate necessarium. Haec enim extincta libidine appetitum rationi reddit obsequentissimum et maximum intellectui vigorem affert, ad dei cognitionem et obsequium semper hortatur et, quod humano ingenio intelligi non potest, peculiari quodam suo iure consequitur, cum ad divinitatem adipiscendam nulla via brevior esse videatur. Mutuus enim quidam inter corpus et animam est affectus et tam fida coniunctio, ut nihil alterum patiatur, quod non sit cum utroque commune. Nam, si irascatur animus, si doleat, si laetetur, si timeat speretve, eadem perturbatione corpus afficitur et vultu ac gestu motuve referre cogitur, quare tristes tristem et ilares ilarem vultum praeferunt, contra vero, si laedatur corpus, anima quoque pariter cruciatur. Hominem autem movent intellectus, fantasia, electio, voluntas et concupiscentia. Haec omnia ad intellectum reducuntur et appetitum, quia fantasia et sensus movent intellectum, cum ei res indigent, voluntas vero, ira concupiscentiaque appetitum, electio autem omnis inter intellectum appetitumque versatur. Quare primum movet, quod appetibile est et intelligibile, sed intellectum movet, quod est vere bonum et idem sempiternum, appetitum vero apparens bonum et delectabile quam quidem voluptatem dicimus. Itaque virginitas tantam homini pacem et quietem inducit, ut a summi boni intentione nunquam eum se divertere patiatur, componit animum, rationem illustrat, tenebras repellit mentemque serenat, ad haec humanam animam expiat, quod quidem deo templum praeparat dicatque et tale sacellum omnibus virtutibus patefacit neque prius eas admittit, quam rite lustraverit. Sordidae autem sunt quaeque virtutes neque sal deo placere queunt, nisi aut temperantiam sapiant aut castitatem. Nam, cum deus sit summa simplicitas et candidissima puritas, non possunt ei nisi sincera candidaque placere. Sola vero virginitas non omnium modo virtutum regina est, sed venerabilis sanctaque sacerdos. Et, cum caeterae virtutes humanae videantur esse potestatis, sola virginitas est omni ex parte caelestis et divina, quae e caelo pro divino arbitratu humanis mentibus illabitur easque castas servat et immaculatas neque aliqua tabe patitur coinquinari. Haec igitur aetherea virtus tantum caeteris gratiae ac decoris affert, ut nusquam illae locum inveniant, nisi ubi ista aut sua comes et ancilla pudicitia dominetur. Quid enim prodest iustitia? quid fortitudo? quid pietas? quid fides? quid liberalitas? quid denique sapientia?, nisi a temperantia et castitate vires accipiant et decorem. Heu, quot homines videre licet non mediocri prudentia et non parva rerum doctrina praeditos, quot etiam magnificos,

iustos et liberales, quot patientes, strenuos et fideles, in quibus cum parva aut nulla temperentia inveniatur, ne castitatem dixerim, exantimatas tamen in his virtutes eas esse conspicaberis, quae, si candidum et pulchrum in his domicilium invenissent, uberiores profecto fructus et longe commodiores iam tulissent. Quod quidem, 715 quam verum sit, hinc licet intueri. Quanto nobilior Hanibal fuisset, si amore mulierculae in Salapia caruisset? quanto praestantior Silla, nisi crudelitatem et Nicopolim amasset? quanto Caesar illustrior, si Cleopatrae servitute caruisset? quanto praestantior Augustus, si famoso endecatheon convivio non suum animum relaxasset? quot nostra quoque tempestate principes inventi sunt, qui, dum aliis imperant, sibi minime dominari queunt?, quo nihil in principe turpius debet iure censi. Nonnulli domi forisque sese 716 ita praeclare gerunt, ut perpetuum sibi nomen adepti videantur, ac fedae tandem pellicis aut cuiusvis mulierculae sese amore contemnerant. Quin etiam philosophos et sacerdotes non obscuros saepe 718 rumor est aliqua incontinentiae nota laborare, item alios, qui non contemnenda de se exempla per aliarum virtutum genera ediderunt. Quae cum ita sint, sat vobis constare potest caeteras sine castitate virtutes aut parum aut prodesse nihil. Nunc autem, quando pater altius philosophari me iam dudum edocuit, quid de 791 materia et monade perspicacissime multa disseruit, quanti momenti sit sacrosancta virginitas, scita et comoda comparatione vobis aperiam. Quemadmodum enim materia quaeque tanto nobilior est, quanto magis unicae formae accommodari potest, a qua ultimam demum perfectionem consequatur, ut in caelorum mole licet intueri, quae, cum nihil in se habeat contrarii, ita a sua forma perficitur, cui ab initio inhaesit, ut neque aliam formam admittere possit neque sit ullam subitura corruptionem, ita et sancta virginitas, quae deo adhaesit, ut ab eo denique perficeretur, nullum potest interitum formidare. Quod si aliquid in se senserit contrarietatis et iccirco se viro coniugarit, ex formae inbeccillitate et saepe cogitur periclitari et calamitosae est obnoxia mutationi. Quid 722 ergo nobis potius est optandum et quibuscunque divinitus datum est, quam ut mentem nostram, quam quidem virgineam deus infudit, deo quoque perpetuo dedicemus, a quo tantum luminis et gratiae orietur, ut nullam illa sit unquam sensura miseriam? Quod si haec non satis comparatio suadet, accipite monada, id 725 est, unitatem, cui virginitas potest optime comparari. Nam, sicut 724 monas unica est et simplex nulli numero coppulata neque numerus est, sed numeri principium et origo, ita sese habet incorrupta virginitas, quae, ne contemneretur, nemini patitur admisci, et iccirco antiqui philosophi Pallada cum monade conferebant, quia non ex dyade, id est, dualitate, sed ex uno nata est Iove. Dualis 726 enim numerus, ex quo cubus oritur corporeus, corruptionem portendit et imperfectionem, impar vero perfectionem. Atque, ne Beatrix vestram haec ex tempore commentari reputetis, ex arca Noe ducite coniecturam, unde binarius numerus, qui coniugium repre-

sentat, quanto virginitati sit inferior, immo quam infaustus, facile intelligi potest. Quaecunque enim animalia bina ingrediuntur arcam, 727
 imunda sunt, quae vero septena et imparia, munda erant, ut exacto diluvio Noe non deesset, quod de impari numero deo quam primum posset offerri. Quod a sanctissimo viro non temere factum est, quia binario numero et coniugali coniunctione terrae replentur, virginitate vero divina subsellia atque arcam ecclesiam significare caelibes et coniugatos pariter continentem. Si haec figura non videtur esse satis, accipite aliam hac nequaquam inferiorem. Cur intra sanctuarium tam Cherubin, quam propitiatorium et 729
 arca testamenti, item mensa propositionis et candelabrum turibulumque ex auro purissimo, quod Graeci obrusam appellant, tantum fingeatur et argentum in sancta sanctorum inferri non poterat? Nempe, quia in sanctissimum locum non nisi rem mundissimam ingerere licebat. Hinc autem nobis sat suaderi potest in 731
 empyrea aula nil magis decere, quam virginitatem, quae tanto caeteris virtutibus, quanto metallis aurum universis, iure praestantior esse iudicatur et ne inmerito quidem. Nam, qui seminat in 732
 carnem, corruptionem, qui vero in spiritu, metet vitam aeternam. Qui enim sunt secundum carnem, quae carnis sunt, sapiunt, qui secundum spiritum, ea sentiunt, quae sunt spiritus, quandoquidem prudentia carnis mors est, prudentia spiritus pax est et vita. Quare illud optime dictum est: Si secundum carnem vixeritis, 733
 moriemini, si spiritu facta carnis extinxeritis, vivetis in aeternum. Nam, qui dei spiritu ducuntur, hi profecto filii dei sunt. Spiritu 734
 autem dei nemo duci potest, nisi qui eius sanctitatem pro viribus imitetur et animum corpusque praestiterit immaculatum, quod nihil praestat, praeterquam ipsa virginitas, quae corpus non secus, atque hostiam, viventem sanctamque reddit atque deo quam acceptissimam. Nam, ut inquit apostolus, caro et sanguis regnum dei possidere non potest neque corruptio immortalitatis haereditatem inibit. Audi illud, quod in Apocalipsi legitur vere divinitus revelatum: Vidi supra montem Syon agnum stantem et cum eo centum 736
 quadraginta quattuor milia habentes nomen eius et nomen patris eius scriptum in frontibus suis et audiavi vocem et audiavi vocem de caelo tanquam vocem aquarum multarum et tanquam vocem tonitruui magni et vocem, quam audiavi, sicut cytharedorum cytharizantium in cytharis suis et cantabant, quasi canticum novum ante sedem dei, et ante quattuor animalia et seniores et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quattuor milia, qui 737
 empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum muliebribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum, quocunque iverit, hi empti sunt ex omnibus primitie deo et agno et in ore ipsorum non est inventum mendacium, sine macula enim sunt ante thronum dei. Haec ille. Ego autem ne vos quidem id 739
 velim ignorare, magnanimi duces, quod paulo ante tetigeram, omnes virtutes spiritus tanquam solidissimo fundamento ac sublimi quodam culmine continentia et virginitate substantari. Corruunt

omnes, nisi basim hanc invenerint. Haec enim facit, ut virtus ex
 quaque peristasi consumetur. Exlirpat enim omnia, quae aliqua 739
 ex parte virtutem oppugnant et, quia vera Christi est imago, nos
 carnem quoque, concupiscentias et vitia cruci iubet affigere, ut
 pariter cum salvatore nostro patiamur. Quis enim promerentior 740
 cruciatus, quae paena iocundior, quis affectus dulcior, quod ube-
 rius denique premium, quam cum Christo pariter et pro Christo
 pati, ut cum eo quoque haeredes caelorum esse videamur? Nonne 741
 divinitus Iohannem locutum arbitramini?, qui, Nolite, inquit, dili-
 gere mundum neque ea, quae mundi sunt. Si quis enim mundum
 diligit, in eo non est dilectio patris, quoniam omne, quod in mun-
 do est, desyderium carnis est et desyderium oculorum et super-
 bia huius vitae, quae non est de patre, sed de mundo. Mundus 742
 autem praeteribit et desyderium eius. Qui vero facit voluntatem
 dei, manet in aeternum. Ex his igitur colligi potest solam virgi-
 nitatem despiciendi mundi et extinguendae concupiscentiae veram
 esse magistratam atque in omni gradu et sexu tenere princi-
 patum, quae quidem tantum in se ponderis habet, ut sola
 tantum valeat, quantum conglomeratae caeterae virtutes. Nam, 743
 sicut absque caeteris operibus haec sola nos beat, ita omnia opera
 sine virginitate, puritate, continentia et castitate imperfecta sunt. Ideo,
 cum legitur in Cantica Canticorum: Emissiones tuae paradisi ma-
 logranatorum cum fructu pomorum et reliqua, ex his omnium virtutum
 significatur in virginitate conceptus. Contra vero pudicitia coni- 744
 galis non tam procincte et expedite deum sequitur et imitatur: ma-
 riti amore et liberorum charitate impeditur et, quia his est in mundo
 subnissa radicibus, satagit et sollicitatur, cogitur saepe per ambiti-
 onem et avaritiam quandoque per libidinem diligere mundum. Si 745
 virum bonum habet uxor, plus aequo amare compellitur et quan-
 doque deperdit a dei dilectione divertitur. Hoc enim inde leno-
 cinio humana mens admodum remoratur. Si malum, excruciat, 746
 assidua desperatione affligitur, succenditur ira et intestina tabe con-
 ficitur. Si sunt liberi, miserabiliter amat, quia in his etiam suam 747
 spetiem iniuetur et spes concipit ingentes, effertur ac tumet quan-
 doque prole sua et ad insaniam usque vel nimia laetitia vel inso-
 lentia delyrat, deum suspicere desinit, despectat filios et in mun-
 dum spem devertit universam, cui fortasse quandoque melius fo-
 ret vel habuisse nunquam vel habitis subinde caruisse. Si desint, 748
 miserabili desyderio inuritur, semper appetit habere et, quid sibi
 conducit, non semper optat; suam fortunam incusat et ingemiscit,
 desertae domus calamitatem deflet eiusque reformidat interitum, ve-
 hementer angitur sibi mutui amoris deesse pignora; tanta saepe
 perturbatione afficitur, ut raro dei memoria succurrat et, si succur-
 rerit, toto corde amare non possit. Idem de viro dici potest. Nemo 749
 potest adeo vehementer amari, qui eum non toto corde ac animo
 redamarit. Hoc enim ius divinae humanaeque postulat amicitiae.
 Virgo autem domino, uxor viro placere studet, quia uxor proprii
 corporis non habet potestatem, sed vir. Similiter et vir non habet 750

sui corporis potestatem, sed uxor. Ex quo fit, ut virgo expeditius, quam coniugata mulier, Iesu Christi vestigia imitetur eiusque vita et caelestior et praestantior habeatur. Nunc autem mihi liceat beneficio tuo, pater dulcissime, quod et tu in tua oratione fecisti, exemplo quoque meo mea dicta comprobare. Antequam deus me serenae maiestatis tuae lateri coniugasset ac vitae sociam regni-
que consortem tribuisset, angelicam (mihi crede) vitam ducere videbar. Omne enim tempus, praeterquam quod curando corpori permittebatur, sanctissimis studiis impendebatur. Surgebam diluculo et primam dei partem divinis officiis tribuebam, rem divinam subinde faciebam et, dum sacra fiebant, nunquam mens nutabat neque animus in diversa trahebatur. Postquam deo in primis satisfactum esse putabam, diversarum artium praeceptores admittebam; in accipiendis optimis disciplinis fratres quoque condiscipulos habebam, quorum disputatione post lectionem animus admodum relaxabatur. Mox ad salutandum patrem indulgentissimum festinabamus et consalutato patre nostraque praesentia et sermone recreato dimittebamur. Ego vero magistra duce eademque matrona sanctissima vel pictarum vestium artificia vel purpurarum lanificia spectabam; mox nona hora accubabam atque simul assidua lectione vel quovis alio docto religiosoque sermone animum cum corpore recreabam. Deinde divinum repetebam officium et suavem sacrarum rerum lectionem, in quibus maximam diei partem consumebam. Post haec aliquantulum per porticum deambulabam, per xistos ac hortos amoenissimos spatiabar, in quibus passim divorum simulacra pater statuerat, ut, ubicunque essemus, mens nunquam a dei contemplatione diverteretur. Iminente vesperi ad dei officium revocabar, a quo nunquam cessare licebat. Exacta caena neque pudica lectio deerat neque confabulatio salutaris. Somnus non accersebatur, sed inexpectatus obrepebat. Quid dixeris? placidam cum die noctem exigebam, non solum interdiu, sed noctu quandoque deum contemplantur; nusquam locorum inveniri poteram, ubi mentem a deo diversam haberem omnium curarum ac sollicitudinum expertem, quia praeter deum quid potius amarem, non intelligebam neque aliam voluptatem sentiebam, nisi quae divinae foret contemplationis; neque quid habebam, quod amore mundi me remoraretur in terris. Post, ubi vero tibi divinis auspi-
tiis coniuncta sum (liceat mihi, pater, ingenue fateri, quod negare non possum), tui saepe immensus amor et ardentissima charitas me in sollicitudinem et mundi desyderia revocavit. Desydero namque unicum saltem filiolum, quo spes utriusque sustentari posset, ut regni haeredem dulcissimum haberemus, qui non tam nobis, quam septemtrionalium gentium saluti esset optandus, et, cum caelestium gratiarum ianuam nondum votis nostris patefactam videamus, adhuc ex nostro desyderio pendemus et in divina misericordia et benignitate spem sitam habemus. Item, si domi es, tuis illecebris et suavissima consuetudine capior, cum variis artibus me larem ac laetam conservare contendas. Ego vero pro tua in me

ineffabili charitate pari arte vicem referre adigor. Quod cum uter-
 que facere pergamus, deum quandoque toto corde (ut par est) non
 admittimus. Humana enim mens sua fragilitate distracta vires amit-
 tit et sacri coniugii officio inretita deum saepe cogitur tradere ob-
 livioni. Si vero foris es et bella curas, tuae timeo incolumitati,
 vana pericula mente concipio, etsi nulla sunt, ea tamen reformi-
 dare compellor. Quorsum igitur haec omnia?, nisi, ut hinc vobis
 liquidius aestare possit virginitatem in dei servitio esse expeditis-
 simam et ab eius contemplatione non facile dimoveri, uxorem vero,
 quando non sui iuris est, viro placere desyderat. Et, qui seminat
 in carne, de carne metet corruptionem, qui vero in spiritu, de spi-
 ritu vitam leget aeternam. Item accedit et illud, quod non modo
 prophana, sed legitima venus tantum in se venefitii continet, ut
 animum penitus enervet ac humanae mentis lumen extinguat, quare
 non est ita coniugio credendum, ut in carnis servitia recidamus.
 Non enim, ut apostolus ait, vili pretio redempti sumus, ut servi
 hominum esse debeamus, sed pretiosissimus Christi sanguis nos
 a mortis servitute redemit et in auream libertatem asseruit, pro no-
 bis Christi agnus imolatus est. Quotiens insidiosa voluptas no-
 stras mentes obrepserit, illud repente nobis occurrat: En, quid agi-
 mus, quo labimur, qua vesania trahimur? Innocentissimo filii dei
 sanguine redempti sumus, ne irae filii amplius essemus, et nunc
 contempto tam pretioso assertore in priscam miseriam neque re-
 cidere erubescimus neque timemus. Iesum Christum ante oculos
 statuamus et nomen excellentissimum, quod est super omne no-
 men, suppliciter invocemus, in cuius mentione omnia contremi-
 scunt, castra demonum et caetera animalia genua flectunt, insidiosa
 abeunt voluptatum lenocinia et salutaria virtutum praesidia inge-
 runtur. Illud quoque cogitemus nos templum esse dei vivi, ubi pia-
 culum aliquid committi prophanum est et detestabile. Quam phar-
 macosa sit humana libido, Ioseph nobis se testem exhibeat, qui,
 cum tangere nollet Aegyptiam, aufugit e manibus et, quasi ad
 morsum rabidissimae canis, ne virus obreperet, pallium, quod te-
 tegerat, abiecit. Item et Petrus, caelestis ille ianitor pontifexque
 summus dominicae plebis Christi optimi maximi autoritate creatus
 atque in vita coniugium expertus, ut muliebri vasculo honorem
 tribuerent, viros diligenter admonuit, quod uxoriae cognitionis pre-
 stat abstinentia. Etsi quemque ita ambulare oportet, ut a deo vo-
 catus est, tamen et viro et mulieri danda est opera, ut, si Christi
 nativitatem imitari non potest, eius tamen imitetur exemplum. Nam,
 si ille virgo de virgine incorrupta natus est, id profecto divinita-
 tis fuit. Sancta igitur eius vestigia sectari humanae conditionis est
 atque laboris. O quam gloriosum est homini suam exeruisse libi-
 dinem, in qua quidem re Christi imitatio consumatur. Tria sunt
 eunuchorum genera: unum, quos natura peperit, alterum eorum,
 quos hominum vis eviravit, tertium vero deo quam acceptissimum,
 quos non necessitas castraverit, sed voluntas, et, quicunque talis
 est, ingentis est fidei summaeque virtutis, quia dei templum est

purissimum totumque se deo offert olocaustum. Sunt tamen quan- 774
doque nonnulli, quorum corpus integrum est, anima vero corrupta;
et idem plerisque accidit mulieribus. Sed vera Christi victima est
illa virginitas, cuius ne mentem quidem cogitatio ulla polluerit nec
carnem libido faedaverit. Coniugalis autem pudicitia sine aliqua
mentis contagione esse non potest, quando alterum alterius impe-
rio subiacet, ex quo fit, ut nequaquam cum virginitate comparari
possit. Quod et Samuelis testatur exemplum, qui, quamvis deo ac- 776
ceptus extiterit, coniugio tamen obnoxius filios peperit, qui deo
displicerent. Contra Hyeremias Ioannesque Baptista iccirco in ma-
tris utero sanctificati sunt tantoque privilegio fruuntur, qui beati-
tudini virginitatis erant destinati. De divina autem virgine Maria 777
mentionem facere non audemus prae nimia gratiarum plenitudine,
quam semper credimus omni nota carentem. Quem alium ante na-
talem diem sanctificatum accepisti praeter eos, quos intempestiva
virginitas in parentis utero sanctos ac vivos effecit? Tantum enim
gratiae et miraculorum non modo coniugalis pudicitia, sed ne ulla
quidem virtus unquam praestare potuit. Iohannes euangelista sen- 779
tentiam approbat opinionemque confirmat, quem, quia Christi fides
virginem invenit, in virginitate permansit et plus amoris a deo
promeruit, supra pectus domini recubuit, ubi multa sunt sibi re-
serata divinitus. Iesum in littore stantem apostoli dinoscere non 780
poterant. Solus Ioannes virgo virginem recognovit atque virgo vir-
ginem dei matrem sibi a filio commendatam accepit. Ideo dominus 781
ad Petrum conversus inquit: Sic eum volo manere, quid ad te?
unde sermo prodiit inter fratres discipulum illum non esse mori-
tuum. Ex quo vos hinc magnum, viri optimi, accipite argumen- 782
tum virginitatem non mori, sed quasi obdormientem se ad aliam
vitam traicere. Nanque Ioannes post salvatoris nostri passionem
uno de septuaginta annis ad Traiani usque imperium vixit. Ter- 783
tullianus quoque autor est eum Neronis iussu in olei ferventis
dolum esse iniectum atque illinc puriorem vegetioremque, quam
intraverat, exivisse. Conticescant igitur caeterae virtutes, cum de 784
virginitate sentiunt fieri mentionem, quando omnium haec basis est
ac munitissimum fundamentum. Insuper qua ratione bigami, paeni-
tentes et repudiatarum mariti, ut sacra apud nos lege sancitum
est, ad sacerdotium non ascendunt? Contra vero, qui virginem 785
habuerit uxorem, quibuscunque sacris initiari possunt, viduarum
vero mariti a sacris arcentur. Item apud antiquos in sacris Eleu-
sinae deae et Dianae nemo poterat impudicus admitti neque pol-
luta mulier. Praeterea et tempestate nostra sacris nulla potest 786
initiari, nisi virgo fuerit, atque, si in sacra sanctimonialium caenobia
viduae admittantur, ad ministeria potius, quam ad sacra recipiun-
tur, nempe, quia deo nulla satis hostia placere potest, nisi per
virginitatem munda fuerit et idonea; caeterae vero, quibus aliqua 787
impudicitiae nota inusta fuerit, iure ac merito a sacris arcentur.
In templo nanque dei omnia munda ac pura esse debent, quae si
defuerint, propitiatio nulla rite fieri potest. Si magna sunt, quae 788

de virginitatis privilegio iam dudum dicta sunt, quid dicetis, si, dum de virginitate disputatur, ea quoque memoratu digna adiiciuntur, quae nostram fidem approbant, licet ab infidelibus viris aliquin doctissimis scripta sunt. Aegyptii quidem dei spiritum virgini appropinquare et quaedam sobolis principia ingignere posse crediderunt, contra viro nullum esse corporis neque conmissionem neque congressum. Que quidem sententia etsi sano iudicio intelligenda est, non parum tamen veritatis illi attigere in orthodoxe nostrae fidei testimonium. Proinde indubitanter nobis credendum est virginem dei filium ex Spiritu Sancto concepisse tot prophetarum enunciationibus, tot deorum oraculis, tot Sybillarum carminibus ante praedictum, siquidem barbari, quamvis excellentissimarum artium autores, infusi tamen luminis expertes hanc sententia divinitus protulere dei spiritu mulierem dumtaxat virginem incolere posse alque solam virginitatem unicum in terris esse dei domicilium, in his contra permanere non posse, in quibus virginitatem non invenerint. O virtutem ineffabilem, o gratissimam deo victimam, o acceptissimum olocaustum, o verissimum dei templum, o sponsam caelesti amore dignissimam, quae pulchritudine tua deum e caelo devocas, munditia allicis, virtute compellis, potestate cogis, humilitate flectis, precibus adurges sanctissimis aequum votis adesse, quippe quae non mundi amica, non cupida vanitatis, non avida turpitudinis, sed unicae Christi delitiae eiusque fidissima comes ac socia, quo cum et te et carnem tuam quottidie crucifigis, ut cum eo quoque aeternae vitae premia colligas atquei tanto denique sponso digna esse videare. Quin etiam et Graecae verae tunc religionis ignari tantum virginitati tribuerunt, ut suos quoque deos ac deas ea saepe captas fuisse referant, ut Cybelem Ati et Bitinide, Lunam Endimione, Dianam Hyppolito, Apollinem Iacinto et Admetho ac Forbante, cui, quotiens ex Sityone Cyrram annavigasset, consultum oraculum hoc reddidisse scribunt: Hyppoliti rursus charum caput aequora findit. Fabulantur etiam Pana Pindari eiusque carminis fuisse amatorem, item Aesculapium a Sophocle hospitio susceptum, quin etiam et numina Zeleucum, Minoa Zoroastrumque amasse non parvi pudoris amatores. Aegeria quoque Numae Pompilii consuetudine delectata est. Quae quidem exempla nil aliud sibi postulant, quam ut quisque sibi persuadeat deum prae caeteris virtutibus virginitate delectari ac non modo eam vehementer colere, sed eius quoque amare reliquias. Cur praeterea caelibes appellamus? nempe, quia caelibes quasi celites dicti sunt, quia caste et sine coniugio vivere caelitum est potius, quam hominum, et eo maxime, quia Saturnus caelo genitalia exeruit. Illud quoque vos praeterire non debet, prudentissimi duces, quod iam dudum paterna maiestas retulit, non modo duodecim signa zodiaci, sed septem etiam planetae cuncta humani membra corporis sibi vindicare et non parva infundere fomenta vitiorum. Sola igitur haec virtus cuncta turpitudinis et malitiae facinora repellit hominemque a recta finis intentione divertere non permittit. Quottidie homini ante oculos be-

neficia divina proponit, cogit reminisci se a deo duxisse originem
 neque saxum neque lignum neque suem neque vermem, sed hominem
 mentis et rationis compotem ab eo esse procreatum; item non efferatum,
 non profanum, non a vera religione alienum, sed ex eo populo natum,
 quem deus adoptaverat et pretioso sanguine redemerat. Hortatur ad iustitiam, fortitudinem et temperantiam,
 admonet pietatis et prudentiae, animum denique nostrum dei ac hominis imbuat
 charitate; mortem docet potius appetendam, quam animae corporisque
 maculam tollerandam; nil vehementius timet, quam dei laedere voluntatem
 et a vita potius, quam ab ea excedere mavult; suadet in hoc mundo nihil esse, quod nos ad
 amorem eius et ad vitae cupiditatem hortetur, neque ex parte animae,
 que his corruptibilibus rebus per se minime delectatur, facile
 intelligentis hic omnia vana et caduca esse ac momentanea neque
 ex parte corporis, quod, cum breve sit et tot morbis obnoxium,
 humanis rebus diu frui non potest, neque ex parte loci, quando
 fortunae est ludus, miseriarum spectaculum et vitae nostrae ludibrium,
 neque ex parte conditionis humanae, quae perfectiora requirit,
 neque finis gratia, quia huc venimus ut peregrini, ut in caelum,
 unde ducimus originem, redeamus. Proinde, quanti haec fecundissima
 virtus facienda sit, ex his, quae diximus, intelligi potest. Ad haec cur,
 pater, inter sydera et duodecim signa coniugalis pudicitia, sicut
 virginitas, si caelestis est virtus, ut asseris, sibi locum non invenit?
 nimirum ibi virgo sedem invenit et ex octavo et supremo orbe
 stellifero nobis et plerisque animantibus castitatem infundit.
 Quin etiam Aegyptios, Arabes et Chaldaeos, qui tam benigno syderi
 subiacent, summa continentia et ingenii bonitate praecellunt
 et propterea astronomiam, theologiam, mathematicas disciplinas
 invenisse et caste vixisse referuntur. Reges enim sanctissimos habebant,
 quoniam ex summis philosophis sacerdotes et ex summis sacerdotibus
 reges creabant. At ego cur in caelo dixerim hanc sibi tantum
 sedem invenisse? nonne ante nostri redemptoris adventum apud
 antiquos non parum sibi religionis ascivit ac modo sub Dianae,
 modo sub Minervae numine culta est? saepissime autem ac diu
 sub Vestae appellatione, unde Vestales virgines dictae sunt,
 quarum religio quanta fuerit apud Romanos, referre non erit
 inutile. Romani purum perpetuumque ignem immaculatis virginibus
 custodiendum committebant, quam quidem religionem a Troianis
 acceperunt, quamvis in Graecia, ut Phitiae et Athenis, perpetuus
 ignis servari consuevit, et, si is forte quandoque deficeret,
 veluti Athenis Aristone tyranno sacram lucernam extinctam
 aiunt, item apud Delphos templo a Maedis incenso ac Romae
 tempore Mitridatici bellique civilis simul cum ara et ignis
 periit, ex altero igne nequaquam accipi oportere iudicabant,
 sed novum et peregrinum accensa ex sole flamma pura et
 immaculata eliciebant. Vasa enim in isoscheli trianguli speciem
 cavata soli adversa opponebant et e regione fomenta quaedam
 apponebant, ut solis radii in centrum coacti et in fomenta

reflexi param flammam parerent. Hunc igitur ignem inextingui- 809
 bilem virginibus committebant. Numa Geganium et Bereniam
 huic Vestae numini, deinde Camillam et Tarpaenam sacrasse dici-
 tur. Servius duas alias numero addidit, qui deinde in multitudi-
 nem crevit. Virgines annos triginta castitatem a rege servare co- 810
 gebantur. Primo decennio discebant, quae fieri oportebat in sacris,
 secundo, quae didicere, operabantur, post id tempus sacerdotii ex
 auctoritate nubere poterant aut, quam vellent, vitam optare. Sed, 811
 quia iam experientia didicerant plerasque, quae virginitatem ex-
 uerant, tristitia et merore reliquum vitae tempus exegisse, ideo ad
 mortem usque castitatem servabant. Sed, quantum huic virginitati
 senatus populusque Romanus tribuere consuevit, hinc accipite. Cum 812
 fascibus enim in publicum prodibant et, si forte in quenquam ca-
 pitis damnatum incidissent, qui ad extremum iudicium ducerentur,
 eum necari non licebat; qui autem occurrebat, cum ille feretro ve-
 herentur, moriebatur. Quin etiam vivo patre his condendi testamenti 813
 ius erat ac caetera sine curatore gerendi, perinde atque trium ma-
 tribus liberorum. Quicumque his in via magistratus occurrisset, ce-
 dere iubebatur e via. Insuper his locus erat in teathro contra pre- 814
 toris tribunal. De his autem capiendis haec Labeo Antistius scri-
 bit, minorem, quam annos sex, maiorem, quam annos decem na-
 tam, negaverunt capi fas esse; item, quae non sit patrima et ma-
 trima; item, quae lingua debili et sensu aurium diminuta aliave
 corporis labe insignita; item ipsa aut cuius pater emancipatus sit, 815
 etiamsi vivo patre in avi sit potestate; item, cuius parentes alter
 ambove servitutum servierint aut in negociis sordidis diversantur.
 Sed eam, cuius soror ad id sacerdotium lecta sit, excusationem 816
 mereri aiunt, item, cuius pater flamen aut augur aut quindecim-
 vir sacris faciundis aut qui septemvir epulonum aut Salus est.
 Insuper Papia lege cavebatur, pontificis maximi arbitratu virgines 817
 e populo viginti legantur sortitioque in contione ex eo numero
 fiat. Virgo pontificis maximi manu predebatur et veluti capta bello
 a parente abducebatur et nullius filia legi poterat, qui domicilium
 in Italia non haberet. Cum cives in virginum Vestalium delectu 818
 neptes dare recusarent, Utinam haberem, inquit Octavianus, quas
 dare possem. At ea infaelix, quae virginitatem prodiderat, quo anim-
 adversionis genere quave morte mulctaretur, attendite. Ad Colli- 819
 nam portam ducebatur in tumulum, ubi domus humi erat substructa,
 in quam e superiore loco descendebatur, et ibi lectus stratus erat,
 item lucerna ardens, panis, lac, oleum et vas aquae, quasi caveat
 ipsa domus, ne fame eius corpus intereat. Ea vero, quae morti 820
 erat obnoxia, quod virginitatem non servasset, feretro imposita et
 circumtecta lorisque ligata, ne vox etiam posset audiri, per forum
 vehebatur; silentio sequebantur omnes et non sine merore gravi.
 Quod quidem spectaculum perquam horribile erat neque civitas
 alium diem mestiores agebat. Cum vero ad locum perventum erat, 821
 solutis vinculis pontifex maximus archana quaedam precatus sub-
 latis ad deos manibus eam capite opertam ante supplicium edu-

cebat et in scalis constituebat, quae in subterraneum domicilium
 deferebant; mox pontifex cum caeteris sacerdotibus avertebatur et
 sublatiis scalis multa desuper iniecta terra descensus ille comple-
 batur. Ex his autem facile intelligi potest, sacram virginitatem quanto
 honore Romanus populus exornarit et, quae fedaverint, quam diro
 supplicio in eas animadvertendum esse censuerint. Martii Corio-
 lani tempore Ilia virgo Vestalis ob incestum viva defossa est, item
 Minutia virgo; Tito Mallio consule Septilia, Fabritio censore
 Lutia, Marco Marcello consule Opimia et Florentia Paulo Ae-
 milio et Terrentio Varrone consulibus, tres virgines Vestales Do-
 mitiano imperante et Cornelia virginum maxima sub Traiano.
 Proinde virtutem nullam religiosius, quam sanctissimam virgi-
 ninitatem, Romani venerabantur, quia divinam potius quam hu-
 manam hanc esse arbitrabantur, nihil contra severius puniebant,
 quam eas, quae tantae virtutis potestatem profana impudicitia ma-
 culassent. Quam veris et perspicuis argumentis ostendimus hanc esse
 coniugali pudicitiae anteponendam, sat per ea, quae dicta sunt, vo-
 bis manifestum esse potest. Sed, cum patrem videam nolle adhuc
 sententia cadere vel potius, ut iam dudum innuit, mea dicacitate
 delectari, adiciam nonnulla variaqua exempla conglomerabo, ut
 mea sententia tutius muniatur et meo patri fiat satis discatque in
 posterum mulieri quandoque esse cedendum. Saepenumero mecum,
 pater, dubitare consuevi, qua ratione ante mundi lucem et veritatis
 adventum nulli tantam vim affuisse virtuti, quae miracula ederet,
 et, quamvis ea divina potestate fieri solent, nulla tamen adhuc
 promeruit tantum sibi muneris impendi, praeterquam virginitatem,
 et, si qua referantur, aut scriptorum inconstantia esse scripta aut
 falsa religione credita. Unde tibi, Tutia, tantum numinis infusum
 est, ut virgo Vestalis insimulata sacrilegii apud pontificem maxi-
 mum non sine miraculo edito illato crimine te ipsa solveres? spec-
 tante nanque populo et admodum timente, ne viva defodi coge-
 reris, formidoloso te experimento liberasti, quia semper castas
 sacris ignibus manus admovisti, arrepto cribro in aedem Vestae
 ex Tyberi haustam aquam rettulisti. Pari quoque successu, Clau-
 dia, crimen evasisti, quando navem Magnae Deae simulacrum e
 Pessimonte advehentem et Tyberinis harenis impactam alligato pro-
 rae cingulo per Tyberim sola duxisti. Ad haec praeter prophetas,
 qui suo populo prodire, cur deus in Sybillis sic aperte loqui vo-
 luit, ut eas merito quasi dei sententias et consilia interpretemur?
 nempe, quia eas castas fore videbat et sola virginitas verum est
 dei tabernaculum. Cur eas tam longaevas esse iussit? quia vir-
 ginitas non modo animam, sed corpus quoque prohibet corrup-
 tione. Non enim Hebraeae fuere illae neque Palaestinae, sed prima
 Persica, secunda Libica, tertia Delphica, quarta Cumana, quinta
 Erithrea, sexta Samia, septima Amalthea, octava Helespontia, nona
 Phrigia, decima Tyburtina. Nullam respuit virginem divina ma-
 jestas, sive barbara illa fuerit sive Graeca Latinave. Quis eam do-
 cuit talia cecinisse: αὐτὰρ σύ, ἄφρων, τὸν σὸν θεὸν οὐκ ἐνόησας

παίζοντα θνητοῖσι νοήμασι, ἀλλὰ κἀκάνθαις ἔσπευας στεφάνῳ φοβερὴν τε χολὴν ἐκέρασας, id est, at tu, stulta, deum tuum non cognovisti ludentem mortalibus mentibus, sed spinis coronasti horridumque fel miscuisti. Item et illud: εἰς δὲ τὸ βρώμα χολὴν καὶ εἰς 833 δίψαν ὄξος ἔδωκαν, τῆς ἀφιλοξενίης ταύτην δείξουσι τράπεζαν, id est, in cibum fel et in sitim acetum dederunt, inhospitalitatis hanc mensam monstrabant. Nimirum maxima divinitatis arcana et suprema quaeque miracula per virginitatem deus edere dignatus est. 834 Mundi salvatorem virgineo ventre recondit. Reluctantem Paulum, 835 quia virgeneum esse cognoverat, non solum vas electionis esse iussit Spiritu Sancto refertum, sed ad tertium usque caelum rapuit. Ioanni quoque virgini filius virgo matrem virginem pendens in cruce commendavit. Iacobum tantae sanctitatis et perpetuae virginitatis Iosephus Hebreorum hystoricus fuisse describit, ut propter eius tantum necem Hyerosolimam subversam esse crediderit. 836 Petronilla clavigeri Petri filia perpetuam sibi virginitatem indixit. Flavia Domitilla, Flavii Clementis consulis ex sorore neptis in insulam Pontiam relegata est, quia Christianam se esse fatebatur et virginitatem ob id tueri volebat. Tecla sanctissima virgo divina 837 Pauli doctrina instituta, Potentiana et Praxedis sorores Timothei et Novati in perpetua virginitate perstitere. Ignatius Ioannis discipulus virgo fuit et virginem Mariam in carne vidit ac salvatoris amore ita divinitus exarsit, ut in eius corde nomen Iesu inscriptum fuerit inventum. Serapia virgo Antonino Pio imperante et 839 Iustini hystorici tempore forti animo pro fide Christi mortem obivit. Quid de septem dormientibus referemus, quorum miraculum 840 non modo stuporem maximum afferre, sed humanam fidem superare videtur? hos enim summa castitate munitos Detius imperator in antro clausit obscurissimo, cum acerrimus esset Christiani nominis inimicus, quod cum annos post ducentos Valentino Caesare imperante patefactum esset, vivi in recondito specu reperti sunt. Agata apud Cataniam Siciliae civitatem nec colophis nec 841 carceribus nec equuleo nec mammillarum exertione nec tormentis nec candentibus denique carbonibus a virginitate et orthodoxa fide Quintiano iudice removeri potuit. Apolonia Alexandriae, ut 842 idem praestaret, neque dentes vi excussos ingemuit neque prae paratum ignem reformidavit, ut eadem premia assequeretur. Trifon puer castissimus, qui daemones e corporibus abigebat, item Autolia et Victoria virgo sub Detio pulcherrime cecidere. Eadem fortitudine 843 usa est Cirilla Detii imperatoris filia et Columba virgo, quae sub Aureliani imperio martirii coronam promeruere. Sed quid 844 de Lucia, Beatrice, Theodora, Catarina, Margarita et Agnete virginibus in omne aevum merito commemorandis?, quae omnium philosophorum caeterorumque virorum et sapientiam et fortitudinem superarunt, quae Dioclitiano et Maximiano imperantibus fortissime mortem subivere, quo quidem tempore usque adeo in Christianos saevitum est, ut diebus triginta hominum viginti milia imperatorio iussu in profexione verae fidei mattarentur. Constantia 845

Constantini magni filia virginitate duce et fide comite elephantian exiit. Martinus Pannonia oriundus, Turoniensis episcopus summa continentia inter sanctos relatus est. At quid de Hieronymo nostro 846 suavissimo divini eloquii fonte referemus?, qui tantum virginitate sua divini luminis assecutus est, ut, nisi talem interpretem et hereticae iniquitatis confectorem habuissemus, adhuc in tenebris laboraremus. Parisium Genovefa virgine gloriatur, Colonia Agrippina 847 undecim milium virginum strage celebratur, quas barbaricus Unnorum furor rapuit ad supplitium. Ioanni Damasceno manum iniuste amputatam ob nimiam castitatem divina virgo restituisse perhibetur. Focas imperator in Pharam virginem saeviit. Gallia Regiulfam 848 virginem, quae Constantini tertii imperio claruit, perpetuo celebrabit. Maxelendem et Noitburgem virgines Agrippina Colonia celebrat et, quamvis barbara videntur esse nomina, Romana tamen laude digna non sine facinore praeteriri possunt. At quis Ediltrudem Britanniae reginam sat pro dignitate laudaverit?, quippe 849 quae tribus nupta viris semper immaculata permansit atque ipsa potius viros in virginitatem asserebat, quam ipsa a virginitate deficeret. O regina cunctis commemoranda gentibus, qua Oceanum 850 et Europa iure gloriatur. Praeterea anne subticendum est ingens miraculum a virginitate Ludovici tempore Gallorum regis editum, quo puella nondum fere duodecimum annum nacta claruit sanctitate tanta, ut post sumptam eucaristiam sex mensibus pane tantum et aqua quotidiana ieiunia peregerit, deinde per triennium cibo ac potu prorsus abstinerit? At quis negarit Pannoniam quoque 851 nostram castissimis nequaquam regibus caruisse? Sanctissimus enim ille pater Stephanus non minus fidei, quam imperii autor, quamvis Gillam Heurici imperatoris sororem duxit uxorem, qua tamen castitate vixerit, sanctitas et miracula declararunt. Heuricus quoque 852 imperator Conneundam uxorem habuit et in sancto coniugio perpetuam uterque virginitatem retinuit. Eodem exemplo Hamericus regis Stephani filius, qui sibi in regno successit, virgo cum sponsa sua semper vixit. Etuاردus, qui Britanniae regnum iustissime gubernavit, ob castitatem maticinatione est a deo donatus. Elburga 853 quoque eius filia et Egitha Edogari regis filia et Vallurga cum Maria Diogenea inter deas relatae sunt. Hyspania vero nostra divum 854 Dominicum fecundissimae religionis autorem non immerito praedicat et veneratur. Umbria Franciscum verum dei servum unicum et idem divinum consumatae virginitatis et sanctitatis exemplar, cunctis gentibus religiosissime venerandum ac maximum 855 Christianae fidei columen et firmamentum iure praedicat et adorat suaque monumenta posteritati veneranda commendat. Quid Petrum 856 martyrem? quid virgineum angelicumque Thomam verissimum ac dilucidissimum sacri dogmatis explanatorem?, quem quicumque non legerit, neque in divinis neque in humanis vere sapere poterit. Sena vero Aetruriae civitas Catherinam virginem perpetuo praedicabit, quae tam ineffabili castitate fuisse memoratur, ut non 857 secus atque Franciscus a Christo stigmata promeruerit. Retulimus

non ignobilem sacrarum virginum cohortem, quae ante nostra tempora floruerunt. Sed liceat mihi, quaeso, pater, benignitate tua 858 duas referre Italiae virgines recentiores quidem et ab aetatis nostrae memoria non longe remotas, quarum altera in Umbris, in Praecutinis altera religiose celebratur. In Umbria enim non procul a Perusia Monsfalco est oppidum in edito monte situm Fulginatibusque vicinum, ubi cuiusdam virginis, cui Clarae nomen erat, reliquiae nonnullae videntur, quae non modo virginitatis excellentiam, sed indubitabile fidei ac Trinitatis referunt argumentum. Haec enim virgo, cum inter sanctimoniales vitam caste sancteque duxisset, incurabili demum morbo correpta ad mortem redacta est. Circumstabant sociae et, ut hanc in domino obdormitionem 860 miti animo tolleraret, adhortabantur; in mortis angustia enixe obsecrabant, ut crucem et paxionem Christi ante oculos haberet ac demum individuae Trinitati spiritum suum commendaret. At illa moriens saepe respondit haec omnia se in corde continere. Cum animam exegisset, pro explorata virginis sanctitate, quia in corde dixerat, priusquam aspiraret, se Christi passionem habere, placitum est antistiti, ut patefacto pectore cor virginis exertum medicus cum vespillone rimaretur et diligenter inquireret, si quid praeter naturam in purissimo corde inspiceretur. Allatum tandem est 862 cor et coram antistite divisum, in quo crux Christi, lancea ac caetera divinae passionis instrumenta continuo emicuisse, quin etiam et non parva sanguinis copia, quae in hodiernum usque diem in paraxide asservatur, item pilulae tres eadem magnitudine, sed prestigioso pondere, quippe quae, quomodocunque pensitentur, una cum binis aequo examine constabunt, quod sanctissimae Trinitatis evidentissimum videtur esse experimentum, quandoquidem et coniunctae illae et quovis modo seiunctae eiusdem ponderis esse videntur, ut illustri sit nobis argumento patrem, filium Spiritumque Sanctum, quamvis personae distinguantur, eiusdem tamen esse divinitatis et essentiae. O spectabile per secula cuncta miraculum, quod 864 adhuc (ni fallor) universa saepe spectavit Italia. O verum virginitatis argumentum cunctis aetatibus praeferendum. O evidentissimum Christianae fidei spectaculum, quo difficultas omnis amovetur, unde, quantam dei charitas cum virginitate coniuncta vim habeat, spectanti cuique facile erit intueri. Quin immo, quod in patris regno 865 memoratu dignum accidit, referamus. Praecutini populi sunt in paterni regni principio iuxta Asculum urbem Truento fluvio ab agro Piceno determinati, in quibus Camplum est oppidum ab Interamnia Praecutina distans stadiis quattuor et viginti. Hic puella nata 866 est usque adeo Christi obsequio praedestinata, ut ab ineunte pueritia iuxta dei templum inaccessibili fornice proprio iussu coherceretur. Victa tandem mater, quia virginitatis numini nil obsistere 867 potest, filiolum obstructo carcere obcluserat, ubi, cum vitam ageret non invita difficilem, tantum divini numinis pro sua virginitate concepit, ut omnibus expedite linguis loqueretur. Hanc Iosias Aquaviva 868 Adriae dux et Iulii pater, qui pulcherrime ad Idruntum Tur-

corum bello oppetiit, et adire frequenter et futura consulere con-
 suevit, quin etiam et finitimi saepe populi religiosius adibant. Et 869
 haec consulta Graece, Latine et Hebraice loquebatur et interrogata
 in omni disciplinarum genere doctissime respondebat. Ingentis
 foret ocii sanctissimae virginitatis et excellentiam et referre mira-
 cula. Quin id dicere ausim vel rarum vel nullum in terris, nisi 870
 per virginitatem aut aliquas eius reliquias, edi posse miraculum.
 Praetermitto longam veterum cohortem, quae Christianae fidei mu- 871
 nere caruere; ommitto Atlantam, Harpalicem, Camillam, Iphigeniam,
 Chrisida, Casandram caeterasque Diane Tauricae virgines; om-
 mitto Minervam, Dianam virginesque Vestales, quae in tanta habi-
 tae sunt autoritate, ut consules, imperatores caeterique magistratus
 et ordines de via caedere solerent. Sed quis Phedonis filias sine 872
 scelere preterierit?, quem cum Atheniensium triginta tyranni in
 convivio necavissent filiasque eius virgines ad se venire iussissent
 ac scortorum more nudatas super pavimenta paterno sanguine
 fedata impudicis gestibus ludere imperassent, dissimulato paulisper
 illae dolore, cum convivas ebrietate confectos intelligerent, quasi
 ad requisita naturae egredientes, ut virginitatem morte servarent,
 invicem complexae se praecipites in puteum dederunt. Quis De- 873
 motionis Ariopagitarum principis filiam subticuerit?, que audito
 sponsi Leostenis interitu se interfecit asserens, quanquam intacta
 esset corpore, tamen, si alterum accipere cogeretur, quasi secun-
 dum acciperet, cum priori mente nupsisset. Quis quinqueingenta La- 874
 caedaemoniorum virgines mentione dignas non existimet?, quarum,
 cum Spartiatæ et Messenii ob quaedam sacra virgines ultro citro-
 que mittere solerent et quodam tempore Messennii Spartiatarum
 filias violare tentarent, ex tanto numero nulla stupro consensit,
 sed omnes pro servanda pudicitia occubuerunt, unde gravissimum
 ac diuturnum utrinque bellum concitatum est. Adhuc Stymphali- 875
 dem suam praedicat Archadia, quam cum Aristoclidēs Orchomeni
 tyrannus virginem adamasset et cum interfecto patre in Dianae
 delubrum confugisset ac simulacrum eius teneret nec vi posset
 evelli, ibidem tyranni furore contrucidata est, cuius mortem ita
 egre tulit Archadia, ut necem virginis ulcisci perrexerit. Aristome- 876
 nis Messenii viri profecto iustissimi nomen in omne saeculum
 ubique regnabit, qui victis Lacedaemoniis nocturna sacra celebran-
 tibus, quae Hiacintina vocantur, de choris ludentium quindecim
 virgines rapuit et, cum eius comites vim inferre contenderent, cum
 monitis nihil proficeret, quosdam tandem non parentes interfecit
 et ita caeteros metu cohercuit. Redditæ deinde suis puellae, cum 877
 Aristomenem cedis reum viderent, confestim, ubi in patriam rediere,
 ad iudicum pedes revolutæ non prius inde discessere, quam suae
 pudicitiae defensorem viderint absolutum. Schiedasi quoque filiae 878
 perpetua laude non carebunt, quippe quae in Leutris Boetiae, cum
 duos iuvenes absente patre hospitii iure exceperant et cum illi
 nimia crapula et ebrietate confecti per noctem vim virginibus in-
 tulissent, polluta pudicitia supervivere nolentes mutuis vulneribus

conciderunt. Quid etiam admirabilius, quam quod de Locridibus 879
 virginibus memoria proditum est, quae per annos circiter mille, cum
 Ilium ex more mitterentur, nullam impudicitiae famam subivere?
 Castis quoque mentibus maiori curae castitatem esse, quam vitam 880
 septem Milesiae virgines plane testantur, quae Gallorum impetu
 cuncta vastante, ne quid turpitudinis ab hostibus paterentur, con-
 scita morte caverunt. Quis Thebanae virginis poterit oblivisci, quam 881
 cum Nicanor victis Thebis vehementer amasset eiusque captivae
 coniugium expetivisset, experientia duce cognovit a virgineis men-
 tibus longe pluris, quam regnum, fieri virginitatem. Item et alia 882
 Thebana virgo memorabile defensandae virginitatis exemplum om-
 nibus post se gentibus reliquit, quae, cum ab hoste Macedone vio-
 lata foret, dissimulato aliquantisper dolore dormientem paulo post
 corruptorem iugulavit ac subinde sibi ipsa congratulans interfecit,
 ut amissa virginitate non viveret neque inulta moreretur. Pytha- 883
 gorae filia choro virginum praefuit et eximia castitatis doctrina
 eas instituit. Diodorus quoque Socraticus quinque filias habuit
 arguta dialetica insignes et virginitate singulari praeditas. Quis 884
 Eucliae inmemor esse potest, quae longe ante hoc tempore floruit?
 Hanc Herculis et Mirthae filiam plerique fuisse volunt, nonnulli
 ex Menetio Patrocli sororem, quae, cum totam vitam inviolabili vir-
 ginitate transegisset, magno in honore apud Boetios et Locros fuit,
 quando ei statuum et aram in omni foro dicarunt, ad quam sponsi
 et sponsae, priusquam nuptias celebrarent, sacrificare consueverant.
 Mitridates quoque rex Ponti acerrimus hostis populi Romani nihil 885
 in tanto potentatu variaque fortuna pulchrius ostentare potuit, quam
 cum uxorum magnanimitate praeclarissimam utriusque sororis vir-
 ginitatem. Cum enim victus fugeret, Bacchidem eunuchum Pher-
 natiam, ubi mulieres tutius observabantur, misit nunciantem regis
 nomine, ut, quod vellent, genus mortis optarent, ne quid turpi-
 tudinis a Romanis perpeti cogerentur. Duae uxores Ionicae, altera, 886
 cui nomen erat Monima, avulsum a capite diadema cum collo
 circumligasset, misere se suspendit et, cum corporis gravitate la-
 queus frangeretur, O execrandum inquit, diadema, neque in tam
 tristi ministerio mihi profuisti; et mox se Bacchidi iugulandam
 commisit; altera Veronica hausto veneno, quod cum matre divi-
 serat, cum statim interire non posset, se eunucho pariter tradidit
 suffocandam. Sorores vero Mitridatis, quarum altera Roxana, Sta- 887
 tira altera dicta est, ad quadragessimum usque annum servata vir-
 ginitate veritae, ne eam quoquo modo polluerent, venenum pariter
 hauerunt, quae ob id non modo regio genere, verum etiam et
 divino non indignae habitae forent. Orithia Marchesie Amazonum 888
 reginae filia in regno successit, cuius praeter singularem belli sci-
 entiam eximia servatae in omne tempus virginitatis admiratio fuit.
 Si tot peregrina in medium exempla deduximus, nonne piaculum 889
 committere videamur, si Romanae quoque gentis, unde tu, pater,
 oriundus es, nihil referre cupiamus? Coelia virgo una ex obsidi- 890
 bus Porsenae datis, cum Aetruscorum castra a Tyberina ripa non

procul locata essent, falsis custodibus inter taela hostium transna-
 vit ad suos et dux virginei agminis omnes incolumes Romam prope
 restituit, cui nisi tantum animorum virginitas afflasset, virile pro-
 fecto et praeclarum nunquam facinus ausa fuisset. Tarratiae vero ⁸⁹¹
 virgini Vestali, ut Horatia lex testis est, amplissimi a populo Ro-
 mano honores tributi sunt, quippe cui ius dicendi testimonii con-
 cessum est et testabilis una omnium faeminarum facta est et alia
 nonnulla data privilegia. Antiquorum quoque iuvenum pectora hanc ⁸⁹²
 deam habitare non puduit. Caius Marius imperator exercitus, quia
 pudicitiam adolescentis ille coinquinare tentaverat, Drusum sororis
 suae filium tribunum militum a Plotio manipulario milite iure ce-
 sum pronunciavit. Marcus Claudius aedilis curulis C. Scantinio Ca- ⁸⁹³
 pitolino tribuno plebis, quod filii castitatem contemneret tentasset,
 diem ad populum dixit et, cum reus sacrosancam potestatem se
 habere diceret et tribunitium auxilium imploraret, negante toto tri-
 bunorum collegio se sanctissimae virginitati intercessurum convic-
 tus uno tantum testimonio adolescentis, qui tentatus erat, damna-
 tus est. Titus Veturius, cum aere alieno gravatus cum Celio Plo- ⁸⁹⁴
 tio nexum se dare coactus esset et inmaniter ab eo pulsaretur,
 quod virgineum pudorem ab illo fedari non permetteret, ad con-
 sules conquestus est; quod cum ad senatum relatum esset, Plo-
 tius continuo in carcerem coniectus paenas luit. Spurinna pul- ⁸⁹⁵
 cherrimus Aetruiae adolescens, ne insidiosa sua spetie mulieres sol-
 licitare videretur, os universum vulneribus dehonestavit et corpus,
 quam animum fedare maluit. Sed quid Democlis virginitate ⁸⁹⁶
 constantius pueri (ut aiunt) venustissimi?, qui, cum neque precibus
 neque minis, ut Plutarcus autor est, a Demetrio rege in desyde-
 rium perduci posset et in arcto balnei loco inventus a corruptore
 acriter peteretur, ut voluntaria morte a violentia et Demetrii sce-
 lere se redimeret, innocentia sua indigne perpressus in ferventissi-
 mam lebetis aquam se repente proiecit. O animum invictissimum, ⁸⁹⁷
 o verum dei domicilium, o factum per saecula cuncta memoran-
 dum. Pausanias huic non inferior ab Attalo violatus apud Philip- ⁸⁹⁸
 pum regem graviter conquestus est et, cum iniuriam suam ultum
 iri non cerneret, regem forti animo interfecit atque ipse deinde
 captus in crucem elatus est, cui quidem adhuc in cruce pendenti
 Olympias Alexandri mater capiti coronam imposuit auream et eum
 una cum mariti reliquiis concremavit ac tumulum iuxta fecit, ad
 quem ut parentaretur, quottannis in perpetuum servandae virgini-
 tatis monumentum instituit. Satis haec exempla vobis videri et fi- ⁸⁹⁹
 dem non mediocrem facere possunt, verum, si forte pater his,
 quae dicta sunt, nondum suaderetur, audiat et haec duo naturae
 miracula, quae non sine stupore referuntur. Rhinoceros animal ⁹⁰⁰
 ferocissimum unicum cornu supra nares habet, qui inmitissimus
 est helephantis inimicus, nam collimato ad saxa cornu in eius
 ventrem furit, quem sentit esse molliorem, item venatoribus infe-
 tissimus et inmitis, at usque adeo virginitatem veneratur et amat,
 ut spectatam virginem reverenter adeat et quasi blandiens caput

in gremio deponat et obdormiat, quia ibi se tutum esse conspiciatur et sic obducto laqueo saepe devincitur; quare ne ulla quidem alia arte, praeterquam virginitate, captatur, quam si inimitissimae ferae venerantur et amant, quid homines rationis compotes facere addeceat? Praeterea eos daemones, quos familiares spiritus appellamus, aequiores et obtemperiores ipsa virginitate fieri credunt; invertunt mentes hominum easque saepe occupant et magno furore agitant, quin etiam saepe mortalium domos, nedum corpora inhabitant; variis quoque praestigiis oculorum aciem obstringunt, ut varia monstra edere videantur. Prosper etiam Capharellus patritio Romanorum sanguine natus ac princeps Asculanus scientia et doctrina sua nimium venerandus, cum ad componendum huc bellum inter te ac Federicum imperatorem apostolicus legatus advenit, cum in fantasmaton sermonem incidissemus, mihi rettulit Romae cognatos suos quandam habuisse domum, ubi daemones mira portenta facerent, ignem ardentem extinguerent, fercula saepe emensa surriperent, vexarent cubiculum et horrendo saepe strepitu somnos interciperent, quin et hac tam dira molestia et importunitate domum frequentius inquietarint, atque in his domesticis malis unicum fuisse remedium. Duae erant ibi virgines mira simplicitate et puritate incredibili, hae spiritus illos saepe vocabant, qui perinde atque iussi presto aderant et imperata expectabant. Rogati, ut aliquandiu cederent, saepe obtemperabant; si qua abstulissent, ubi abdiderint, fatebantur, mirum denique obsequium virginibus praestabant. Hae demum cum eos exorassent, quonam pacto domo dimitti possent, responderunt se abituros, si ossa, quae in vinea sub alto fornice oclusa quondam fuerant, retererent relectaque rite expiarent. Quod ubi factum est, domum continuo relinquere neque ibi quicquam amplius horrendi auditum est. Insuper oracula deorum, qui daemones erant et in simulacris loquebantur, ut homines a vera religione seducerent, consulta per virgines maiore ex parte responsa dabant neque virgineum corpus pro libidine sua vexare poterant. Ex quibus quidem omnibus manifestum est, pater, virginitatem non modo deo omnipotenti praeter ceteris placuisse virtutibus, sed feras quoque inimitissimas profanosque daemones eam mirum in modum amasse semper et observasse, quando nihil hac virtute innocentius, nihil candidius, nihil oblectabilius, nihil denique divinius invenitur. Si tigres beneficentia delinitas, si leones veteris beneficii memores hominibus quandoque pepercisse legimus et lupos quandoque infantibus expositis non modo pepercisse, sed ubera admovisse accepimus, quia innocens illa aetas suo quodam iure ab omni nocumento esse libera et ab omnibus rebus favorem promereri debet, quid de virginitate dicemus?, quam non modo, quaecunque creata sunt, sed creator ipse veneratur, quippe quem et virginem habere matrem et virginem quoque eandem sponsam habere non puduit, cui etiam nullum sacrificium, nullus animus, nullum denique corpus oblatum satis placere potest, nisi ex virgineo corde offeratur. Si igitur tam

venerabilis ac sancta et ante fidem Christi et post virginitas est habitata per omne tempus pudicis nuptiis anteposita, quid ultra requiras, non reperio. Sed tamen adde, quodcunque per se laudabile est et bonum, quo magis exercetur, eo laudabilius et commodius esse. At coniugale officium plus aequo frequentare prohibitum est, immo vitiosum ac fedum. Ex quo colligitur nuptias non per se, sed partim generandae prolis, partim evitandae libidinis gratia esse laudabiles, quae comoda si ademeris, nihil habet in se, quod possit esse laudabile. Quod et hinc accipies. Cur diebus festis et sollemnibus ab uxore abstinendum est? Cur, quicumque uxori debitum reddiderit, nec sacrae orationi recte vacare nec agni carnes comesse ex lege potest? et non inmerito, quia, si panes propositionis, qui uxores tetigerant, comesse non poterant, quanto maius panem, qui de caelo descendit, ab his, qui suas tetigerint, summi nefas est? Cur etiam quandoque ducendae uxoris tempus intercalatur neque semper ducere fas est, cum sollenniora tempora appropinquant? nempe quia suapte natura coniugium (nolim enim quicquam impie loqui, dum tam fauste et faeliciter coniugata cogor pro veritate certare) non videtur nimis esse laudabile. At ipsa virginitas nunquam interdicitur, nullo tempore inhibetur, nunquam rude donatur, sed, cum sit non modo laudabilis, sed ipsa vera laus et utilitas decorque caelestis, quo magis servatur, eo plus sibi vendicat divinitatis neque licentiam neque intermissionem neque vacationem sibi patitur impendi, cum per se bona sit et perquam comoda, immo omnium bonorum opulentissima officina. Dixeris ad haec, pater, quod subpudiuscule protulisti, in lege scriptum esse maledictam sterilem, quae super terram semen non reliquerit, et antiquis patribus Hebraeorum non modo uxores et concubinas habere licuisse, sed portentosa his coniugia necessitatis causa fuisse permissa. Ne te quidem illud latet, pater, quod in filiae oppugnationem callide subticuisti, variam pro temporum conditione omnipotentis dei fuisse dispensationem ab initio mundi duorum tantum fuisse coniugium, veluti Adae atque Evae, quod quidem institutum per successiones omnes temporum perdurasset, si in obsequio perstitissent, et post eos sorores cum fratribus fuisse coniunctas, cum aliae non essent mulieres; primum omnium Lamech duas sibi coniugasse uxores et ideo infamia non caruisse, quia id explendae voluptatis causa fecisse arguebatur; deinde, cum omnes pene homines falsa religione ducerentur et pauci in cultu dei perstitissent, relaxatas esse coniugalis pudoris habenas, ne dei cognitio prorsus extingueretur; ac Habraam vivente uxore ancillam adivisse, idem quoque fecisse Iacob, qui non modo liberis, sed se ancillis inmiscuit; filias quoque Loth ebrio patre abusus, ut post diluvium paulatim genus humanum coalesceret, quod quidem ideo quondam permissum est, ut in fecunditate mulierum populus quoque dei mirifice pulularet; quin etiam et sacerdotibus coniugia fuisse permissa, ut in successione familiae successio sacri quoque foret officii. Hoc iustis antiquis vitio dari

non debet, cum non lassiviendi, sed gingendi causa facerent, quod
 nec contra morem nec contra praeceptum esse videbatur, quia nulla
 lege erat inhibendum. Illi enim non erant victi libidine, sed ducti
 pietate, qui iccirco, quamvis multo facilius se continere et possent
 et vellent, uxoribus tamen pluribus utebantur non in morbo desy-
 derii, sed in opere generandi disseminandae gratia veritatis. Haec
 eadem causa Sarraam compulit, ut viro diceret: Ecce, conclusit me
 dominus, ut non pariam; intra ergo ad ancillam meam, ut filium
 facias ex ea. Quod non ardore libidinis nec decore pulchritudinis
 thorum Habraam posthabuit coniugalem. In filiis autem Loth, cum
 post diluvium reparandum foret genus humanum, privatam culpam
 publici muneris ratio praetexit. Nam, sicut vir iustus, quamvis deum
 appetit, alimento tamen utitur quotidiano non gulae voluptate, sed
 vitae ratione; ita et illi olim maiores nostri non libidine, sed pro-
 pagandi generis necessitate coniugali officio deserviebant. Sed quid
 latius vagari videor et vos nimia satietate conficio? Apostolicum
 vas, inquam, illud electionis audite: Bonum est homini mulierem
 non tangere, propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam
 habeat et unaquaeque virum suum. Et infra: Hoc autem dico iuxta
 indulgentiam, non iuxta imperium. Volo enim omnes homines esse,
 ut me ipsum, sed unusquisque proprium donum habeat ex deo.
 Consulit enim apostolus praeceptor ille veritatis multo melius esse
 non tangere mulierem, sed utrunque perpetuam servare castita-
 tem, si fieri potest. Quibus ea non inest naturae benignitas et dei
 gratia melius est nubere, quam uri. Item inquit: De virginibus
 praeceptum domini non habeo, consilium autem do tanquam mi-
 sericordiam consecutus a domino, ut sim fidelis. Haec ille. Virgi-
 nitatem dominus magis ottulit, quam imperavit, quia divinus ille
 figulus non ignorans vasculi fragilitatem, quod effinxerat, virgini-
 tatem in audientis potestate dimisit. Unde illud: Non omnes ca-
 piunt verbum dei, quibus datum est. Item, si hanc imperasset, et
 damnaret nuptias et hominum, ut dixisti, pater, videretur auferre
 seminarium, unde et ipsa virginitas nascitur. Ubi consilium datur,
 offerentis est arbitrium, ubi praeceptum, necessitas servientis. Cum
 fortissimo ariete virginitatis murus quotidie quatitur, benigni crea-
 toris clementia nuptiarum indulgentiam exhibuit et non virginitatis
 praeceptum posuit, ne proposita ingenti difficultate homo quotidie
 periclitaretur. Virginitas ergo, pater, omni ex parte caeleste donum
 est et, si virtus quaeque, quo difficilius est, eo praestantior iudica-
 tur, haec est pudicitiae iure praeferenda. Inter utranque quantum
 intersit, hinc licet sumere coniecturam; quantum enim inter peccare
 est et benefacere, tantum est inter utranque discrimen, et, ut loquar
 illustrius, quantum inter bonum est et melius. Si nuptias agimus,
 non peccamus, tutum est perniciosae libidinis antidotum. Sed quid
 tandem inde promeremur, si naturae obsequimur, ut caetera ani-
 malia? Sique virtus est circa difficile, omnia licent, sed non om-
 nia expediunt. Sed quid ad illud respondebis? Diligite uxores, sic-
 ut Christus ecclesiam. At ille caste dilexit; ergo vos quoque caste

cum uxore vivetis. Neque te illud, pater, dictum praeterit Hippo- 938
cratis: τὴν συνουσίαν εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν, id est, coitum esse
parvum comitiale morbum; neque illud Epicteti philosophi, qui
virginitatis amator, cum intollerantiam et incontinentiam omnium
gravissima et teterrima vitia esse affirmaret, semper haec habebat
in ore: ἀνέχου καὶ ἀπέχου, id est, patere et abstinere. Iam tempus ad- 939
monet, magnanimi heroes, ut satietati vestrae finem imponam, quam
mea peperit profusa loquacitas et materiae altitudo ac dignitas, cui
nulla oratio potest esse satis. Sed, quia iam dudum innuisti pater, 940
ut triduanam questionem ipsa definiam, et id omnes hi praestan-
tes expectant convivae, opus esset eo uti temperamento, quo et veri-
ritati et paternae maiestati satisfaceret. In tanta enim animorum sus- 941
pensione et tam aequo iudiciorum examine difficile est dignum re,
dignum patre, dignum Beatrice dicere. Quas ob res, pater, per ea, 942
quae dicta sunt, nemo sapiens ambigat veram ac solidam ex omni
parte absolutam, de qua loquor, virginitatem, quae raro reperitur
in terris, coniugali pudicitia multo esse praestantiorum atque hanc
unam virtutem divinam potius quam humanam iure censi et me-
rito inter choros angelorum laureola coronari; sed, quoniam vir- 943
ginitas duplex esse potest, perfecta, inquam, et imperfecta, perfec-
tae autem nihil ex humanis virtutibus esse comparabile, imperfec-
tam virginitatem aut animi esse aut corporis, animi, cuius mens
inmaculata, corporis, cui caro intacta. Ex his melior est virginitas 944
mentis, quam carnis, quia tollerabilius est mentem virginem ha-
bere, quam carnem. Si utrunque praestari potest, nihil apud deos
hominesque praestantius, si alterutrum liceat, potius deo, quam
homini nos castos prebeamus. Nam virgo prostitui potest, sed 945
adulterari nequit, quandoquidem non potest caro corrumpi, nisi
mens ante corrupta fuerit, et, si munda a contagione fuerit anima,
caro non peccat. Paterna maiestas, quae de ea pudicitia coniugali 946
locuta est, quae mentem retinet incorruptam, carnem vero sacro-
sancto coniugio temperate et religiose patitur inservire, iure illi
anteponitur virginitati, quae corpus licet intactum conservarit, men-
tem tamen habuit inquinatam, quia haec vera virginitas dici non
potest. Quin etiam coniugalis pudicitia ab animi virginitate non 947
dissentiet, immo unum et idem erunt. Abraam, qui uxorem habuit
et cognovit ancillam, castitatis habitu non caruit et inmaculato
animo nuptiis satisfecit et, quamvis castitas caelibum melior est,
quam nuptiarum, tamen Abraam praestitit utranque, alteram usu,
alteram vero habitu. Caste enim coniugaliter vixit. Esse autem 948
castus sine coniugio potuit et voluisset, sed non oportuit. Quare
aliqua ex parte potest cum Ioanne evangelista conferri. Nam, sic- 949
ut non impar meritum est patientiae Petri, qui gravissima pas-
sus est, et Ioannis, qui martirio caruit, ita ne impar quidem me-
ritum est castitatis utriusque horum, quos diximus. Quod si pater 950
senserit, ut ipsa non ambigo, pudicitia poterit huic virginitati man-
ce praestare et cum illa excellenti, de qua diximus, quamvis se-
cundo loco contenta, quandoque tamen certare audebit. Proinde, 951

quicumque uxores habent, perinde caste vivant, atque si non haberent, contra autem, quaecunque viros, cum his ita sese gerant, veluti cum nondum nactae fuerint, hoc est, animum semper in coniugio integrum servant et immaculatum. Nos autem, pater, postubi coniugali officio nihil hucusque profecimus, quia nos castos mavult fortasse deus et magis pristina utriusque virginitate delectatur, intermisso thori coniugalis officio illecebrisque hymenaei virgineum salvatorem nostrum virgineo corde recolamus, carnem hanc pariter tam laute auctam et in tantis delitiis enutritam, qua nihil corruptibilius inveniri potest, cum eo pariter crucifigamus. Illud Sophocleum, quod ab Ulyxe dicitur, in corde semper habeamus: ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν εἶδωλ', ὅσοι περ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν, id est, video enim nos nihil aliud esse, quicumque vivimus, praeter idola et vanam umbram. Studeamus placere Christo, eius opera aemulemur cum charitate fideque castitatem perpetuo operantes et a voluntate sua nunquam dissentiamus, quando ipse, qui nos creavit, nos magis diligit, quam nos ipsi, et, quaecunque nobis meliora sint, et prospicit et prospecta defert. Regni curam et habendae prolis dulcissimae vota illi relinquamus, qui nobis hoc statuit imperium et hoc Christianae reipublicae propugnaculum labefactari non patitur. Illuc ire contendamus castitate duce et mutua comite charitate, ubi vera pax, vera beatitudo, vera faelicitas, vera mentium illustratio, ubi premium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit eique se ipsum promisit, quo nil melius et maius esse potest. Ait enim: Ego ero, quaecunque ab omnibus honeste desiderantur, vita, salus, victus, copia, gloria, honor, pax et omnia bona. Item finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus profecto erit in omnibus. Huc igitur castitate duce accedere enitumur, quia beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt. Quod etsi laboriosum et difficile, quod diximus, esse videtur, divinum illud Pyndari dictum mente repetamus: ἄπονον ἔλαβον χάρμα τινὲς παῦροι, id est, pauci sine labore gaudium inveniunt, et hoc quam maxime, quod omnia superat ac firmum est et sempiternum. At vos, antistites, quibus melior est sors oblata, quos non modo decet, sed legis iubet imperium perpetuum servare castitatem, sub quo imperatore militatis, consyderate et, ex quo certamine palmam referre iubeamini, quotidiana memoria volutate, quippe qui, si quod deo gratissimum sit, facere curabitis, virginitatem imprimis adipiscemini, sine qua nulla virtus potest esse decora deoque grata, quam quaecunque bonae deseruerint operationes, non nisi sordidae esse possunt. Tu vero, Francisce frater, nostra communis animula, nostrum corculum, unica voluptas ac unicum vitae solactium, quem mecum in septemtrionem adduxi neque sine meo patrisque dolore maximo dimittere potero, si huic patriae maiestati, si sororiae pietati satisfacere curas, hanc caelestem excellentissimamque virtutem complectere, dilige et venerare, quae multo plus, quam natura, decoris attulerit. Compesce animos,

aetatem coherce extuantem et, quando regius es adolescens, tecum
semper cogita nil esse magis regium, quam suae libidini tempe-
rare et se ubique praestare continentem. Da operam, frater, mea 963
dulcis animula, ut, cum in paternum regnum te retuleris, ex sa-
crosancta Pannonia regis officina prodiisse videare. Quod si, ut
spero, feceris et, ut facis, facere perges. neque divo Alphonso avo
tuo neque invictissimo patre Ferdinando indignus filius existimari
poteris. Vos autem, heroes ac duces fortissimi, qui assiduum cum 964
infidelibus ac barbaris bellum geritis et mortis periculum pro re-
gni fideique defensione quotidie subitis, studete, ut non minus
corpora, quam animos, tanquam purum olocaustum, cum hora
venerit, offeratis. Id tu cura, Magne Blasi, qui in Italiam Mat- 965
thiae regis ductu et auspiciis traiecisti, ut Turcorum rabiem una
cum Alfonso fratre non modo coherceres, sed prorsus extingue-
res. Tu vero, Stephane, qui Dalmatiam regio iussu regis, amicam 966
tibi castitatem auge ac serva regiaque vestigia, ut facis, imitare.
Tu autem, Lupe Macaedonico genere oriunde, qui a teneris annis
veluti Hanibal in Turcorum cedem coniurasti, quoniam te conti-
nentem et castum in tanto periculo esse oporteat tecum quotti-
die meditare. Haec eadem salutaris castitatis cura vobis incum- 967
bat, Paule caeterique duces Pannonia signa ferentes. Cogitate vo-
biscum divinam providentiam iccirco in Christianae reipublicae fi-
nibus collocasse, ut vestra haec casta fortiaque pectora pro muro
ac vallo fidei statueret et tam sancta munitione Christiana castra
vallaret. Proinde vos omnes diligite castitatem, virginitatem colite, 968
deum in primis ac sacrosanctum regem saluti vestrae deditissi-
mum amate, diligite, observate, fida ac pia obsequia praestate et
eum in terris peculiarem patrem reputate, quem non suae, sed
vestrae saluti et utilitati consulere conspicamini. Trimerion de- 969
mum hoc symposion in sanctissimae virginitatis pudicitiaeque con-
iugalibus disputatione celebratum in perpetuam utriusque deae me-
moriam inter festos dies referte et celebrate quotannis.

REX: Infinitas tibi ago gratias, Iesu Christe, pater optime 970
maxime, quod eam vitae sociam regnique consortem mihi tribui-
sti, quam tuo beneficio nactus, quid velim in terris et appetam, ne fa-
cile quidem scio. Haec mihi vita, haec solatium, haec pax, haec unica
salutarisque voluptas; hanc pro filia, hanc pro liberis habeo. Be- 971
atricem mihi dedisti, quae bearet, Beatricem serva, quae servet;
mulierum nostri saeculi mea filia decus est, quam in perpetuam
disputationis huiusce congratulationem milies iterumque milies
dissuaviari non desinam. Ita enim de virginitate distinxit, ut utran- 972
que sententiam conservavit. At, Hercle, ita est. Nihil ea virginitate
maius, quae corpus et animum praestiterit integerrimum, coniu-
galem vero pudicitiam ea virginitate esse polioem, quae corpus
tantum et non animum servavit immaculatum. Nihil potuit concin- 973
nius et perspicatius definiri, ut rem cum utriusque dignitate com-
poneret. Vos autem, magnanimi viri, qui Beatricem meam tant-
opere observabatis, nunc divinum eius ingenium experti, quanto

magis in posterum colere et venerari debeatis, hinc perpetuam sumite facultatem. Vos hunc quotannis celebrate diem, eam predicate, concinite, ingeminate Beatricem, quando haec vestra est indulgentissima parens, haec Pannoniae regina, haec Danubii dea, haec denique suavissima Matthiae regis filia. Vos autem, pueri, in perpetuam Beatricis nostrae memoriam pretiosa missilia spargite, talentum, trabeam poculumque gemmatum convivarum cuiquē date, duplicate congiarium et donativa copiosa pro cuiusque voluntate diffundite; universis hodie pateat gratiarum ianua. Proinde omnes petite, accipite et Aragoniam Beatricem deam Hystri accolam et Matthiae regis filiam frequentius acclamate.

CONVIVARUM PLAUSUS.

Vivat fausta faelixque Beatrix, vivat beata Pannoniae regina, vivat Beatrix, quae nos vivendo beat, vivat rex sanctus, castus et pudicus, vivat Matthias cum regina pius, vivat rex simul et regina sancti, vivat hic hominum gloriosus honor, vivant haec duo vera mundi lumina, vivat in terris diu utrunque decus, vivat haec unica spes Pannoniorum, vivant haec duo inter mortales sidera, vivant haec duo fidelium ornamenta, in quorum altero, quicquid in regibus sanctum et laudabile, item quicquid gloriosum et expetibile fuit, reperitur, in altera, quicquid castitatis et pudicitiae, item quicquid virtutis et excellentiae per caeteras unquam reginas ample diffusum est, congestum esse intuemur. Christe optime maxime tuque unica mortalium dea divina virgo, vosque, caeteri dii caelicolae, nobis regem et reginam conservate, hinc sanctissimam optatissimamque prolem educite, propagate, respicite vota et desyderia Pannoniorum, nostras exaudite preces ac piis votis annuite, clementes oculos in Ungariam intendite, nostri regni aspiciate necessitatem, supra populum pium semen sanctum propagate, ne patiamini, quesumus, Corvinum Aragoniumque sanguinem ad extremam sterilitatem adduci, servate gentibus haec sancta virtutum omnium exemplaria, servate has ambas illustrissimorum operum officinas, servate haec tutissima Christianae fidei propugnacula, servate hunc Italum Pannoniumque splendorem, servate haec duo studiorum ac optimarum artium perfugia, servate haec magnificentiae ac piae prodigalitatis exempla, servate invictissimum Christianorum principem, servate Christianae reipublicae defensorem, servate barbariae infidelitatis confectorem, servate denique Christianae seditionis moderatorem. Sanctus Matthias quotidianos de infidelissima barbaria triumphos ducat, sanctus Matthias gloriosas quotidie victorias aedat, sanctus Matthias faeliciter fausteque vivendo Nestoreos annos esuperet, sanctus Matthias totam Scythiam Asiamque occupet et, quicquid est ubique gentium infidelitatis, ad orthodoxam Christi fidem revocet et sub sua ditione contineat. Regina augustum pariat, faustam et faelicem prolem nobis Aragoniam relinquat, vitam cum rege phaenicis more reparet, faelices simul

annos ducant. A rege deus ac regina dolores, egritudines, pertur- 982
bationes et cuncta mala repellat, super hos gratiae frequentes, con-
tinuata ilaritas, perpetua charitas, vera gaudia, solida faelicitas,
sempiterna incolumitas vigeat ac regnet. Omnes populi Matthiam 983
regem appetant, omnes provinciae Beatricem reginam convocent,
omnes nationes ac gentes Matthiam cum Beatrice praedicent, me-
morent, venerentur et adorent. Sic divina clementia praeces no- 984
stras et nuncupata vota e caelo nunc exaudiat, sic ea confirmet,
sic desyderia et spes nostras expleat. Ilares igitur plausus utrique 985
regiae maiestati vehementer edamus, hunc quotannis diem cele-
bremus et per cuncta saecula posteritati celebrandum relinquamus
sanctum Matthiam cum faustissima Beatrice perpetuo venerantes.

MARGINALIA.

Praefatio ad Beatricem Aragoniam.

10. De prudentia reginae Beatricis. - 12. Gnoma. 14. De sapientia eius. - 16. Viana civitas. - Rheti. - Vindelici. - 17. De arte militari. - 20. Gnoma. - 21. Mitridates. - Hipsicratea. - 22. De iustitia. - 27. Martius. - Epaminundas. Cleobis. - Biton. - Gnoma. - 28. Ferdinandus rex. - Gnoma. - 29. De fratribus reginae. - Divus Alfonsus dux. - 30. Divus Federicus. - Divus Ioannes cardinalis. - Divus Franciscus. - 31. Illustrissima Leonora. - 37. Gnoma. - 41. Clementia Beatricis. - 42. Gnoma. - 43. Magnificentia eius. - 46. Gnoma. - 51. Divus Franciscus. - 53. Ladislaus episcopus. - 55. Divus Ioannes cardinalis. 58. Beatrix regina. - 61. Rex Matthias. - 62. Divus Franciscus. - Prosper Capharellus. - 63. Antonius Bonfinis civis Asculanus.

Symposion de virginitate et pudicitia coniugali.

LIBER I. - 4. Viana civitas. - 5. Gnoma. - 8. Rex Ferdinandus. - Rex Alfontius. - 10. Franciscus hec legens conlachrymavit. - 11. Gnoma. - 12. Gnoma. 18. Gnoma. - 21. De pinguedine ventris. - 21. Gnoma. - 24. Gnoma. - 32. Gnoma. - 34. Gnoma. - 35. Quid inexplebile. - 48. Gnoma. - 50. Gnoma. - 60. Gnoma. - 80. Gnoma. - 81. Gnoma. - 82. Gnoma. - 95. Ladislaus episcopus. - 99. Propositio questionis de virginitate et pudicitia coniugali. - 100. Ladislaus episcopus. - 101. Gnoma. - 104. De Galeotto. - Gnoma. - 106. Pernicies ingeniorum. - 106. Gnoma. - 107. Gnoma. - 111. Quod omnibus licet uti voluptatibus secundum Gateottum. - 113. Perse. - Geluli. - 119. Pudice. - 121. Plato. - 125. Quod licet amare. - 129. Hesiodus poeta. - 130. Orpheus. - 132. Paulus. - Hieronymus. - 134. Orpheus. - 135. Homerus. - 139. Tria bonorum genera. - 148. Gnoma. - 150. Cato. - Gnoma. - 154. Semiramis. - 157. Conmoda amantium. 158. Bucefala Galeotti. - Gnoma. - 160. Arion. - 161. Orpheus. - 162. Gnoma. - 167. De potentia cognationis et similitudinis. - Gnoma. - 172. Gnoma. - 173. Mitridates. Gnoma. 176. Gnoma. - 178. Gnoma. - Quod beati amantes. - 179. Felices amantes. - 180. Anima. - Gnoma. - 181. Gnoma. - 183. Gnoma. - 184. Gnoma. - 186. Gnoma. - 192. Gnoma. - 194. Quod nihil amore vacat. - 195. De amicitiiis et inimicitiiis animalium. - 197. Gnoma. - De delphino. - Amor in arboribus. - 198. Gnoma. - 208. Vergilius. - Oratius.

- 209. Catullus. - Tibullus. - 214. Cardinalis Portugallensis. - 220. Exempla amoris. - 221. Hercules. - 222. Theseus. - 223. Iason. - 226. Pausanias. - 227. Clodius. - 228. Crassus. - Cato. - Augustus. - 230. Sulla. - Cato. - 232. Caesar. - 233. Alexander. - Gnoma. - 234. Eurilacus. - Gnoma. 235. Mithridates. - 236. Dion. Demetrius. - 237. Antiochus. Erasistratus. - 238. Agesilaus. - Fabius. - Gnoma. - 239. De sacra cohorte. - Gnoma. - 240. Plato. - Gnoma. 242. Homerus. - Gnoma. - 242. Alcibiades. - Gnoma. - Moscus poeta. 245. Augustus Octavianus imperator. 247. Tyberius imperator. - 248. Calicola imperator. - Claudius imperator. - 249. Nero imperator. - 250. Otho. - 251. Vitellius. Vespasianus. - Titus. - 252. Domitianus. - 253. Lutus. - Commodus. - 254. Pertinax. - Antoninus Caracallus. - 255. Heliogabalus. - 256. Gordianus. - 257. Victorinus. - 258. Aurelianus. - 259. Carinus. - 260. Gnoma. - 261. Beatrix regina. - Sigismundus. - Gnoma. - Miraculum. - 264. Gnoma. - 266. Conclusio. - 269. Beatitudo crapula. - Plato. - Gnoma. - 270. Phago. - Gnoma. - 271. Firmus. - 272. Gnoma. - 274. Antonius. - Cleopatra. - 282. Gnoma. - 283. Unde sectae. - 287. Gnoma. - Gnoma. - 288. Heraclytus. - Gnoma. - 289. Gnoma. 293. Gnoma. - 294. Gnoma. - 295. Ladislaus episcopus. - 297. Gnoma. - 298. Publice persone officium. - Gnoma. - 299. De potentia fidei. Gnoma. - 302. Gnoma. - 305. Gnoma. - 306. Secunda monitio reginae ad Franciscum Aragonium. - 307. Gnoma. - 309. Gnoma. - 311. Gnoma. - 311—13. Gnoma. - 314. Severus imperator. - 316. Appius Claudius. - 319. Scipio Africanus. - 318. De Matthia rege. - Gnoma. - 323. De episcopo Ladislao. - 328. Hsiodus. - Gnoma. - Episcopus Ladislaus Galeotti dicta confutat. - 331. Gnoma. - 334. Gnoma. - 335. Gnoma. - Plato. - 336. Alcibiades. - Gnoma. 338. Nihil voluptate perniciosius. - 340. Gnoma. - 341. Quatuor actus rationis. - 342. Gnoma. - 347. Hercules. - Gnoma. - Duae matronae. 350. Dei filii sapientes. - Gnoma. - 354. Plato. - 357. Plato. - Gnoma. - 361. Plato. - 364. Gnoma. 365. Plato. - 367. Gnoma. - 370. Gnoma. - 373. Nihil difficilius sui ipsius imperio. - Gnoma. 375. Gnoma. - 376. Gnoma. - 379. P. Helius Pertinax. - Gnoma. - 380. Maximinus imperator. - Theodotius imperator. - 385. Plato. - 386. Difficultas continentiae. - 387. Gnoma. - 388. Gnoma. - 389. Gnoma. - 390. Gnoma. - 393. Gnoma. - Origo hominis. 399. Orpheus poeta. - 401. Gnoma. - Dei similitudo in nobis. - 402. Gnoma. - 403. Gnoma. - Gnoma. - 404. Gnoma. - 405. De pudore. - Gnoma. - 408. Turpitude. - Gnoma. - 410. Gnoma. - 411. Gnoma. - 413. Gnoma. - Quod est dei domicilium. - 419. Pythagoras. - 423. Gnoma. - Morbi ex intemperantia. - 424. Castoreum. - 425. Gnoma. - 426. Gnoma. - De anima. 429. Sinderesis. - 432. Ratio. 434. Prudentie definitio. - Idea. - 440. Gnoma. - 442. Gnoma. - Plato. - 444. Cato. - Gnoma. - 445. Aristoteles. - Gnoma. - Coitus est porcorum ludus. - 446. Homerus. - Ulysses. - Gnoma. - 449. Homerus. - Tmoli. - 450. Gnoma. - Isocrates. -

Virtus. - 452. Animae armonia. - 455. Gnoma. - 458. Gnoma. - 460. De turpitudine amoris. - 461. Instauratio attentionis. - Invo-
catio. - S. Stephanus rex. - S. Elisabeth regina. - 462. De malis,
quae ab amore proveniunt. - 464. Gnoma. - 465. Gnoma. - 466.
Gnoma. - 468. Primus rationis actus. - Gnoma. - 475. De detri-
mentis amoris. - Gnoma. - 477. Plautus. - 478. Gnoma. 481.
De corporis humani miseria. - 483. Gnoma. - 484. Gnoma. - 487.
Gnoma. - 490. Gnoma. 491. Hermes. - 492. Homo. - Gnoma.
- 497. Dius Stephanus. - Diva Elisabeth. - 498. Gnoma. - 500.
Confutatio argumentorum Galeotti. 501. Gnoma. - 504. Confu-
tatio primi argumenti. - 510. Gnoma. - 513. Confutatio alia. - 518.
Gnoma. - 520. Bardesanes Caldeus. - Gnoma. - 523. Gnoma. - Pin-
darus. - Gnoma. - 524. Gnoma. 527. Gnoma. - 528. Plato.
530. Plato. - 533. Moses. - 534. Gnoma. - 535. De Spiritu Sancto.
- 537. De Spiritu Sancto. - 542. Gnoma. - 544. Gnoma. -
547. Gnoma. - 553. Gnoma. 559. Gnoma. - 566. Rex Mat-
thias. - Regina Beatrix. - Gnoma. - 568. Pulchritudo. - Gnoma. -
569. Gnoma. - 571. Gnoma. Bucephala. - 572. Quomodo
animae intelligunt corporibus exutae. - Gnoma. - 574. Deus. - 575.
Gnoma. - Angeli quomodo cognoscunt. 580. Gnoma. - 581. De-
mones. - 593. Gnoma. - 596. Cardinalis Gaditanus. - 598. Gnoma.
- 600. Ioannes Baptista. - Ilario. - Gnoma. 601. Socrates. - 602.
Gnoma. - 604. Amasis rex. Gnoma. - Solon. - 605. Gnoma. -
607. Gnoma. 608. Gnoma. - 611. Gnoma. 614. Gnoma. -
615. Plato. 617. Gnoma. - 622. Amor duplex. - 624. Plato. -
627. Anima. - Gnoma. - 631. Adam. Gnoma. - 632. Satanas. -
633. Massagete. - In vinosos. - Gnoma. - 634. Aegyptii. - Gnoma. -
635. Persae. 638. Galeottus. Gnoma. - 642. Pindarus poeta. -
646. Gnoma. - 648. - Matthias dux. - 649. Gnoma. 650. Vo-
luptas ex quirque sensibus. - 652. Aristoteles. - 658. Gnoma. -
659. Silla. - Gnoma. - 662. Gnoma. - 663. Astyages. - 664. Har-
pagus. - Gnoma. - 667. Ioannes cardinalis Aragonius.

LIBER II. - 2. Ioannes cardinalis Aragonius. - 4. Laus car-
dinalis Aragonii. - 5. Beatrix regina. - Gnoma. - 6. Ferdinandus
rex. - Gnoma. - 8. Franciscus Aragonius. - 11. Rex Matthias. -
Gnoma. - Matthias rex. - 12. Interrogatio de rebus Italiae. 15.
De rebus Italis. - 16. Gnoma. - 17. Gnoma. - 19. De Ferdinando
rege. 21. Federicus Urbinas dux. - 22. Veneti. - 23. Pazii. -
Sistus pontifex. - 25. Alfontius dux Calabriae. - 26. Castellina arx. -
Mons Imperialis. - Collis Oppidum. - 27. Iulius Aquaviva. - 28.
Hydruntum. - 28. Crudelitas. - 29. Gnoma. - Gnoma. 33. Mi-
raculum. - 37. Xisius pontifex. - 40. Alphontius dux. - 41. Fer-
rariense bellum. - Hercules dux. - 43. Sacrosancta Italiae socie-
tas. - 44. Anxur civitas. - Marinum oppidum. - 45. Constantius
Sfortia. 47. Alfontius dux. - 52. Alfontius rex. - 53. Ferdinan-
dus rex. - 55. De Frederico fratre Aragonio. - 60. Ioannes Vene-
rius. - 66. De Xisto pontifice. Gnoma. 68. Gnoma. - 72.

Cardinalis sancti Xisti. - 73. Comes Hieronymus. - 74. Raphael cardinalis. - 76. Iulianus cardinalis. - 78. Ioannes prefectus urbis. - 81. De cardinali Ungariae. - 86. De futuro pontifice. - Gnoma. - Humilitas. - Malphitanus. - Gnoma. - 87. Gnoma. - 90. Oliverius cardinalis Neapolitanus. - Gnoma. - 93. Regina Neapolitana. - 95. De Hippolita ducis uxore. - Franciscus Sfortia. - 96. De duce Capue ac principe. - 98. De Oliverio cardinale Neapolitano. - 99. Alfontius dux Calabriae. - 102. Carrapha familia. - 104. Antonius dux Malphetanus. - Pius pontifex maximus. - 105. Andreas Iacobus de Aquaviva. - 108. De cardinali Senensi. - 111. Pius pontifex maximus. - 113. De vicecancellario. - 119. Reditus ad disputationem. - 122. Regine Beatricis numina. - Gnoma. - 127. De Varadiensi episcopo. - 128. Gnoma. - Augustalia. - 131. Diva soror. - Gnoma. - 133. De regina. - Gnoma. - 134. Varadiensis. - 136. De fortitudine. 137. Pindarus. Gnoma. - 140. Ioannes vaivoda. Matthias filius. - Gnoma. - 148. Francisci laus. - Gnoma. - 143. De viris fortibus. - 153. Cynegyrus. - 156. Sici-nius Dentatus. - 157. M. Sergius. - 158. Milo. - Ventidius Bassus civis Asculanus. - Gnoma. - 159. Gnoma. - 164. Gnoma. - 167. Gnoma. - 168. Dius Alfontius. - 169. Gnoma. - 171. De Francisco Aragonio. - Gnoma. 172. Falsae genera fortitudinis. - 178. Vera fortitudo. - Gnoma. - 180. Virginitatis definitio. - Gnoma. - 182. Gnoma. - 183. Aristoteles. - 185. Andronicus. - 186. Gnoma. - 188. De iustitia. - 190. De iustitia. - 191. Dius Matthias. - Rex Ferdinandus. Gnoma. - 193. Iustitie definitio. - Divisio eius. - 195. Gnoma. - 199. Aristoteles. - Gnoma. - 201. De Francisco Aragonio. - Gnoma. - 204. Gnoma. - 205. Matthias rex. - Orpheus poeta. 207. De iustitie dignitate. - Gnoma. - 208. Orpheus. - De iustitia. - Gnoma. - 210. Plato. - 213. Gnoma. - 214. Feciales et eorum officium. - Pater patratus. - 215. De officio eorum. - 216. Perduellis. - 217. Plato. - 218. Sophocles. - Gnoma. - 219. Salomon. - 220. Gnoma. - 221. De Alfontii regis iustitia. - Gnoma. - 223. Gnoma. - 224. Gnoma. - 226. De Ferdinandi regis iustitia. - 227. Gnoma. - 228. Matthias rex iustissimus. - 229. Aristides. - Plato. - 230. Aristides. - Gnoma. - 233. De Ferdinando rege Hispanie. - Gnoma. - 235. Belica regio. - 236. Noe. - Abraam. - 237. Aragonia et Corvina domus. - Gnoma. - 238. Carneades. - 239. Gnoma. - 240. Gnoma. - 241. Iustus. - Gnoma. - 242. Oratius. - 244. Gnoma. - 247. Gnoma. - Iustitia virtutum parens. - 248. Gnoma. - 253. Gnoma. - 255. Socrates. - Scipio. - Metellus. - 256. Tutia virgo. - Miracula. - Gnoma. - 257. Gnoma. - 259. Pietas. - Gnoma. - Religio. - 261. Gnoma. - 262. Gnoma. - 263. Gnoma. - 269. Gnoma. - 271. De magnificentia et liberalitate. - 272. Gnoma. - 273. Gnoma. - 274. Megarensium insolentia. - Gnoma. - 275. Nero. - Eliogabalus. - 276. Gnoma. - 278. Chemmis. - 279. Chabreus. - Esopus. - 281. Edificia mira. Turris. - Gnoma. - Pantheon. - 282. De magnifico. - Gnoma. - 283. De liberali. - 284. Livius Drusus. - Gnoma. - 285. Migulsa rex. - Adherbal. - 286. Cimon.

- Gnoma. - 287. Gnoma. - 289. Quando prima diversoria. - Gnoma. - Gorgias. - 293. Confutatio. - Matthias rex magnanimus et liberalis. - Gnoma. - 294. S. Stephanus rex. - Sigismundus imperator. - Alexander. - 296. De divo Matthia rege Pannoniae. - 299. Gnoma. - 302. Gnoma. - 304. Elemosina. - 306. Gnoma. - Gnoma. - 308. Gnoma. - 309. Gnoma. - 311. Xerxes. Athos. - 312. Darius rex. - Alexander. - 315. Gnoma. - 317. Gnoma. - 318. Gnoma. - 320. Gnoma. - 321. De Beatricis reginae laude. - 329. Gnoma. - 335. Gnoma. - De magnanimitate. - Gnoma. 336. Matthias rex. - 338. Gnoma. - 339. Gnoma. - 341. Gnoma. - 342. Gnoma. - 343. Dius Alfontius. - Rex Ferdinandus. - 344. Prima laus Ferdinandi regis. - Gnoma. - 345. Gnoma. - 347. Gnoma. - 348. Gnoma. - 351. Gnoma. - 352. Gnoma. - 354. Gnoma. - Alexander. - 355. De amicitia. - 357. Gnoma. - 358. Tria genera amicorum. - Gnoma. - 360. Euripides. - 362. Gnoma. - 364. Gnoma. - 365. Gnoma. - 366. Gnoma. 367. Gnoma. - 370. Gnoma. - 371. Gnoma. - 373. Gnoma. - 374. Servorum fides. - 378. Gnoma. Vinditii servus. - 379. De fide amicorum. - 382. Rex Matthias. - Pamphilus Nicolaus. - Alexander. - Ephestio. - 384. Gnoma. - 385. Gnoma. - 386. Euripides. - Gnoma. - 388. Gnoma. - 390. Gnoma. - 395. De theologicis virtutibus. - 396. Fides. - Gnoma. - 397. Gnoma. - Miracula. - 398. Vespasianus. - 399. Tutia. - Gnoma. - 401. B. Ioannes Capistranus. - B. Iacobus. - Gnoma. - Ioannes vaivoda. - 402. De spe. - 403. Gnoma. - 406. De charitate. - 416. Caritas. - Fides. - Abraam. - 412. Gnoma. - 414. Gnoma. - 416. David. - 419. De temperantia et decoro. - 421. De duplici decoro. - 424. Ut Ferdinandus rex. - Gnoma. - 428. Alexander. - Gnoma. - 429. Scipio. - 430. Demetrius. - Gnoma. 431. Democles puer. - Gnoma. - 435. Gnoma. - 438. Gnoma. 439. Gnoma. - 440. De humilitate. - 442. Dionysius Ariopagita. - 445. Sanctissima virgo Maria. - 448. De humane vitae miseria. - Gnoma. - 450. Gnoma. - 451. Anima. - 453. Plato. - Superbia. - Gnoma. - 454. Matthias rex. - Gnoma. - 456. De humilitate. - Gnoma. - Sanctissima Maria virgo. - Ignatius. - 457. De rege Matthia. - Gnoma. - 459. Confutatio. - Gnoma. - 461. Gnoma. - 465. De re militari. - 468. Gnoma. - 471. Gnoma. - 472. De laude artis militaris. - 478. Gnoma. 480. Gnoma. - 484. Turci. - Matthias rex. - Gnoma. - 486. Gnoma. - Gnoma. - Xerxes. - 487. Paulus Emilius. - 488. Cresus. - Solon. - 489. Gnoma. - 490. Gnoma. - 492. Gnoma. - 495. Tituli Cn. Pompei. - 496. Triumphus prefatio. - 497. Gnoma. - 507. Gnoma. - 509. Rex Matthias magister militiae. - Gnoma. - 510. Gnoma. - 511. Severus imperator. - 513. Quomodo aliquis referebatur inter deos. - Gnoma. - Antonius Bonfinis Asculanus. - Herodianus. - 514. Gnoma. 522. Gnoma. - 523. Militia celestis. - 528. Comparatio militiae celestis et humanae. - 529. Gnoma. - 530. Pythagoras. - Gnoma. - Veritas post deum colenda. - 532. Confutatio. - Gnoma. - 533. Gnoma. - 534. Gnoma. - 535. Plato. - Gnoma. - Se ipsum vincere. - 536. Gnoma. - 537. Gnoma. - 539. Gnoma. - 540. Rex

Matthias. - 542. An militia sit scientia dignior. - 543. Gnoma. - 544. Salustius. - 547. Gnoma. - 555. Gnoma. - 557. Gnoma. - 558. Gnoma. - 564. Gnoma. - 566. Gnoma. - 567. Gnoma. - 570. Gnoma. - 576. De prudentia. - 580. De potentiis eius. - 583. Sagacitas. - Gnoma. - 585. Ars. - 590. Sophocles. - Contra ignorant. Gnoma. - 595. De sapientia. - 600. Antonius Bonfinis civis Asculanus. - Hermogenes. - 601. De laudibus sapientiae. - 608. Cassandra. - 611. De vana sapientia huius seculi. - 613. Socrates. - Gnoma. - 617. Scientia. - Gnoma. - 618. Pyrrhonii. - Archesilaus. - Hesiodus. - 622. Lusitani. - 623. Cantabri. - Gnoma. - 624. Galli. - 626. Cimbri. - 627. Scythae. - Sarmatae. - Misii. - 628. Scythae. - 629. Greci. - Cretenses. - 630. Coeenses. - Rodii. - Salaminii. - Aegyptii. - Lacedemonii. - Phoenices. - Greci. - 631. Laodicenses. - Arabes. - Thraces. - Romani. - 632. Carthaginenses. - 633. Thessali. - Lytii. - Gnoma. - Imolatores filiorum. - 634. Celte. - Itali. - 635. Romani. - Sigillaria. - 637. Massagetae. - Gnoma. - Neuri. - 638. Andropophagi. - 639. Scythae. - Gnoma. - Hyperborei. - 640. Riphei. - Orchades. - 641. Macrobii. - Trogoditae. - 642. Aegyptii. - Sabei. - 643. Essenii. - Gnoma. - Gnoma. - Miraculum. - Regina Beatrix diva. - 644. Trausi. - Gnoma. - 645. Nasamones. - Scythae. - Gnoma. - 646. Indi. - Gnoma. - Padae. - 648. Darius. - Gnoma. - 649. Aegyptii. - 650. Persae. - Gnoma. - 651. Indi. - Gymnosophistae. - 652. Spartani. - Gnoma. - Puniceae vestes. - V. Ungari. - 653. Athenienses. - Cymbri. - Gnoma. - 654. Gnoma. - Litii. - Gnoma. - Ad mortem. - 655. Persae. - Sogdiani. - Bactriani. - Caspii. - 656. Seres. - 657. Carmanii. - Gnoma. - 658. Assyrii. - Meroe. - De sepulchris. - Babillonii. - Gnoma. - 659. Meroite. - Gnoma. - 660. Aethiopes. - De amore regum. - Gnoma. - 662. Gnoma. - 665. Aristoteles. - 671. Gnoma. - 678. Premia disputantium. - 679. Gnoma. - 682. Gnoma.

LIBER III. - 2. Assuerus. - Antonius. - Cleopatra. - 3. De regina. - Gnoma. - 4. Ladislaus episcopus. - 8. Gnoma. - 9. Gnoma. - Questio. - 12. Ladislaus episcopus. - 13. Duces Ungari. - Stephanus. - Paulus. - Matthias. - Petrus. - Thomas Dravus. - 14. De laude ingenii Pannonici. - 15. Gnoma. - 16. Gnoma. - 18. Gnoma. - 19. Gnoma. - 21. Gnoma. - 22. Gnoma. - 23. Beatrix regina dea Pannonia. - Gnoma. - 26. Gnoma. - 27. Gnoma. - 29. Gnoma. - 30. Gnoma. - 31. Gnoma. - 32. Gnoma. - Gnoma. - 33. Gnoma. - 34. De laude Beatricis reginae. - 39. De pudicitia coniugali. - 41. Gnoma. - Gnoma. - 43. De pudicitia coniugali primum argumentum. - 51. Confutatio reginae Beatricis. - 53. De creatione rerum. - 54. Gnoma. - Gnoma. - 59. De ideis. - Gnoma. - 61. Gnoma. - 65. De deo, quomodo creavit. - 71. De creatione celi et terrae. - 80. Gnoma. - 81. De materia prima. - 82. Hyle. - 84. Gnoma. - 85. Gnoma. - 87. Orpheus. - 92. Fatum. - 95. Gnoma. - 99. De opibus sex

dierum et septimi quiete. - 99. Pythagorici. - 100. Gnoma. - De numeris. - De numero senario. - 101. Gnoma. - 102. Duo cubi. - Gnoma. - 105. Hippocrates. - 106. De numero septenario. - 107. Pythagoras. - 108. De monade. - Gnoma. - Mens dei. - Gnoma. - 109. Anima nostra. - 110. De dyade. - De quinario. - 111. De ternario. - Gnoma. - 113. De septenario numero. - 115. Straton. - Gnoma. - 117. Primigenius. - 127. De numero celorum. - 128. Cubus. - Dyas. - 129. Trias. - 133. Iustitia. - Gnoma. - 135. Diapason. - 138. Cur celi decem. - 140. Octava sphaera. - De signis XII et anno. - 141. De 4-or anni temporibus. - 142. De stellis fixis. - 144. Gnoma. - 146. De septem planetis. - 147. Sol. - De Saturno. - 148. De Iove. - 149. De Marte. - 150. De Sole. - Venus. - 153. De Mercurio. - 154. De Luna. - 155. De cursibus planetarum. - 160. Caput, cauda draconis. - 162. De fortuna et infortunitate planetarum. - 164. De masculinis et femininis planetis. - 165. De diurnis et nocturnis. - 165. Gnoma. - 166. Gnoma. - 167. De domibus planetarum. - 168. De quattuor triplicitatibus. - 170. Unde venti. - Gnoma. - De exultationibus planetarum. - 172. De gaudio et tristitia planetarum. - 174. De prima triplicitate. - 177. Italia. - 178. Hispania. - Gnoma. - 183. Graecia. - 185. De secunda triplicitate. - 186. Gnoma. - 190. Iudei. - Gnoma. - 191. De tertia triplicitate. - 199. De quarta triplicitate. - Gnoma. - 207. In genere de triplicitatibus. - 209. Dacia. - 210. De signis tropicis equinoctialibus, fixis, communibus et immobilibus. - 212. De passionibus et proprietatibus signorum. - 214. De passionibus signorum XII. - Aries. - 215. Taurus. - 216. Gemini. - 217. Cancer. - 218. Leo. - 219. Virgo. - 220. Libra. - 221. Scorpius. - 222. Sagittarius. - 223. Capricornus. - 224. Aquarius. - 225. Piscis. - 226. Gnoma. - 228. De potestate syderum. - Fascinatio. - Gnoma. - 230. Miraculum. - Gnoma. - 231. Ptolemeus. - Gnoma. - 232. Quare forma mundi spherica. - 233. Gnoma. - 234. De celorum distantia. - 235. Pythagoras. - 237. Plato. - 239. Hesiodus. - 241. Gnoma. - 242. Materia celorum. - 243. Empedocles. - Plato. - 245. De celorum distantia. - 249. Gnoma. - 250. Gnoma. - 251. Gnoma. - 252. Gnoma. - 255. Gnoma. - 258. Gnoma. - 260. De angelis petitio. - 261. De similitudine. - 263. Gnoma. - 264. Matthias rex. - Gnoma. - 265. De angelis. - 267. De tribus potentiis angelorum. - 273. De ruina angelorum. - 275. Gnoma. - 276. De predestinatione. - 278. Gnoma. - 279. Utrum angeli differant numero an specie. - 282. Gnoma. - 284. Gnoma. - 286. Angelorum intelligentia. - Gnoma. - 287. Anima et eius intelligentia. - 288. - Gnoma. - De ideis angelorum. - 290. Gnoma. - 291. Gnoma. - Verbum. - 293. Angeli multi. - 296. Gnoma. - 297. De duplici intelligentia angelorum. - 299. Quod sine discursu intelligunt. - Gnoma. - 300. Gnoma. - 303. Gnoma. - 305. Gnoma. - 306. Gnoma. - 307. De differentia cognitionis angelice et humanae. - 309. An plures angeli, quam orbes celorum. - 312. Gnoma. - Genius. - Gnoma. - 314. Gnoma. - 315. Prefecture daemonum. - 316. Gnoma. - 318. Gnoma. - 320. Gnoma.

- 321. An daemones futura cognoscant. - 322. Gnoma. - 327. De hominis similitudine cum deo. - Gnoma. - 328. Circulus. - 330. Similitudo rerum duplex. - Gnoma. - 332. Gnoma. - 333. Plato. - Microcosmos. - 334. Homo. - 335. Ψυχή. - Anime definitio. - 338. Gnoma. - 339. Gnoma. - 340. Plato. - 341. Gnoma. - 342. Gnoma. - 343. De immortalitate animae. - 348. Gnoma. - 350. Gnoma. - 353. Gnoma. - 356. Gnoma. - 358. Gnoma. - 360. Dionisius Ariopagita. - 362. De similitudine nostra cum deo, quantum ad animam. - 366. Gnoma. - 367. Gnoma. - 370. Gnoma. - Gnoma. - 372. Gnoma. - 373. De potentiis animae. 376. De sensu et intellectu. - 378. De appetitu. 379. Motus. - Gnoma. - Quinque sensus. - 380. Sensus communis. - Imaginativa. - 381. Estimativa et cogitativa. - 382. Passivus intellectus. - 383. Memoria. - Reminiscentia. 384. Gnoma. - Appetitus. - 386. Concupiscentia. - Ira. - 387. Motiva vis. - 388. Intellectus. - 389. Agens et possibilis. - 390. Gnoma. - 391. Gnoma. - 395. Memoria intellectiva. - 396. Gnoma. - 397. De ratione. - Quid est intelligere. - Quid est ratiocinari. - Gnoma. - 399. Ratio duplex. - Gnoma. - 400. Opinio. - Scientia. - 401. Sinderesis. - 405. De ceteris partibus imaginis nostrae. - Alia similitudo animae cum deo. - 406. Unitas. - Gnoma. - 407. De puncto. - 408. De similitudine ex partibus corporis. - 410. Tres partes animae. - Symphonia. - 411. Musice partes. - 413. Epitritus. - 414. Diatesseron. - Diapente. - 415. Duplaris. - Diapason. - 416. Triplaris. Diapason et diapente. - 417. Disdiapason. - Quadruplus. - 418. Epogdous. - Tonos. - 420. Gnoma. - 421. De similitudine corporis tertium. - 422. Gnoma. - 423. De planetis. - 425. De XII signis. - 427. De quatuor elementis. - 428. Gnoma. - 430. Quod homo fingit, quicquid natura parit. - 435. De similitudine, quantum ad morbos. - 436. Morbi celorum. - 439. De morbis secundum quatuor anni tempora. - 442. De morbis hominum. - 447. Gnoma. 449. Gnoma. - 451. Conclusio et epilogus. - 455. Mysii et Thraces. - Gnoma. Protesilaus. - 456. Epaminundas. - 462. Gnoma. - 466. Gnoma. 468. De sterilibus. - 469. De Maria virgine sponsa Christi. - Gnoma. 470. Euripides. - Gnoma. - 474. Gnoma. - 476. Gnoma. - 478. Gnoma. - De virginitate. - 485. Gnoma. - 487. Tempus. - 490. Metellus. - Lycurgus. - 491. Octavianus. - 493. Gnoma. 496. Confutatio reginae Beatricis. - 506. Gnoma. - 509. Gnoma. - 512. Gnoma. - 519. Gnoma. - 521. Gnoma. - 525. Enos. - Enoch. 524. Mathusalem. - Lamech. - Noe. - Habraam. - 525. Isaac. - Iacob. - Moses. - Samuel. - 526. David. - Salomon. - Iosias. - Zacharias. - Petrus. - 529. Beatrix. 531. Gnoma. - 532. Gnoma. - 534. Gnoma. - 543. Edipus. 548. Gnoma. - 550. Gnoma. - 552. De comodis sancti coniugii. - Gnoma. - 554. Beatrix regina. - 555. Gnoma. - 559. Pompeius. - Iulia. 561. Cornelia. - 563. Tiberius Gracchus. - Cornelia. - 566. Plancus. - Aristilla. - Gnoma. - 567. Portia. - Brutus. - 568. Gnoma. - Spurius Corvinus. - 569. Mitridentes. - Hysicratea. 570. Artemisia. - 573. Pulchritudo. -

Gnoma. - 574. Gnoma. - 575. Gnoma. - 576. Virginitas. - 578. Gnoma. - 580. Romulus. Hersilia. 582. Gnoma. 583. Ad matrimonium. - 585. Uxores herae. - Gnoma. - 586. Gorgon. - Gnoma. - 587. Lycurgus. - 588. Dercyllidas. - 589. Gnoma. 593. Gnoma. - 597. Confutat regina. - 598. Mendatium. - Gnoma. - 599. De virginitate. - 601. Gnoma. - 607. Tellus Atheniensis. - Solon. - Gnoma. 608. Cleobis. Biton. - Gnoma. - 609. Craesi filius. - Pisistratus. 610. Coriolanus. - 611. Scipio. - 612. Mallius. 613. Claudia. 615. Cimon. 616. Fenix. - 629. Gnoma. - Gnoma. 631. Gnoma. - 633. De commodis liberorum. - Gnoma. - 635. Exempla. 636. Vetruria. Volumnia. - 638. Camillus. - 639. Laus mulierum in funere. Gnoma. - 641. Solon. - 642. Chilonis. - Leonidas. - Cleombrotus. - 644. Gnoma. - 646. Crathesidia Cleomenis. - Panthei uxor. Gnoma. - 649. Cimbrae. - 650. Marius et Catulus. 651. Thymoclia. - 652. Gnoma. - 654. Alexander. Scipio. - 655. Gnoma. - 656. Scipio. - 657. Phocio-nis uxor. - 658. Testha. Dionysius. - 659. Polyxenus. 660. Dido. - 661. Asdrubalis uxor. - Nicerati coniunx. - 663. Gnoma. - 664. Alcibiades. - Lyxander. - 665. Straton. 666. Xenophon. Panthia. - 667. Rodogunda. - Alceste. Admetus. Penelope. 668. Laodamia. - Protesilaus. - Lucretia. - 669. Bilia. - 670. Ania. - Marcella. 671. Valeria Messalarum. - Martia Catonis. - 673. De fecunditate domus Aragoniae. 674. Ferdinandus rex. - 675. Alfonsus rex. - 676. Petrus rex. 677. Divus Alfonsus. - Ferdinandus rex. - 679. Gnoma. Alfonsus dux. Ferdinandus princeps Capuae. 680. Gnoma. - 681. Leonora. - 682. Ioannes rex. - 683. Ferdinandus rex Hispaniae. - Diva Lisabella. - 685. Soror divi Alfonsi. Fredericus imperator. - 686. Maximinus. - 687. Gnoma. - 697. Invocatio reginae. - 698. Brevis replicatio supradictorum. 701. De virginitate. - 703. Gnoma. - 705. Gnoma. - 707. Gnoma. - 708. Gnoma. 711. Gnoma. - 715. Hannibal. - Sylla. Nicopolis. Cesar. - Cleopatra. - 716. Gnoma. - 720. Gnoma. - 724. Monas. - 727. Noe. - 737. Gnoma. - 738. Gnoma. 747. - De miseria liberorum. - 751. De regine Beatricis vita ante coniugium. - 761. Gnoma. - 764. Gnoma. - 765. Gnoma. - 768. Iesus Christus. Gnoma. - 769. Iosephus. - Gnoma. - 773. Tria eunuchorum genera. - 774. Vera virginitas. - Gnoma. - 775. Pudicitia. 776. Samuel. - Hieremias. - Ioannes Baptista. - 777. Virgo Maria. - Gnoma. - 779. Ioannes euangelista. - 782. Gnoma. - Traianus imperator. - 783. Tertullianus. - 784. Bigami. 785. Eleusina sacra. 786. Gnoma. - 789. Aegypti. - Gnoma. - 793. Cybele. - Diana. - Hippolitus. 794. Pindarus. - Sophocles. - Zaleucus. Minos. - Zoroaster. - 795. Aegeria. - 796. Celebs unde. - Gnoma. - 801. Gnoma. - 807. Ariston. - 809. Numma. - 810. De virginibus Vestalibus. - 814. Labeo. - 818. Octavianus. - 819. Gnoma. - 823. Ilia. - Minutia. - Septilia. - Lutia. - Opimia. Florentia. - Cornelia. - 828. Tutia. - 829. Claudia. - 830. Gnoma. - 835. Virgo Maria. - Paulus. - Ioannes. - Iacobus. - 836. Petro-

